This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

I III
713

Mo
e ne
ma
per
wat

i Valeri antico
da prima Falieri,
altro de' Valeri,
avendo [illegible]



PA
8115
.V16

[illegible]



AVGVSTINVS VALERIVS, PATRICIVS VENETVS, EPISCOPVS PRAENESTINENSIS
CARDINALIS VERONAE, ET ILLIVS ECCLESIAE ADMINISTRATOR.
Vixit A. LXXVI. M. I. D. XVI.
Obiit Romae CIↃIↃCVI. X. *Kal. Iunii.*

Alexander à Via Sculp.

Valiero, Agostino, cardinale,

AVGVSTINI VALERII

PATRICII VENETI

S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI VERONENSIS

Opuſculum numquam antehac editum

DE CAVTIONE ADHIBENDA IN EDENDIS LIBRIS.

NEC NON

BERNARDI CARDINALIS NAVGERII

Vita, eodem Valerio Auctore.

ACCESSERE

PETRI BARROCII EPISCOPI PATAVINI

ORATIONES TRES

e MSS. nunc primum eruta.

NONNVLLAE ITEM ALIAE

PATRICIORVM VENETORVM

quarum duæ nondum typis deſcriptæ fuerant.



PATAVII. CIϽIϽCCXIX.

EXCVDEBAT IOSEPHVS COMINVS.

SVPERIORVM PERMISSV.

Libermo
7432
Ref. st.
10-11-1922
gen.

Illuſtriſſimis atque Excellentiſſimis Viris

PATAVINI GYMNASII MODERATORIBVS,

A L O Y S I O   P I S A N O

Equiti, ac Aedis D. Marci Procuratori,

I O A N N I   P A S C H A L I C O,

M I C H A E L I   M A V R O C E N O,

OMNIQVE TRIVMVIRVM LITERARIORVM

O R D I N I   A M P L I S S I M O

Io. Antonius Vulpius S. P. D.

PRæſtantium ingeniorum quibus RESPVBLICA VESTRA ſemper mirifice floruit, VIRI AMPLISSIMI SAPIENTISSIMIQVE, LIBER quem VOBIS offero, egregium quoddam ſpecimen eſt. Hoc nimirum perlecto, facile inter omnes conſtabit,

a 2 ele-

408734

elegantioribus diſciplinis, ab eo tempore quo primum deterſa barbarie, caput rurſus attollere, atque in pretio eſſe cœpere, neque magnificentius hoſpitium ullum, neque ampliora uſquam præmia, quam apud VENETAM NOBILITATEM, patuiſſe. Et ſane divina providentia factum arbitror, ut quæ Vrbs Senatores graviſſimos, invictos belli Duces, Antiſtites religione, vitæque innocentia ſingulari, parere ac educare conſueviſſet, ea in Vrbe præclari quoque Hiſtorici, et Oratores provenirent, qui civium ſuorum virtutes et pulcherrima facinora omnibus eloquentiæ viribus celebrarent, atque oblivioni ſurripere niterentur. Exteri enim ſcriptores, cum res alienas literis mandare inſtituerunt, multa plerumque ſilentio prætereunt, quæ ipſi minus perſpecta habent, aut in quibus narrandis nullus maledicto locus eſt; et quædam verbis extenuant, quorum magnitudo ac ſplendor malevolorum oculos quodammodo perſtringit; et nonnulla denique pejorem in partem interpretando, illuſtrium virorum laudibus graviter obtrectant, iiſque notam turpitudinis callide inurere conantur. Neque contra, in libera republica metuendum eſt, ne qui ejuſdem civitatis homines laudandos ſuſcipiunt, ſpe, gratia, amicitia ducti, modum in laudando non adhibeant; plurimi enim teſtes adſunt, in quorum conſpectu vita ejus qui celebratur, tota fere acta eſt; ad redarguendum ſcilicet paratiſſimi,

ubi

ubi immane aliquod mendacium Scriptor in medium attulerit, tamquam ſi cauſſæ ſuæ diffidere videatur. Quæ cum ita ſint, nolite, quæſo, VIRI AMPLISSIMI, me impudentiæ crimine accuſare, qui VOS maximis occupationibus diſtentos moleſtus interpellator a gerenda republica paullisper avocem; eſt enim pietatis VESTRAE, majorum gloriam, quæ ad poſterorum etiam fructum redundat, commendatam habere: eſt ſapientiæ, tempus quod bonis libris legendis tribuitur, in maximo lucro ponere: eſt hujus præclari muneris quo fungimini, quidquid ad literarum dignitatem pertinet, non ſolum æquis animis, verum etiam libentiſſimis, excipere, amplecti, tueri, ac denique auctoritate nutuque VESTRO confirmare. Finem dicendi faciam, ſi prius paucula de me ipſo addidero; quod mihi per VOS liceat, VIRI AMPLISSIMI. Quamquam honeſte recteque agere, ipſum ſibi largiſſimum atque uberrimum præmium eſt, ego quidem certe hac ſpe unice ſuſtentor, ac recreor, id VOS aliquando pro VESTRA benignitate, effecturos, ne me umquam poenitere poſſit, vitam laboribus vigiliiſque exercitam, et a voluptatibus alieniſſimam, turpi otio, ignobilique ſilentio anteponendam exiſtimaſſe: ac judicio VESTRO longe graviſſimo declaraturos, ſolertiam ab ignavia ut re, ſic exiſtimatione diſtare plurimum. Sunt enim qui ſine ullo impetu pulſuque remorum, ventis tantummo-

mo-

modo valde ſecundis, rectum dignitatis curſum ſe tenere arbitrentur: meque etiam irrideant hominem ſimplicem, qui probitate atque induſtria, obſoletis jam artibus (ut ipſi ajunt) aliquid profici poſſe confidam. Hanc porro opinionem in malorum animis penitus inſitam, vos evellere convenit, Viri Amplissimi; quod ut fieret, ſedulo adhuc dediſtis operam, doctiſſimis experientiſſimiſque hominibus undique conquiſitis, et magna mercede invitatis, qui juventutem in hoc celeberrimum Patavinum Gymnasium, tamquam ad mercaturam bonarum artium, confluentem, præceptis ſuis erudirent, atque utiliorem reipublicæ redderent. Horum veſtigia, ſi minus ingenio poſſum (quod mihi exiguum ſane a natura tributum eſt) at pertinaci ſtudio, aſſidua meditatione, inexplebili demum cupiditate literarum, perſequi mecum ipſe decrevi. Multum quotidie temporis in jure civili, aliquantum in philoſophia, ceteriſque diſciplinis quæ juris civilis ſcientiam exornant, jam inde a prima adoleſcentia ponere ſolitus ſum: non eſt autem meæ verecundiæ, quid tantis conatibus profecerim, judicare. Peto igitur a Vobis majorem in modum, Viri Amplissimi, ut ſtudia noſtra ex abdito in conſpectum hominum lucemque trahatis, idque Vobis perſuadeatis, copiolas meas omnes, quas præceptoribus olim audiendis, deinde optimis libris pervolutandis, exer-

cen-

cendoque ſtilo, multorum annorum ſpatio mihi comparavi, cum totius REIPUBLICAE VENETAE, tum vero maxime VESTRAS eſſe, et ſemper futuras. Valete, ac rem literariam, quod facitis, bene et feliciter gerite.

Patavii. Idibus Iuniis. cIↄ Iↄ CCXIX.

L E-

LECTORI BENEVOLO S.

EXpoſituri, Lector benevole, quod conſilium ſecuti, quibuſve cauſſis adducti, hæc ſummorum Virorum Opuſcula, disjuncta olim & diſſipata, in unum tamquam corpus collegerimus, typiſque deſcribi juſſerimus, rem paullo altius repetere neceſſe habemus. Cum IOANNES PASCHALICVS, Venetus Senator Ampliſſimus, vir omni humanitate ſuaviſſimiſque moribus præditus, in primis vero majorum ſuorum gloriæ perſtudioſus, qui nunc inter Patavini Gymnaſii Moderatores, magno literarum bono numeratur, editionem Operum ANDREAE NAVGERII, civis ſui eloquentiſſimi, a nobis anno ſuperiore non mediocri ſumtu diligentiaque adornatam, et conſideraſſet, et probaſſet; ſciret præterea, nos in re nulla operam noſtram libentius collocare, quam in iis quæ ad hujus immortalis REIPVBLICAE laudem ac dignitatem quocumque modo pertinere poſſunt; nobis per familiarem quemdam ſuum ſignificavit, gratiſſimum ſibi futurum, ſi, ubi primum ſuſcepti alicujus operis ratio ac ſimilitudo pateretur, Orationem egregiam PETRI PASCHALICI, viri e familia ſua celeberrimi, qui ante duo fere ſæcula, ob virtutis & eloquentiæ opinionem, quam conſecutus fuerat, ad potentiſſimos Europæ principes, de maximis negotiis legatus a Senatu miſſus

eſt,

eſt, in Typographia Cominiana, cui præſumus, nova quaſi veſte indui, novoque cultu expoliri ſtuduiſſemus. Orationem porro ipſam, a paucis omnino viſam, quæ domi ejus adſervabatur, ſtatim ad nos perferendam curavit. Honeſtiſſimo igitur tanti Viri deſiderio obſequendum rati, nos id propediem facturos, idoneamque rei occaſionem captaturos, in nobis recepimus. Accidit autem peropportune, ut CAMILLUS VAROTTUS, Abbas, Canonicus Patavinus, vir omni laudum genere cumulatiſſimus, Libellum hunc AUGUSTINI VALERII, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Veronenſis, numquam antea typis editum, quem ab unico illo Antiſtite, veteris ſanctitatis exemplo, GREGORIO Cardinali BARBADICO, dono acceperat, nobiſcum benigne communicaret. Hunc olim Roma BARBADICUS, talium ſcilicet mercium avidiſſimus, Patavium ſecum attulerat: eumdemque vix in paucorum quorumdam bibliothecis hodie cuſtodiri ajunt. Scriptoris fama (nemo enim eſt vel mediocriter eruditus, qui VALERII doctrinam, vitæ innocentiam, ejuſque pro Chriſtiana pietate res præclare geſtas, aut ignoret, aut non plurimi faciat) & ipſa ſcriptionis utilitas, nos impulerunt, ut voluminis edendi curam ſuſciperemus, ac tam exquiſito munere ſummam a doctis hominibus gratiam iniremus. Hoc brevi commentario, quot libros ad eam uſque diem confeciſſet (confecerat autem pæne innumeros) quibus moribus in adoleſcentia, in juventute, in reliqua vita fuiſſet, quos amicos habuiſſet, quid quovis tempore ſibi accidiſſet, VALERIUS diligentiſſime enarrat. Id vero præ ceteris in-

culcare non deſinit, ſe, quamquam ſcribendi jucunditate captus, voluptates alias omnes repudiaret, caviſſe tamen ſummopere, ne quæ animi tantum cauſſa, vel amicorum hortatu, literis mandaſſet, ea temere in vulgus prodirent: plurima enim ſe ſcripſiſſe quidem fatetur, at pauca omnino emendare conatum eſſe. Quod graviſſimi Viri de ſe ſuiſque ſcriptis judicium quicumque attentius expendet, omnium ejus librorum συναγωγὴν *atque editionem minus fortaſſe deſiderabit. Hanc etiam lucubrationem, ſi Auctori dicto audientes prorſus eſſe voluiſſemus, divulgari certe non oportebat; ſed ob hanc præcipue cauſſam eam edere decrevimus, ut quamobrem ceteræ non ſint edendæ, manifeſto apparere poſſit. Stilus VALERII non eſt ille quidem ad Ciceronis normam ſevere exactus;* fluit *enim* cum luto aliquo, *quemadmodum Auctor ipſe teſtatur, longeque diſtat a Bembi, Sadoleti, aliorumque ejus ætatis clarorum hominum candore atque elegantia: perſpicuus tamen eſt, ſimplex, ad res Eccleſiæ cum dignitate tractandas accommodatus, qui Scriptoris denique animum ingenuum, & publicæ magis utilitatis quam ſuæ laudis appetentem facile oſtendat. Ridebunt, credo, nonnulli, cum audierint (id quod hoc volumine VALERIUS commemorat) BERNARDI NAUGERII Cardinalis eam fuiſſe ſententiam, ut exiſtimaret, antiquorum induſtria in omni diſciplinarum genere omnem ſcribendi materiam poſteritati præreptam; & iccirco novos libros meditari, hominis eſſe (ut Tullii verbis utar) intemperanter abutentis & otio, & literis. At bonus NAUGERIUS,*

Si foret hoc noſtrum fato delatus in ævum,

quo

quo qui paullo ſunt moderatiores, antiquorum vicem dolent, quibus nempe multa ſcire, temporum vitio, non licuerit; qui vero ingenioſos ac liberos ſe & eſſe, & haberi volunt, clamitant ſæpius, veterum illorum fatuas plerumque ac deliras fuiſſe doctrinas, & noſtro demum ſæculo homines, tamquam e diuturno ſomno, ad rectius philoſophandum excitari cœpiſſe; profecto ſibi multo aliter ſentiendum eſſe intelligeret. Sed videlicet ea tempeſtate (quamquam multis adverſantibus) ita opinari impune licebat. Quæ tamen opinio, eorum ſaltem levitati mederi poterit qui non ideo ſcripta ſua typographis tradunt, quod ea jampridem ad umbilicum perducta, accurateque caſtigata, doctorum virorum judicio comprobentur; ſed hoc potiſſimum conſilio ſcribunt, ut quæcumque ipſis exciderint, ſive utilia, ſive nullius pretii, ea ſtatim edere feſtinent; quo evenire neceſſe eſt, ut infinita, eademque inani librorum copia laboremus. Sed jam ad inſtituti noſtri rationem exponendam redeamus. Hunc VALERII *commentarium adepti, in animum induximus, ei ſcripta quædam alia* PATRICIORUM VENETORUM *adjungere; tempus adveniſſe exiſtimantes quo obligatam* PASCHALICO *fidem liberaremus. Cum autem* APOSTOLUS ZENUS, *Vir Celeberrimus,* CAESARIS *Hiſtoricus, & Poëta, quem honoris cauſſa nominamus, nonnihil de cogitatis noſtris audiviſſet, qua eſt inſigni erga nos, omneſque literarum cupidos humanitate, auctor nobis fuit per epiſtolam, ut* CARDINALIS NAUGERII VITAM, *a* VALERIO, *ſororis ejus filio, diligentius quam ſole-*

 bat,

bat, conſcriptam, & ante hos centum annos Veronæ editam, ſed raro admodum occurrentem, iterum cura noſtra proferremus, atque nitori ſuo reſtitueremus; mendis enim typographicis paſſim ſcatebat. Miſit etiam ad nos e bibliotheca ſua, quam inſtructiſſimam poſſidet, veterum Orationum faſciculum, quas Veneti Patricii diverſis temporibus ac locis recitaverant (omnes autem fere oblivione ſepultæ erant) ex quo numero, quæ nobis hac nova luce digniores viderentur, eas deligere poſſemus. Codicem præterea manuſcriptum benigniſſime obtulit, in quo PAVLLI BARBI Oratio ad LVDOVICVM XI. GALLIAE REGEM adhuc inedita continebatur. Incredibile enim eſt, quantam vir ille doctiſſimus rariorum & ſingularium Codicum ſupellectilem congeſſerit; prodigii vero ſimile, quantam rerum hiſtoriarumque cognitionem pectore ſuo atque animo ipſe complexus ſit, ut merito eum vocare quis poſsit; quemadmodum olim Eunapius Dionyſium Longinum nominavit; βιβλιοθήκην ἔμψυχον, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον. *Sed quamquam his copiis comparatis, liber nihilominus exiguus futurus erat (paucas enim Orationes e plurimis excerpſeramus) niſi PETRVS CATHARINVS ZENVS, APOSTOLI frater, Clericus Congregationis Somaſchæ, vir eruditiſsimus, & de univerſa literatorum natione, in primis vero de Italorum ingeniis optime meritus, fraternam liberalitatem æmulari, atque editionem hanc noſtram inſigni theſauro (quo enim alio nomine appellemus?) locupletare voluiſſet. Tres enim Orationes PETRI BARROCII, Patricii Veneti, Epiſcopi Patavini, hominis, ut illa*

fe-

ferebant tempora, eloquentia & eruditione non vulgari, quas in membrana concinne admodum exaratas, ipſe in privata bibliotheca adſervabat, nobis edendi poteſtatem fecit; idemque CAROLI CAPELLI Orationem ſuppeditavit, habitam in funere GEORGII CORNELII, Viri ſummi, quæ numquam typis deſcripta, Venetiis in bibliotheca domus religioſæ, ubi ipſe commoratur, longo tempore delituerat. Utinam vero Laudationem pulcherrimam, a BERNARDO NAVGERIO in funere ANDREAE GRITTI, Venetiarum Principis, recitatam, de qua valde honorifica doctorum virorum teſtimonia exſtant, hoc volumine exhibere potuiſſemus. At neſcio quo malo fato, quamvis ab eodem ZENO diligentiſsime perquiſita, nuſquam tamen reperta eſt. Hujus porro humaniſsimi, atque omni virtute ornatiſsimi fratrum paris, APOSTOLI ſcilicet, ac PETRI CATHARINI, nullam meritorum partem non modo referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi nos poſſe, libenter fatemur; qui ſtudioſis univerſis, quam ſibi ſolis divites eſſe malunt, & clarorum hominum monumenta, quæ plerique alii, ne quiſquam attingat, centum ferreis vectibus obſerant, vel blattis & pulveri comedenda permittunt, ipſi, ut bonos ac magnanimos decet, reipublicæ commodo quotidie depromunt.

Nolumus autem, amice Lector, te mirari, CHRISTOPHORI MARCELLI, Canonici Patavini, Orationem, pluribus barbarorum ſæculorum nævis plane deformem, teſtimoniis quæ de PETRO BARROCIO protulimus, a nobis interpoſitam eſſe; non enim

ver-

verborum, aut ſententiarum, ſed narrationis dumtaxat rerum a BARROCIO geſtarum, quæ in ipſa continetur, rationem habuimus. Petimus etiam ab iſtis qui ſe Ciceronianos profitentur (difficili ſane ac faſtidioſo genere hominum) ut si huic volumini manum admoverint, paſsimque offenderint quæ ipsis Tullianam dicendi formam minus referre videantur, Scriptoribus ignoſcere, cauſſamque in tempora conferre velint. Sunt enim ut pictura, ita & eloquentiæ rudimenta quædam. Quemadmodum vero pictores illi qui ante Apollodorum Athenienſem fuere, Hygiænon puta, Dinias, Charmas, Bularchus, & plerique alii, longiſsimo intervallo a Zeuxide, Timanthe, Parrhasio, Protogene, Apelle ſuperati ſunt, nec tamen a ſanis hominibus contemti, cum artium inventoribus omnia debeantur; similiter, doctos & laborioſos viros qui paullo poſt renatas literas, viam poſteritati ad ornatius dicendum exemplo ſuo monſtravere, riſu & petulantibus jocis excipere, arrogantiæ atque impietatis eſt non ferendę. Non diffitemur quidem, CAPELLI, GABRIELII, & LONGI Orationes propius a perfecto dicendi genere abeſſe; verum illud quoque affirmamus, in his omnibus illuſtrium Virorum ſcriptis, si minus Ciceronianam elegantiam, at certe Ciceronianam ſapientiam, quę pars potior orationis eſt, inveniri. Quod si horridiora quoque eſſent quam ſunt, tamen ob virorum principum laudes quas complectuntur, digniſsima eſſent quę legerentur; ut olim Saliare Carmen, tum Livii Andronici, & Q. Ennii poëmata, quamvis incomta, obſcuriſque verbis adeo referta, ut vix interdum intelligi poſſent, nihilominus

& ſum-

& ſummo in pretio habebantur, & magna cum voluptate audiri ac legi ſolebant.

Poſtremo accuratiſſimos Indices duos huic Volumini adjecimus, alterum Lucubrationum omnium AUGUSTINI VALERII, quem a multis vehementer efflagitari cognoveramus, maximam partem ex commentario DE CAUTIONE ADHIBENDA IN EDENDIS LIBRIS, concinnatum, ſuppletum vero ex Catalogo quem nobis Mediolano miſit IOSEPHUS ANTONIUS SAXUS, S. Theologiæ Doctor, & Bibliothecę Ambroſianę in ea urbe Pręfectus, Vir ſcriptis editis, doctrina, humanitate, ac religione clariſſimus: alterum nominum propriorum, rerumque memorabilium quę toto volumine occurrunt, quo nimirum libri utilitas magis innoteſceret. Tu interim fave, Lector optime, & majora in dies a nobis exſpecta.

CLARORVM VIRORVM DE AVGVSTINO VALERIO S. R. E. CARDINALI, *EPISCOPO VERONENSI,* PAVCA QVAEDAM TESTIMONIA, EX PROPE INFINITIS DELECTA.

Io. Michaël Brutus Epiſtola ad Paullum Theupolum, quæ exſtat lib. I. Epiſtolarum Clar. Vir. Lugduni editarum 1561. *apud Gryphianos Heredes. in* 8. *pag.* 178.

AVguſtinum Valerium novi ego, hujus filium ſororis (*Bernardi ſcilicet Naugerii*) cum aliquot abhinc annis philoſophiæ ſtudiis Patavii operam daret: quem cum audirem diſputantem in philoſophorum corona de quæſtionibus maximis, atque in primis in philoſophia reconditis: tantam animadvertebam ineſſe in argumentando vim, ingenium, acumen: tum adeo parata omnia quibus aut probaret ſua, aut refelleret contraria: vix ut mihi poſſem perſuadere (cum præſertim admodum eſſet adoleſcens) per omnem ſuam ætatem literam illum quæ ejus facultatis non eſſet, ullam diſcere potuiſſe. Neque ille vero eruditione magis, et cognitione maximarum rerum, quam vitæ ſanctitate, pudore, innocentia philoſophi nomen tuebatur. At cum rurſus illius ſcripta legerem, lumina admirabar eloquentiæ, et ornamenta doctrinæ maxima, ut cum me afficeret voluptate ſumma, oratio cum pure et latine ſcripta, tum apte et numeroſe cadens, gravitas me ſententiarum teneret in primis, quæ effluere videbantur ex animo inſtructiſſimo optimis artibus, et quem Philoſophia arctiſſime complexum numquam videretur dimiſiſſe.

Bernardinus Parthenius libro II. de Poëtica Imitatione pag. 39. *Triphonem Gabrielium de* Auguſtino *noſtro ita loquentem inducit.*

In iis *Auguſtinus Valerius*, qui vel eo tempore ſummam excellentis ingenii exſpectationem commovebat, qui cum ad comitatem, affabilitatemque ſermonis, prudentiam, probitatemque pluſquam juvenilem adjunxiſſet, eam futuræ laudis ſignificationem dabat, ut eo pervenire procul dubio putaretur, ubi tamquam exemplum, atque ſpectaculum omnium doctrinarum, ac virtutum in ſua Republica, hoc eſt in orbis theatro, propoſitus videretur; illud autem judicium adeo cum ætate comprobavit, ut longe majora præſtiterit, quam de ſe ipſe eſſet pollicitus, etc.

Aloy-

Aloyſius Lollinus, Patricius Venetus, Bellunenſium Antiſtes, in Libro inſcripto Epiſcopalium Curarum Characteres, *edito Belluni* 1630. *a pag.* 239. *uſque ad* 246.

Horum (*amicorum*) principem locum nuper occupabat *Auguſtinus Valerius*, Eccleſiæ Romanæ Præſes Cardinalis, Veronenſium autem Epiſcopus, qui non ita pridem bonis omnibus collacrimantibus exceſſit, nulli tamen flebilior quam mihi: quem ille ſuo teſtimonio ornare, auctoritate tueri, conſilio regere ſolebat. Deus immortalis! mirum eſt quod patior. Doleo, et me ipſe novo quodam modo conſolatur dolor. Nollem minus amaſſe, ut dolerem minus. Iuvat tanti viri tumulo fletu parentare, dulcemque lamentationum amaritiem encomiis miſcere laudum ſuarum; quæ tamen non rhetorum more nobis ſunt dicendæ, ſed carptim animi mœrorem levandi cauſſa. Crevit *Auguſtinus* in ſinu avunculi Bernardi Naugerii Cardinalis, doctiſſimi ſimul, et integerrimi, liberalibus diſciplinis, pietate in Deum, caritate in homines imbutus ſingulari, morum vero gravitate tanta, ut ab his nondum ex ephœbis egreſſus, pater audiret, quorum ipſe filius eſſe per ætatem poſſet. Toga virili ſumta parentum hortatu patriæ tyrocinium perſolvit, in collegium adlectus ordinariorum Sapientum: ſic Veneti rerum publicarum juniores conſultores vocant. Exinde egregiam provinciam ſuſcepit, ſenatuſconſulto ſibi demandatam, publicitus philoſophiam profitendi. Quo in munere abunde ſibi, atque auditoribus ſuis ſatisfecit. Nam et docendo, diſceptandoque aſſidue ingenium, memoriamque excolebat, et juventutis animos ita exemplo ad decus doctrinarum inflammabat ſuo, ut brevi ex ejus ſchola cives magni nominis prodierint, qui nunc reipublicæ ad clavum ſedent. Ex his regendæ juventutis rudimentis divina bonitas eum evocavit ad ingentium populorum ſalutis procurationem capeſſendam. Epiſcopus fit, nihil tale cogitans. Veronam Italiæ ocellum adit: ibi vitæ ſuæ figit tabernaculum, perpetuis excubiis gregi ſibi a Deo credito invigilando. Per quadraginta, et eo amplius annorum ſpatium Eccleſiam illam rexit, ſermone omnes urbanos, ruſticos erudiens, excitans exemplo, ſcriptis etiam condocefaciens, omni genere monumentorum quæ ad pietatem, et cultum ſpectant animorum, in lucem edito. Vnde nominis ſui fama latius emanans, ſibi optimi cujuſque ſtudium conciliabat. Cui non cum laude dictus *Auguſtinus*? Vbi non inaudita tanti viri virtus? Præcipua Chriſtiani orbis lumina Palæotum, atque Borromæum Cardinales, flagrantiſſimus cum primis ejus amor cepit. Hinc crebræ illorum apud Gregorium XIII. Pontificem Maximum efflagitationes, quibus probatiſſimum ſenem fatigabant, ut ampliſſimum Eccleſiaſtici Senatus ordinem *Auguſtini* cooptatione honeſtaret: ſibi purpuræ ſuæ fulgorem minus arridere, cum eo minime communem qui maxima quæque laborum præmia promeruiſſet. Numquam ſe ullius precibus exorabiliorem præbuit Summus ille Parens, quam illorum votis. Norat enim, utrumque favitorem eſſe maximum virtutis, non ambitionis. *Auguſtinus* itaque omnium approbatione ad culmen ſummo proximum evectus, ſocios honoris habuit Romanæ curiæ primores, Caſtaneum, Sfondratum, Fachinettum, Medicem, Viros commemorabili dignitate præditos, Pontificeſque Maximos ſuo quemque tempore futuros. Auctum tam inſigni titulo cura mox excepit Romæ de more reviſendæ. Lateri hærebam non tam itineris comes, quam particeps cogitationum quibus ille in diverſa trahebatur, dum hinc ſponſæ ſuæ, Veronenſis Eccleſiæ, amplexu ſe avelli ægre fert, inde officii deſertor, ingratuſque erga Pontificem videri timet. Mirum dictu! priſci moris virum, privatis gregis ſui curis occupatum, cui-

que cum ambitione nihil rei eſſet, tam celebri populi concurſu, tam prono favore excipi potuiſſe aulicorum. Tantum illi philtrum natura indiderat ad genus humanum ſibi demerendum. Ipſum illud os probum, caputque præcoci canitie decorum etiam aliud agentes excitabat ad ſui venerationem. Hinc factum ut ad Cathedram Petri viduatam Vrbani obitu unanimis meliorum conſenſio illum extolleret. Bene merenti turbavere decus paucorum conſilia, adeo non ægre id ferente *Auguſtino*, ut tunc ſemel ex occurſu viſos leniſſimis verbis compellarit, habere ſe illis gratias maximas profeſſus, quorum beneficio, munere vacaret tam ſublimi, et oneroſo, ut ei ferendo impar eſſet. Vbi nunc tantam moderationem animi invenies in modicæ ſortis homine, quanta in principe ſenatus fuit? Exinde propenſo magis atque magis affectu tanto viro blandiri favor hominum, et in eo ornando, fovendoque vix virtuti cedere. Vidiſſes celebrari ædes ſolito frequentius: illum maximis de rebus conſuli religionis: Pontificem ipſum non parum illius gratiæ tribuere, plurimum auctoritati. Quibus ille præſidiis adjutus, innumeros ſui memores merendo fecit, favori opes ſuperaddens: quæ ideo illi peramplæ benignitate Dei obtigere, ut pauperes locupletem haberent trapezitam, unde cæleſtem facerent verſuram, ſcito in id noſtri *Auguſtini* joco, quem a me in familiari colloquio exceptum, lectorum memoriæ conſignandum duxi bona fide. Inciderat forte (ut fit) mentio de eccleſiaſticis reditibus, quibus nonnulli noſtrorum hominum in ſummas opes emerſerunt; cum amicorum unus, qui tunc ſermoni aderat, vir ad rem intentior, jactabundus ait: Ego aureis bis millenis annuis (neque enim pluris ſacerdotium æſtimatur, quod in agro Brixiano habeo ad Pontis Vicum) ſexagies millena ſuperlucratus heredi ſum: cum tu interim ex uberiori multis partibus proventu ne teruncium quidem tibi quæſiviſti. Hic ille ſubridens (ut erat remiſſo ad hilaritatem animo) Bona verba quæſo, inquit, mi homo: non ita, ut putas, ignaviter, adverſove Mercurio rem geſſi, quin mihi ingens auri vis in nominibus ſuperſit: ſimulque calendarium puerum popoſcit, in quo ſumma perſcripta erat expenſarum in egenos, quibuſcum ille ſolis nomina facere ſolebat, proxeneta et ſponſore Chriſto; qui nunc in cælo illi ſortem cum centumplici fœnore ex condicto luit. His mercimoniis animum exercuit dum vixit, tenuibus ſalutaris, principibus viris carus, eruditis admirabilis, omnibus dilectus, digniorque habitus naſcente, quam jam ſeneſcente Chriſtiana pietate. Sæculi namque vitio fieri putarim, quominus animum inducamus imitari quem tam libenter laudamus. Senuerat famulus Dei ſenectute uberi, et cælo quam rebus humanis propior, poſtremum iter meditabatur ad beatos, anni LXXVII. ſpatium emenſus. Rebus tunc male dilabentibus, in febrim ad extremum incidit ex ægritudine animi contractam: quam ei poſtremam Deus eſſe voluit, ne ejus oculis ſubjiceret quæ horreſcens ſæpe mente revolvebat. Obvium negotium fuit febri, cum ſollicitudinum et curarum cohorte fœderatæ, corpus valetudinarium, vigiliiſque, ac jejuniis quaſſatum, fruſtra contranitente medicorum ope, expugnare. Iam in dies labare vires, hebetari oculorum aciem, adventantis mortis ſigna apparere cerneres; gaudio vero animum geſtire, cui indubiam ſpem Chriſtus faceret, in beatorum conſortium brevi abiturum. Multa (verborum, rerumque copiam philoſophia, atque eloquentia ſuppeditante) converſus ad amicos circumſtantes, de immortalitate animorum, de piorum præmiis diſſeruit: non parum in eorum dolore conſolando ſermonis, atque operæ inſumſit. Omnibus deinde dimiſſis, repente in complexu piorum ſacerdotum exitum ei facilem precantium, ſpiritum efflavit. Funus æqualibus pæne populorum ſtudiis, et pari celebritate procuratum Romæ, Venetiis, Veronæ.

ronæ. Monumenta quoque inſignibus titulis præſcripta, leniendo dolori, ſimul memoriæ Viri præſtantiſſimi quam diutiſſime retinendæ cauſſa decreta. Fuit barba, et capillo cygneus, colore ex ſubfuſco rubens, proceræ ac inſignis ſtaturæ, aſpectu decoris pleno, lateribus (quantum frugalis vitæ ratio ſinebat) firmis, oculis latis, et uſque ad extremum ſenium vigentibus; valetudine (ſi poſtremos vitæ annos excipis) apprime integra, voce non ingrata; nam hæſitationem, et titubantiam oris induſtria, et anxio lente, ac meditate loquendi exercitio correxerat. Præclaras animi dotes admirabor potius, quam verbis exſequar, præſertim cum manibus omnium terantur varia eruditionis ejus monumenta. Neque ideo ſilentio involvam egregium ingenii præcellentis ſpecimen, quod multis præſentibus edidit non ſemel. Eodem plerumque tempore per vices tribus amanuenſibus, ægre verba notis ſubſequentibus, hiſtorias rerum Venetarum, epiſtolas ad familiares, et ſermones ad populum dictabat. Nam quæ elaboratioris erant ſcriptionis, qualia pleraque adhuc exſtant, mane ab actuariis excepta, poſtea per otium ipſe recudebat diligentius. In lectica nonnulla opuſcula conſcripſit. Libellum cui Somnii titulus præfixus eſt, noviſſimum evigilavit ſub tempus comitiorum Pontificiorum. Adeo ingenium in numerato illi fuit, promtaque ad ſubita facundia; qua fiebat, ut ex occaſione non minus, quam deſtinato, ſermone latino commode atque affluenter uteretur: carminibus etiam puris, et nativo quodam lepore perlitis aliquando luderet cum amicis: quorum ego nonnulla ad me ſcripta in Muſarum theſauris adſervo, amoris in me ſui mnemoſynon poſteris futura: quamvis majora, et uberiora habeam neceſſitudinis noſtræ, et beneficiorum ſuorum pignora. Nam quod dulcia ſunt faucibus meis eloquia tua, Deus, et ſuper mel ori meo, ori, inquam, quod aſſidua profanorum auctorum lectione deſipuerat; quod inſanienti ſapientiæ, quam efflictim ab ineunte ætate deperibam, impoſuerim modum; quod non oneri ſuccubuerim graviſſimo alienæ ſalutis procurandæ, cum a te, tuiſque miſerationibus diſceſſero, *Auguſtino* refero. Ipſe viam mandatorum tuorum currere me docuit: ipſe arcanorum interpres fuit quibus Eccleſiæ tuæ myſteriis initiamur. Quod ſervis tuis carus acceptuſque fuerim, muneris eſt ſui, hoc eſt tui, qui in eo admiranda aggrediebaris. Ipſe me primum Mediolanum duxit ad amores ſuos Carolum Borromæum Cardinalem, cui vel innotuiſſe præclarum duxerim. O me fortunatum nimis, qui par illud nobile athletarum Chriſti propius aſpexerim, conſpectuque cupito oculos bearim. O ter et amplius felicem, ſi bona noviſſem mea juvenis adhuc, et cæleſtium deliciarum rudis, quibus illorum ſermones affluebant. Tum mihi doctas, et cæleſte neſcio quid ſpirantes voces audire, tum divina ſorte datum fuit epulis accumbere Divum. Hortus erat recluſus, fons irriguus auditorum pectora inundans, os eorum; eloquia vero tamquam jacula ignita vehementer, penetrabiliora gladio ancipiti. Cernebam in corpuſculo ſervi tui Borromæi animum fortem, et te Imperatore dignum, cum affecta, immo plane conclamata valetudine pugnantem, dum purpura cilicio ſuffulta ſe affligat, jejunioque jugi preces alit altaribus tuis provolutus. Qua in ſtatione excubantem (certa fides, et adſeveratione plurium teſtata) aggreſſus monachus ille diaboli ſatelles, Albatorum ſodalitii deſertor, glande plumbea exploſa tormento pulverario impetiit; quæ ita extremæ cuti corporis innocua adhæſit, ut non vi immiſſa, ſed levi appoſita manu videretur. Scilicet tu, Deus, latus militis tui lorica fidei munieras, tela omnia contra hoſtis infenſiſſimi. Non abſimili periculo olim eripueras famulum tuum *Auguſtinum*: quod paucis perſtringam, piorum auribus lautiſſimum epulum daturus. Ediderat Eccleſia Veronenſis (ut falli faciles ſunt matres ob amorem

rem in vitiis natorum dignoſcendis) ſub clerici forma inexhauſtæ libidinis projectæque audaciæ portentum, cujus in odium non alia de cauſſa incurrit Præſul molliſſimi affectus in ſuos, quam quia eum non ita effuſe videri nequiſſimum ſinebat. Igitur diabolo in conſilium adhibito, concepit ſcelus omnium tæterrimum triſurcifer ille perdendi ſacrum illud caput non vi aperta, quam qui ejus in publicum prodeuntis latera tegebant, repuliſſent haud difficulter; ſed occultis, et facile parabilibus inſidiis: nec ſecretum, aut animus piaculo patrando defuit. Cavum epiſcopali ſolio ſubjectum nitrato pulvere conſtipat, ignem dein ea arte admovet, ut non niſi Epiſcopo aſſidente, hora audiendis ſacris concionibus dicata, fomitem corriperet, ſedemque ſimul, et ſeſſorem flamma, atque impetu per auras disjectum ferret: quod et accidiſſet procul dubio, niſi tu, Deus, parricidæ conſilium indicio fumi confertim de cathedra proſilientis, exſufflaſſes ad viri illius diuturniorem incolumitatem in tui nominis gloria impendendam. Borromæum, tamquam Polycleti regulam, ad unguem ſibi imitandum jure propoſuerat *Auguſtinus* noſter, ſubinde repetens, neminem illi viro ſimilem ſæculi noſtri homines viſuros. Quod ejus judicium Eccleſia Romana inerranti ſuffragio firmavit, dum non multo poſtea ſacrandas numini ejus aras, honoreſque Divis exhiberi ſolitos decrevit. Felix virtute tua, vir innocentiſſime: felix ſociorum, qui tibi unanimes in domini exercituum caſtris meruere. Quis mihi tribuat, ut famam viri tam præclare de me promeriti dem in omne ævum literarum monumentis numquam intermorituris, niſi tu, Deus meus, qui memoriam æternam juſtis polliceris, nec promiſſa fallis? Te dexteram, calamumque regere par eſt, abſque ope tua nihil audentem.

Ejuſdem Epigramma in Auguſtinum Valerium, *inter Epigrammata quibus Heroes ſuos, nimirum Patricios aliquot Venetos inſigniores, laudat, extremo loco poſitum. Ex Epiſtolarum Miſcellanearum lib. II. Epiſtola I. ad Henricum Catharinum Davilam.*

AVGVSTINVS VALERIVS CARDINALIS.

Extremus tu noſter eris labor, optime præſul,
    Agmina tu claudes Hadriacum procerum.
Non quod priſca tuis antiſtent nomina factis,
    Vllius aut virtus, aut honor, aut meritum.
Sed quia te terris produxit ſerior ætas,
    Aetas natali facta ſuperba tuo:
Cui licuit peperiſſe decus tantum, et dare de ſe
    Orbis in hoc ſenio ſplendidius ſpecimen,
Ne modo facta virum legeremus grandia; verum
    Ipſis poſſemus cernere luminibus.
Salve, heros condigne tuba meliore, Quiritum
    Ac Venetum auguſta nobilitate potens:
Sed mage tergemino eloquio, ſtudioque Minervæ
    Pervigili, et latii clare nitore ſtili;
Nec pietate minor, morum candore, benignis
    In quoſque (experti prodimus) officiis.

An-

Andreas Maurocenus, Venetus Senator, et Hiſtoricus, Epiſtola ad Aloyſium Lollinum (a quo eadem Epigrammata acceperat) poſita inter ejus Opuſcula pag. 220. et ſequ.

Coronidem egregio tuo operi *Auguſtinum Valerium* imponere voluiſti, idque jure merito, quippe qui illi eſſes ſumma familiaritate conjunctus, ab eoque amareris plurimum; ego vero, qui illum puer in gymnaſio Veneto philoſophiam interpretantem ſemel audiveram, anno ſuperioris ſæculi 84. Cardinalem a Gregorio XIII. creatum, ac dum Veronæ eſſem, ſæpius ab eo humaniſſime exceptus ſum, meque illi obſervantiæ vinculo perpetuo addixi; de quo ſane neque ſine injuria ſileri, neque pro dignitate dici poteſt: ita enim erat virtute, ac doctrina perfectus, ut omni laudis genere excelleret; religione inſignis, pietate eximius, caritate in patriam ſingularis, animo ingenuo ac libero, ut in ampliſſimo ordine collocatus, nullum aſſentationi locum daret, gratia atque odio immunis liberrime ſententiam diceret, abſolutumque chriſtiani ſenatoris exemplar præberet; quem utinam, vel ſaltem ejus ſimiles difficillimis hiſce, ac turbulentis temporibus haberemus. Sed eo ventum eſt, ut dum unuſquiſque ſuis rebus conſulit, publica ſalus in diſcrimen vocetur. Hinc fit, ut compluribus nominibus præclare actum cum incomparabili hoc viro putem, tum ob id in primis felicem illum exiſtimem, quod in has procellas ac tempeſtates, quibus jactamur, non inciderit. etc.

Abbas Ferdinandus Vghellus in Epiſcopis Veronenſibus.

Obiit hic verecundæ (*fortaſſe* venerandæ) probitatis ſenex Romæ anno 1606. IX. Kal. Iunii, anno ætatis ſuæ 75. Epiſcopatus vero 41. cum jam factus eſſet Epiſcopus Cardinalis Prænestinus. Illius corpus relatum Veronam, tumulatum fuit, lacrimantibus cunctis, in Cathedrali cum hoc brevi epitaphio:

AVGVSTINVS. VALERIVS
CARD.
EPISC. VERONEN.
H. S. L
V. T. F. I

Fran-

Franciſcus Pola vir ſua ætate eruditiſſimorum hominum eximius, juſſu Bernardi Valerii V. C. et Alberti Epiſcopi, hos fecit titulos, ut proſternerentur in majori templo Veronenſi ad tumulum Navagerii, Valeriique Cardinalium:

BERNARDVS. NAVAGERIVS. CARDINALIS
VIRTVTE. SPECTATISSIMVS. ET. SANCTITATE
HIC. POSITVS. EST
V. ANNIS. LIIX. M. IV. D. XIIX
EX. IIS. EPISC. VERON. II
OBIIT. VII. KAL. IVL. M. D. LXV

OSSA
AVGVSTINI. VALERII. CARDINALIS
SEMPER. MEMORABILIS. ET. VBIQVE
ROMA. HVC. TRANSPORTATA. IACENT
VIX. ANNOS. LXXV. MENSEM. I. DIES. XVII
EX. QVIBVS. XLI. IN. HOC. EPISCOPATV
OBIIT. IX. KAL. IVNII. M. DC. VI

ALBERTVS. VALERIVS. EPISCOPVS. VRBIS. HVIVSCE
NAVAGERIO. CARDINALI. VALERIO. CARDINALI
PROAVVNCVLO. PATRVO
QVOS. DEVS. AMAVIT. VNVS
MVNDVS. COLVIT. OMNIS
HOCCE. FECIT. MONVMENTVM. MERITISSIMIS
M. DC. IX

Iuſſu Decurionum Veronenſium, ad ejus ſemiſtatuam cum gentilitio ſtemmate apud S. Nicolai Sacellum hoc inciſum proſtat elogium, anno 1639. poſitum:

ACCIPE. VIATOR. ACCIPE
SPECTACVLVM. ECCE. DIGNVM
AD. QVOD. TVO. INTENTVS. OPERI. RESPICIAS
AVGVSTINO. VALER. CARD
EPISCOPO. VERONENSI
INTER. QVEM. ET. DEVM
VIRTVTE. CONCILIANTE. OMNI
SVMMA. NECESSITVDO. FVIT. SVMMA. SIMILITVDO
MAGNO. BONO. SVO. ET. PARENTI
SPLENDIDISSIMVS. VERONENSIVM. ORDO
IDEMQVE. GRATISSIMVS
DECRETO. SVMTVQVE. PVBLICO
P.

IN-

INDEX OPVSCVLORVM

Quæ ſcripſit Auguſtinus Valerius, *S. R. E. Cardinalis*, *Epiſcopus Veronenſis*, *collectus partim ex Libello* de Cautione adhibenda in edendis libris, *partim ex* Catalogo *quem nobis Mediolano miſit Vir Clariſſimus* Ioſephus Antonius Saxus, *Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus*.

I. Oratio in funere Lazari Bonamici præceptoris ſui. pag. 8

II. Oratio in funere Petri Landi Venetiarum Principis. ibid.

III. Oratio in funere M. Antonii Triviſani Venetiarum Principis. ibid.

IV. Oratio in funere Franciſci Donati Venetiarum Principis. ibid.

Has Orationes ad veterum Græcorum imitationem ſcripſit Patavii anno ætatis ſuæ XVIII. *exercendi ingenii, acuendique ſtili cauſſa. Harum tamen nullam publice habuit.*

V. Epiſtola Conſolatoria ad M. Antonium Genuam, eximium Philoſophum Patavinum, præceptorem ſuum, in filii morte: magna ex parte ſumta ex Plutarchi Libello de Conſolatione ad Apollonium. *anno ætatis* XX. ibid.

VI. Libellus inſcriptus: *Petrus Franciſcus Contarenus Patriarcha*, ad imitationem Xenophontis in Ageſilao. *anno ætatis* XXV. 9

VII. Somnium de eodem Contareno ad Marinum Grimanum, propoſito ſibi ad imitandum Ciceronis Somnio Scipionis. *anno eodem*. 10. 31

VIII. Itinerarium, ſive Commentarius Legationis Bernardi Navagerii avunculi ad præſtandam obedientiam Paulo IV. Pont. Max. 10

IX. Libellus, qua ratione in Ariſtotelis lectione verſandum ſit, ad Leonardum Donatum. ibid.

X. Libellus adverſus barbariem in ſcribendo; in quo multa contra Arabes, & Scholaſticos (ut vocant) Philoſophos. 11

XI. Panegyricus Reipublicæ Venetæ, ad imitationem Iſocratis, Aloyſio Contareno inſcriptus. *anno ætatis* XXV. 12

XII. Senator Venetus, ad Oratoris Ciceroniani imitationem. 13

XIII. De Venetis claris Senatoribus, ad imitationem libelli Ciceronis de Claris Oratoribus. ibid.

XIV. De Studiis in quibus Venetus adoleſcens potiſſimum verſari debet, ad Aloyſium Contarenum. ibid.

XV. De Moribus qui in Veneto laudantur, ad Bernardum Zane. ibid.

XVI. De ſcribendis Epiſtolis, ad Thomam Contarenum. ibid.

XVII. Libellus hortatorius ad Iuſtinianum Contarenum. ibid.

XVIII. Opuſculum de Ratione Studiorum, ad Laurentium Priulum. 13. 14

XIX. Diſſertatio in qua conatur demonſtrare, Cometam qui tunc apparuerat, calamitatem minime portendere, ad Marinum Grimanum. 14

XX. Libellus de Tempore.

XXI. Alter de Loco.

in quibus, confutatis aliorum Philoſophorum opinionibus, ſententia Ariſtotelis latine et eleganter explicata continetur. ibid.

XXII. Meditatiunculæ quædam, cum per tres integros menſes Obſopi perquam moleſta et periculoſa ægritudine afflictatus eſſet, *anno ætatis* XXVIII. 15. 16

XXIII. Præfationes XI. ab Auctore Venetiis habitæ, cum Moralem Philoſo-

loſophiam Venetis adoleſcentibus explicaret, in quibus ſacram Theologiam cum Philoſophiæ ſtudio conjungendam eſſe, oſtendit. *edita fuere*. 17

XXIV. De recta philoſophandi ratione Libri duo. *editi item ſunt*. ibid.

XXV. De conficiendis Commentariis Commentarius, in quo ordo in ſcientiis, et artibus indagatur, ad Aloyſium Contarenum. ibid.

XXVI. Dialogus de Ambitione, ad Ioannem Grittum. 18

XXVII. Epiſtola qua laudatur Liber Hieronymi Oſorii de Iuſtitia. *edita primum fuit ſine Auctoris nomine una cum eodem libro, deinde recuſa eo addito*. ibid.

XXVIII. Libellus quo oſtendit, refelli poſſe argumenta Ariſtotelis de mundi æternitate. ibid.

XXIX. De Animorum immortalitate Liber. ibid.

XXX. Hortatorius ad Nicolaum Barbadicum, ut more majorum Venetiis cauſſas ageret. 19

XXXI. Conſolatorius ad eumdem in obitu fratris. ibid.

XXXII. De Iuris Civilis, et Canonici ſtudio Philoſophiæ anteponendo, ad Iulium Guidam, qui fuit poſtea Canonicus Veronenſis. ibid.

XXXIII. De Conſolatione in quocumque caſu, ſumtis e Philoſophia remediis, præſertim ex Epicteto, ejuſque enarratore Simplicio, additis exemplis non paucis e Venetorum hiſtoriis. *Præterea opus hoc incepit, ſed numquam abſolvit*. 20

XXXIV. Tragœdia, Italica qua nunc utimur lingua, ad imitationem Sophoclis, et Euripidis, argumento petito ex nece Muſtafæ, Turcarum Imperatoris primogeniti, a patre juſſa; *quam Tragœdiam nondum abſolutam in ignem Auctor ipſe injecit*. ibid.

XXXV. Dialogus de fugiendis honoribus, ad Bernardum Navagerium avunculum. 21

XXXVI. Convivium Noctium Vaticanarum, ſcriptum Romæ, jucunda quadam ſententiarum varietate refertum, a Sperone Speronio probatum. 22

XXXVII. De utilitate quæ ab iis qui Romæ vivunt percipi poteſt, ad Carolum Cardinalem Borromæum. *ex Ambroſiana Bibliotheca*.

XXXVIII. Conſolatoria ad eumdem in Federici fratris funere. ibid.

XXXIX. Sancti Baſilii Libellum de Virginitate, in latinam linguam vertere cœpit anno 1562. Gulielmo Protonotario Sirleto hortante, ſed verſionem imperfectam reliquit. 23

XL. Commentarius de Conſolatione Eccleſiæ, ad Michaëlem Ghiſilerium Cardinalem Alexandrinum, qui poſtea Pius V. Pont. Max. 20. 23. 56

XLI. Sermones quamplurimi vulgari lingua, in Congregationibus, in Synodis, in Viſitationibus, et ad Monachas habiti, dum eſſet Veronæ Epiſcopus. 25

XLII. Item alii ſolemnibus ſingulis diebus ex ſuggeſtu habiti ad populum Veronenſem, in Eccleſia Cathedrali. 25. 26

XLIII. De Acolythorum diſciplina Libri duo, ad Acolythos Eccleſiæ Veronenſis, juſſu Auctoris editi. *Venetiis 1571. apud Dominicum Nicolinum in 24. Veronæ 1583. 4. in calce Rhetoricæ Eccleſiaſticæ ejuſdem*. 26. 39

XLIV. Opuſculum de Legatione, ad Aloyſium Contarenum, Venetæ Reipublicæ ad Carolum IX. Galliæ Regem, legatum; ad imitationem Proſperi Sanctæ Crucis, qui poſtea Cardinalis fuit, a quo egregius ejuſdem argumenti liber ſcriptus exſtat. 26

XLV. Ad Nicolaum Tomiſcum Polonum, adoleſcentem catholicum, ex parentibus hæreſis labe infectis, cum in Poloniam rediiſſet, libellum ſcripſit, cui titulus erat: *quatenus cum hæreticis eo in regno ei verſandum eſſet, et quomodo illi fugiendi*. ibid.

XLVI. Bernardi Navagerii Cardinalis Vita,

Vita, ad Ioannem Aloyſium Navagerium ejus filium; propoſitis ſibi ad imitandum Sanctorum Vitis a D. Gregorio Nazianzeno conſcriptis. *edita Veronæ*. 1602. *apud Angelum Tamum* 4. *in hoc vero volumine multo correctior prodit*. 27

XLVII. De Rhetorica Eccleſiaſtica Libri tres, hortatu D. Caroli Borromæi, et P. Franciſci Adorni e Soc. Ieſu, quos octies editos Auctor adhuc ſuperſtes, et vigentis ætatis, teſtatur. *Editiones bujus Operis quæ nobis innotuerunt, hæ ſunt: Venetiis*. 1574. 8. *Coloniæ*. 1575. *Pariſiis*. 1575. 8. *a Thoma Brumennio bibliopola Io. Franciſco Mauroceno Reipublicæ Venetæ apud Galliæ Regem legato, dicata. Ibidem*. 1576. 8. *Venetiis*. 1578. 4. *una cum Rhetorica Aloyſii Granatenſis*. *Veronæ*. 1583. 4. *Ienæ*. 1668. 8. *Patavii*. 1672. 8. 27. 28

XLVIII. Prælectiones tres publice habitæ, audiente univerſo Clero Veronenſi, qua ratione Rhetorica Eccleſiaſtica perlegi poſſit, et qua cum utilitate. *cum Rhetorica impreſſæ paſſim circumferuntur*. 28

XLIX. Libellus de nefario auſu in Carolum Cardinalem Borromæum. ibid.

L. Epiſcopus, ſeu de optima Epiſcopi forma, hortatu D. Caroli, ad eumdem. *Opuſculum hoc præ ceteris omnibus Lucubrationibus ſuis amavit Valerius. editum eſt juſſu D. Caroli primum Mediolani cura Petri Galeſini; deinde Veronæ apud Diſcipulum*. 1586. *in* 4. *una cum Cardinali, Valerii libro, et Epiſtola S. Iſidori Peluſiotæ latine reddita a Petro Galeſino, Silvio Antoniano curante. item ibidem*. 1604. *in* 4. 29. 30. 37

LI. Homiliæ pluſquam centum ad uſum Parochorum Diœceſis Mediolanenſis, illo ordine ſervato quem ritus Ambroſianus multos jam annos adhibuit in recitandis Evangeliis; ſuadente item D. Carolo; quas omnes unum in volumen redactas Federico Cardinali Borromæo, Divi patrueli, nuncupavit. *Silvius Antonianus in eaſdem copioſam et elegantem admodum præfationem ſcripſit*. 29. 30

LII. Liber de amiſſa Nicoſia, ad conſolandum Philippum Mocenicum illius civitatis Archiepiſcopum; aliqua ex parte ſumtus ex D. Gregorii Nazianzeni Oratione in plagam grandinis. 30

LIII. Cardinalis, ſive de optima Cardinalis forma, ad Antonium Caraffam Cardinalem ampliſſimum, ejus hortatu. *Hic liber Silvio Antoniano curante editus eſt Veronæ*. 1586. *in* 4. *apud Diſcipulum, una cum Epiſcopo, et Vita D. Caroli, Valerii Lucubrationibus; recuſus ibidem*. 1604. 4. 30. 37

LIV. Libellus in quo omnia quæ anno 1575. cum peſtilentiæ ſuſpicione laboraretur, Veronæ acciderunt, complexus eſt. *editus ſine Auctoris nomine*. 31

LV. Somnium de Carolo Cardinali Borromæo, de cujus obitu falſus Veronam rumor allatus erat, ad imitationem Somnii Scipionis. ibid.

LVI. De Virginitate Liber, ad Donatam ſororem, quæ apud Io. Aloyſium fratrem ſuum cum laude vivebat. *Italica lingua*. 32

LVII. De inſtitutione, et recta diſciplina feminarum quæ matrimonio junctæ ſunt, ad Lauram ſororem, quæ Georgio Gradenico, erudito viro, et præſtanti Senatori, nupſerat. *Italica lingua*. ibid.

LVIII. De Viduitate, ad Hadrianam Contarenam juniorem, viduam. *Italica lingua*. ibid.

LIX. Liber de ſtatu Monialium, ad Moniales Veronenſes. *Italica lingua*. 32. 33

LX. De conſcribenda Hiſtoria, ad Aloyſium Contarenum Equitem, Venetæ Reipublicæ Hiſtoriographum. *Italica lingua*. 32

LXI. Libellus ad Nicolaum Barbadicum, qua ratione *Bayli* munere Byzantii pro Republica fungendum illi eſſet. ibid.

LXII. Epiſtola longiſſima, vel potius Liber, de ſtudiis Senatore dignis, ad Aloyſium Contarenum, *Memoriale* inſcripta. *Italica lingua.* 33

LXIII. Alia ad Iacobum Surianum, qui magiſtratibus depoſitis omnibus, in PP. Theatinorum Congregationem ſe receperat; qua ejus probat conſilium, et religioſorum vitam ſenatoriæ vitæ præferendam argumentis quamplurimis oſtendit. *Italica lingua.* ibid.

LXIV. Epiſtola item longiſſima ad Iacobum Foſcarenum, qui, dum Turcicum arderet bellum, eique Iaderæ præfectura, totiuſque Dalmatiæ tuendæ cura a Republica mandata eſſet, periculoſum munus detrectare videbatur; qua illum ad juvandam patriam, eo potiſſimum tempore, etiam cum rerum ſuarum et vitæ diſcrimine, hortatus eſt. *Italica lingua.* 33. 34

LXV. Alia ad eumdem, dum Cretæ inſulæ adminiſtrandæ provincia ipſi a Senatu tradita fuiſſet; in ea, et ſuperiori, quanta patriæ debeamus, oſtenditur. ibid.

LXVI. Apologia, ſeu Libellus, ad Clerum ſuum, *cur Conſtitutiones ipſe hactenus non ediderit*; qua multitudinem Conſtitutionum non valde videtur probare. *Edita eſt Veronæ apud Diſcipulum* 1589. 4. *in calce Conſtitutionum Io. Matthæi Giberti Epiſcopi Veronenſis, quæ ab ipſo Valerio recognitæ, notationibus illuſtratæ, atque ad Concilii Tridentini decreta revocatæ ſunt.* 34

LXVII. Paſtorales Epiſtolæ initio Viſitationum Apoſtolica auctoritate ſuſceptarum, Dalmatiæ, Hiſtriæ, Venetiarum, Patavii, et Vicentiæ. 34. 35

LXVIII. Conſtitutiones ad Dalmatiæ provinciæ uſum, conſentientibus omnibus Epiſcopis. *edita fuere.* 35

LXIX. Aliæ ad uſum Hiſtriæ accommodatæ. *edita.* ibid.

LXX. Liber parænetieus Conſtitutionum Venetarum, a Valerio, et a Campeggio, qui Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Venetiis Nuntius erat, ſimul editus eſt, cum ambo viſitandi munere functi eſſent; magna Parochorum utilitate. ibid.

LXXI. Hiſtoria de rebus geſtis Venetorum delineata. *In Ambroſiano Catalogo, Hiſtoria de rebus geſtis Venetorum confunditur cum ſequenti Opere, ſed ab Auctore ipſo, et ab Vghello ſejungitur. hujus exemplar exſtat apud Clariſſ. Virum Bernardum Triviſanum, Patricium Venetum.* 56

LXXII. Opus multarum vigiliarum in XIX. libros diſtinctum, cui eſt ſcopus, adulterinæ prudentiæ regulas confutare, prudentiam cum pietate conjungere, e rebus geſtis præſertim Venetorum, utilitatem proponere legentibus, ad fratris, et ſororis filios. *non fuit ab Auctore recognitum.* 35. 36. 56

LXXIII. Homiliæ in Paſſione Domini XLIV. D. Caroli hortatu. 36. 56

LXXIV. SS. Epiſcoporum Veronenſium Antiqua Monumenta, *et aliorum Sanctorum quorum Corpora, et aliquot quorum Eccleſiæ habentur Veronæ, per Raphaëlem Bagatam, Archipresbyterum Eccleſiæ SS. Apoſtolorum, et Baptiſtam Perettum, Rectorem Eccleſiæ S. Teuteriæ, ſummo ſtudio ac diligentia collecta. Eorum fere omnium SS. Hiſtoriæ ab iiſdem collectæ, et ab Auguſtino Valerio Epiſcopo Veronæ contextæ. Index præterea SS. Reliquiarum quæ in Eccleſiis ejuſdem Civitatis reperiuntur. Venetiis.* 1576. 4. *apud Andream Bocchinum, et fratres.* 36

LXXV. Concio de onere Epiſcopatus et Cardinalatus, hortatu D. Caroli, habita Veronæ in Cathedrali Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia, die SS. Innocentium, quo Cardinalatus inſignia ei allata fuere; in magna populi frequentia, præſentibus etiam magiſtratibus. *excepta fuit a P. Alexio Figliuccio, Ord. Prædicat.* 36. 37

LXXVI. Innumerabiles Epiſtolæ ad Car-

Cardinales, Epiſcopos, Principes, Venetos Senatores, et alios quamplurimos, quas ſcripſit dum Cardinalis eſſet. 37

LXXVII. Homiliæ in Paſſione Domini auctæ. ibid.

LXXVIII. Vita D. Caroli ad Antonium Cardinalem Caraffam, *edita primum Romæ, deinde una cum Epiſcopo, et Cardinali, Auctoris libris, Silvio Antoniano curante, Verona, ut alibi dictum eſt.* 30. 37

LXXIX. De occupationibus Diacono Cardinali dignis, ad Federicum Cardinalem Borromæum, D. Caroli patruelem. 38

LXXX. De Conſolatione Eccleſiæ, ad Aſcanium Cardinalem Columnam libri VI. 38. 39. 56

LXXXI. De Cautione adhibenda in edendis libris, ad Silvium Antonianum, qui poſtea Cardinalis fuit; anno ætatis lviii. *Liber e tenebris nunc primum a nobis erutus.* 3. 39. 56. 58. 59. 60

Dum hoc Opuſculum dictaret, inchoaverat

LXXXII. Libellum de utilitate capienda ex corporali ægritudine, Cardinali Sfortiæ inſcribendum. 39. 57

LXXXIII. Alterum vero de fugiendis honoribus, Federico Cardinali Borromæo nuncupandum; quos etiam abſolvit, ut conſtat ex Catalogo integro Valerii Opuſculorum, ex Ambroſiana Bibliotheca depromto. ibid.

Hactenus ex Opuſculo de cautione adhibenda etc. *Quæ ſequuntur, ſumta ſunt ex Ambroſianæ Bibliothecæ Catalogo.*

LXXXIV. Opuſculum de inveſtigandis remediis tentationum paſtoralium, ad Nicolaum Cardinalem Cremonæ, qui poſtea fuit Pontif. Max. Gregorius XIV.

LXXXV. Somnium in Conclavi quando creatus fuit Vrbanus VII. P. M.

LXXXVI. De utilitate capienda ex Conclavi.

LXXXVII. Somnium de Carolo Cardinale S. Praxedis.

LXXXVIII. Libellus italica lingua ad Albertum nepotem, Epiſcopum Famauguſtanum, et Coadjutorem Veronæ, qui inſcribitur: *Iſtruzione.*

LXXXIX. Somnium in Aedibus S. Praxedis, ad Federicum Cardinalem Borromæum.

XC. De Benedictione Agnorum Dei a Gregorio XIV. Pont. Max. an. 1591. peracta, ad eumdem Gregorium. *Exſtat cum Onuphrii Panvinii opere de Baptiſmate Paſchali; impreſſo Romæ* 1656. 8. *pag.* 165.

XCI. Libellus conſolatorius ad eumdem Gregorium XIV. Pont. Max.

XCII. De ultimo Sermone Gregorii XIV. Pont. Max. ad Cardinales habito.

XCIII. Dialogus de lætitia Chriſtiana.

XCIV. Soliloquium in Conclavi in quo creatus fuit Clemens VIII. Pont. Max.

XCV. Commentarius viſitationis Clementis VIII. Pont. Max.

XCVI. An aliquid addi poſſe videatur Libro de Sacri Conſiſtorii conſultationibus a Cardinale Palæoto conſcripto.

XCVII. De Senectute recreanda, ad eumdem Cardinalem Palæotum.

XCVIII. Quod oporteat ſemper orare, præſertim pro Romano Pontifice, Chriſti Vicario.

XCIX. De Senectute Mundi.

C. De utilitate, et dono lacrimarum, ad Federicum Cardinalem Borromæum.

CI. De comparanda, ac tuenda boni Principis exiſtimatione, ad Ducem Vrbinatem.

CII. De occultis Dei beneficiis.

CIII. Qua ratione monendi ſint detrahentes Reipublicæ Venetæ.

CIV. De cautionibus adhibendis his temporibus a Clericis in diſputando.

CV. Cavendum eſſe, ne quiſpiam ſibi ipſi

ipſi nimium credat, ad Federicum Cardinalem Borromæum.
CVI. De cauta imitatione Sanctorum Epiſcoporum, ad eumdem.
CVII. Libellus conſolatorius ad eumdem Federicum Cardinalem Borromæum, de obitu ejus matris.
CVIII. De memorabili die decimoſeptimo Septembris anni M.D.XCV. ad eumdem Federicum Cardinalem Borromæum. *De hoc die vide Chronicon Magnum et Selectum Io. Baptiſtæ Riccioli e Soc. Ieſu pag.* 209.
CIX. De paterna caritate Clementis VIII. Sum. Pont. erga ampliſſimum Regnum Galliæ.
CX. Hiſtoria anni Iubilæi M.DC.
CXI. Apologia ad Veronenſes.
CXII. Homiliæ centum ad uſum Parochorum Mediolanenſium. *ſed duodecim tantum a Cl. Saxo ſunt reperta.*
CXIII. Homilia in feſto S. Martini.
CXIV. Homilia in feſto S. Antonini.
CXV. Homilia in feſto S. Romani.
CXVI. Homilia in feſto S. Clementis.
CXVII. Homilia in feſto S. Andreæ.
CXVIII. Homilia in feſto S. Cæciliæ.
CXIX. Homilia in Baptiſmo S. Ambroſii.
CXX. Homilia in feſto S. Nicolai.
CXXI. Homilia in nocte Nativitatis D. N. IESV CHRISTI.
CXXII. Homilia in aurora Nativitatis D. N. IESV CHRISTI.
CXXIII. Homilia in Dominica quarta poſt Epiphaniam.
CXXIV. Homilia in Dominica quinta poſt Epiphaniam.
CXXV. De eximia Clementis VIII. humanitate, et indiciis plurimis paterni amoris erga Rempublicam Venetam, ad Bernardum Valerium.
CXXVI. Quod cum animi tranquillitate in vocatione in qua vocatus eſt, maneat. Ad Auguſtinum Valerium fratris filium.
CXXVII. De reverentia, et obedientia erga Romanum Pontificem, Chriſti Vicarium.
CXXVIII. Dialogi xxx. dierum canicularium, habiti in aula magna S. Marci Romæ.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. Frà Tommaſo Maria Gennari, Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Auguſtini Valerii S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Veronenſis, Opuſculum de Cautione adhibenda in edendis libris, &c. Item Orationes aliquot Patriciorum Venetorum*, non eſſer coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica; e parimente, per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Giuſeppe Comino*, Stampatore in Padova, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.
Dat. li 13. Febraro 1718.

(Alviſe Piſani Cav. Proc. Rif.
(Giovanni Paſqualigo Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

A V-

AVGVSTINI VALERII
S. R. E. CARDINALIS
EPISCOPI VERONENSIS
OPVSCVLVM
DE CAVTIONE ADHIBENDA
IN EDENDIS LIBRIS
AD
SILVIVM ANTONIANVM.

AVGVSTINI VALERII
S. R. E. CARDINALIS
EPISCOPI VERONENSIS
OPVSCVLVM
de cautione adhibenda in edendis libris
AD
SILVIVM ANTONIANVM.

OPTAVERAT non ignobilis quidam philoſophus, ut in pectoribus noſtris feneſtræ quædam exſtarent, quibus animi ſenſus dignoſcerentur: quod ſi opifex naturæ Deus humano generi conceſſiſſet, minime neceſſarius fuiſſet ſermo, multo minus ſcriptio. Sed certe non expedierat omnia nota eſſe omnibus ad humanam ſocietatem conſervandam, et ad concordiam retinendam. Rationis, et orationis munere inſignivit cæli, ac terræ rex dominus Deus præclarum animal hominem: delectatus eſt obſequio hominis, ejus cultu, ejus obedientia, ejus laudatione: ad ſe laudandum, et ad ſe imitandum beneficiis in alios conſerendis, mente, et facultatibus aliis animi, et lingua ipſa, vociſque organis ornavit eumdem hominem, qui ratione aliqua ceteris hominibus eſſet veluti

Deus, hoc eſt inſtrumentum divinorum beneficiorum, quibus alii erudirentur, et meliores fierent; civitates, reſpublicæ, regna ipſa conſervarentur. Vt autem beneficum animal homo beneficentiam extenderet ſuam, et ea quæ divinitus ei conceſſa ſunt munera, ingenium, judicium, variarum rerum ſcientias, quibus alii doctiores, et meliores fieri poſſent, communicaret, divino beneficio notæ quædam, quibus præſtantium virorum doctrina ad poſteritatem etiam perveniret, repertæ ſunt, imprimendorumque librorum ars ad uſum vocari cœpta eſt; cum antea in papyro, ac in membranis quibuſdam monumenta literarum cuſtodirentur; quæ cum non ita facile ad plurimorum manus pervenirent, doctorum hominum numerus multo minor fuit.

2. Num autem praeſtantiores in omni literarum genere exſtiterint, qui ante inventam artem imprimendorum librorum floruerunt, non ſatis explorata res eſt, immo dubia valde. nam multi cum in præſtantiſſimos libros inciderent, illos deſcribebant, et memoriæ illa ratione commendabant: in deligendis etiam libris diligentiam adhibebant, ne in rebus minime neceſſariis, et non admodum utilibus, tempus conſumerent, et minimo cum fructu laborarent. Vbi vero tam facile libri imprimi cœperunt, amputanda quædam luxuries ingeniorum apparuit: ſcripturire quamplurimi cœperunt: ingens librorum copia rempublicam literariam perturbat: librorum multitudine opprimimur, aut ſaltem obruimur. Hinc, a grammaticis neſcio quibus in arte rhetorica verſatis editos libros pii viri queruntur, quibus eccleſia ſancta Dei perturbata eſt, renovatæ hæreſes, innumerabilium mortalium corrupta ingenia. Quas ob cauſſas diſceptatum eſt, et non immerito, interdum inter pios, et eruditos viros, profueritne, an potius obfuerit typographica imprimendorum librorum ars. nam et ante tantam edendorum librorum facilitatem ſacroſancta biblia a piis viris ſtudioſe legebantur, et commentariis illuſtrabantur: ſancti doctores Dionyſius Areopagita, Baſilius, uterque Gregorius, Nazianzenus, et Nyſſenus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Damaſcenus: ſancti etiam doctores eccleſiæ qui latine ſcripſerunt, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gre-

Gregorius, Cyprianus, Hilarius, et reliqui in manibus erant omnium; et ſanctus Thomas ſanctiſſimorum virorum doctiſſimus, cum commentarium ſancti Chryſoſtomi in ſanctum evangeliſtam Matthæum in ejus manus perveniſſet, theſaurum ſe reperiſſe exiſtimans, ſua manu illud totum deſcripſiſſe fertur, induſtriam Demoſthenis imitatus, qui Thucydidis ſcripta non ſemel, ſed octies deſcripſerat.

3. Et profecto ſi quis præſtantiſſimos viros, qui antequam ars imprimendorum librorum eſſet reperta, floruerunt, cum illis qui poſt eam repertam centum, et amplius ab hinc annis doctrinæ famam ſunt conſecuti, comparaverit, vereor ne recentiores multo inferiores antiquioribus dignoſcantur; quamquam non negaverimus, excellentes plurimos viros poſt artem imprimendorum librorum repertam exſtitiſſe, ingenio præſtanti, judicio acri, et varia, ac recondita doctrina præditos, Cajetanum, Alphonſum de Caſtro, Sotos, et alios multos in quacumque facultate. Problema ſane dubium eſt, utilitateſne, an incommoda, tanta librorum copia attulerit populo Dei, et hæc edendi proclivitas.

4. Quamobrem pii, et docti viri vehementer aliquando optaverunt, ut in edendis libris major cautio adhiberetur, in libriſque examinandis maxima poneretur diligentia: libros, quibus mores corrumpi poſsent, quibus deteriores lectores evaderent, quibus legentes ſolum voluptatem caperent, non liceret imprimere, ne lectio malorum librorum, aut ſaltem inutilium, lectionem bonorum ſcriptorum retardaret. Et in jure civili, et canonico, in philoſophia, et in omnibus artibus deſiderata eſt vehementer hæc moderatio, ut illo verſiculo Horatii res hæc tota examinaretur:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci;

ut utilitate dulcedo miſceretur, ederent homines, quæ ceteris utilitatem, et voluptatem eſſent allatura.

5. Sunt quidam viri, et ſuperioribus ætatibus fuerunt, difficili ingenio, et faſtidioſo, ut ita dicam, judicio, qui recentiorum virorum labores prorſus contemſerunt, neminem ſatis eruditum virum judicaverunt poſt veteres, qui maximam auctoritatem doctiſſimis ſuis libris ſunt conſecuti, Platonem, et

Ariſto-

Ariſtotelem in philoſophia, eorumque interpretes Iamblichum, Proclum, Themiſtium, Alexandrum Aphrodiſienſem, Averroëm; poſt Demoſthenem, Ciceronem, et alios præſtantes oratores; poſt inſignes ſcriptores græcos, et latinos doctores nuncupatos, Baſilium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, et alios quoſdam; poſt beatum in primis Thomam Aquinatem; in jure civili poſt Bartolum, et Baldum; in jure canonico poſt Innocentios, et quoſdam alios, neminem eſse, qui cum laude poſſit ſcribere. vanos homines nuncupantes, qui ſcriptionibus tempus conterunt. Severe, aut, rectius ut dicam, faſtidioſe nimium: omnibus enim ætatibus naſcuntur divino beneficio viri ingenio, et judicio præſtantes, qui aut excogitare aliquid, aut ſaltem explicare dilucidius, vel novis exemplis ex his temporibus ſumtis magis illuſtrare poſsunt ea, quæ ſunt obſcuriora; aut ſi non poſsunt, præclaras res aggredi eſt laudabile, et ſibi ipſis ſcribere, affinibus ſuis, concivibus ſuis, et amicis, ſane tolerabile eſt. liberalis etiam voluptas, quæ ex ſcriptionibus percipitur, permittenda eſt, præſertim cum vita hominum ſine voluptate duci non poſſit; et inter bonos, et malos viros hæc præcipua ſit differentia, quemadmodum ſcripſit Plato, ut boni honeſtis, mali turpibus delectentur voluptatibus.

6. Verumtamen et in ſcribendis novis libris, ſed maxime in edendis, cautio adhibenda eſt maxima. Vitanda ſunt in primis hæc vitia, ne ea quæ graviſſimi, et doctiſſimi viri maximo ordine, et præclaro ſtilo tradiderunt, quiſque auſit ſua facere, nihil addendo quod ad legentium utilitatem aliqua ratione poſſit pertinere. vanorum hoc eſt hominum. poſsunt ipſi quidem ſibi ipſis ſcribere, ſed edere libros, qui novi nihil afferant, qui meliora deteriora faciant, hoc eſt obruere rempublicam literariam librorum copia, et inanem gloriam apud imperitum vulgus aucupari. Si quis res geſtas hujus ætatis in qua vivimus, ad veterem ſcribendi formam accommodet, præcepta veterum philoſophorum, et ſcripta ſanctorum theologorum ad uſum eccleſiæ, ad exſtirpandas hæreſes, ad mores informandos redigat, ſanctæ matris eccleſiæ, aut civitatis in qua natus eſt, aut æqualium, et amicorum quorumdam commodis

con-

conſulat; quis hujuſmodi ſcriptiones non admittat? quis induſtriam eorum non laudet qui ſacros libros explicare magno ſtudio, magna diligentia nituntur, quamquam explicatoribus veteribus abundemus? Adhibenda moderatio eſt in deterrendis hominibus a ſcribendo: favendum eſt potius ingeniis: honeſta voluptas concedenda eſt ſcribentibus, ne præclara quædam torpeſcant ingenia, ne alterius generis, et noxiis illis quidem voluptatibus corrumpantur.

7. Hæc ſæpe mecum, amice candide Silvi, conſideravi, et cum ſextumdecimum annum agens Patavium me contuliſſem, in nobiliſſimam illam totius Italiæ Academiam, tamquam ad mercaturam bonarum artium, forte fortuna, hoc eſt diſponente Deo (nos enim nomina caſus, fortunæ, fati ad paternam Dei providentiam referimus, nec efficientes cauſsas nobis occultas illas putamus) ſingulari ergo beneficio Dei contigit, ut eo ipſo tempore Bernardus Navagerius avunculus meus, quem tu Cardinalem noſti, qui te etiam mirifice dilexit, quo tempore Carolo Cardinali Borromæo ab epiſtolis eras, Patavii prætor eſset. Hic a prandio memoriter partem quamdam orationis, quam habuit in funere Andreæ Gritti Veneti principis, præſente Lazaro Bonamico, cui me diſcipulum dederat, recitavit. Ego, Silvi, ſic avunculum admiratus ſum, ita luminibus ingenii, et elegantia ſermonis, et gravitate ſententiarum, quibus illa oratio abundare mihi viſa eſt, ſum commotus, ita domeſtico exemplo ad latine ſcribendum excitatus, ut nihil cogitarem vehementius, nihil mihi magis ſtudio, et diligentia enitendum putavi, quam ſi orationem etiam ipſe aliquando eodem in genere poſsem conſcribere. Et quia illo ipſo die funebrium orationum, quas Andreas Navagerius habuerat, facta fuerat mentio, & laudationes veterum avunculus eo in genere laudaverat, illam Thucydidis egregiam, quamdam etiam Platonis in Menexeno, et Iſocratis, quæ inſcribitur Evagoras, et recentiorum etiam quaſdam, nihil mihi fuit prius, quam omnes orationes, quæ eo in genere ſcriptæ, et habitæ fuerunt, perquirere, eaſque admodum ſtudioſe legere.

8. Cum autem aliquot poſt annos Lazarus Bonamicus, quo præceptore eram uſus, ex hac vita migraſset, annum æta-

ætatis meæ decimumoctavum agens, orationem ſcripſi ejus in funere. virum liberalibus diſciplinis inſtructum, linguam græcam, et latinam callentem optime, qui in epiſtolis ſcribendis Horatium feliciter noſtro ſæculo eſt imitatus, probum, candidum, in amœno oppido Venetæ reipublicæ ſubjecto Baſſiani natum, qui me unice dilexerat, et ingenium meum qualecumque eſt, magni facere interdum pro amore in me ſuo conſueverat, laudandum ſuſcepi. Pius, ut opinor, labor meus juvenilis, et probatus bonis viris; nam præſtanda ſunt omnia officia in præceptores, quæ debentur patribus, cum de nobis laboribus ſuis, et ſua induſtria optime mereantur. In illa conſcribenda oratione imitatus ſum veteres græcos. cavi autem maxime, ne locos, quos avunculus meus in ſua tractaverat, transferrem in meam. id etiam feci ſtudioſius, quia ipſe lucubrationis illius meæ futurus erat judex. et in Petri Landi, Marci Antonii Triviſani, et Franciſci Donati Venetorum principum obitum funebres orationes etiam conſcripſi, exercendi ingenii, et acuendi ſtili cauſsa. Nullam harum orationum habere ſum auſus, quia me impeditum lingua eſse cognoveram, et non audebam, Silvi, prodire, et loqui in tanta frequentia hominum: admirabar, qui cum laude id poſsent præſtare. Orbatus fuerat magnæ ſpei filio Marcus Antonius Genua, quo magiſtro in philoſophia utebar: conſolatoriam longam quamdam epiſtolam ad eum ſcripſi, quam magna ex parte ſumſi ex eo libello, quem Plutarchus ad Apollonium ſcripſit de conſolatione. illa ipſa ætate non ſatis matura, cum viginti circiter attingerem annos.

9. Hanc veriſſimam ſententiam ad animi moderationem, et vitæ tranquillitatem in animo impreſseram meo, *cautionem maximam eſſe adhibendam in edendis libris*. Qua de re nunc ad te ſcribo, ut intelligant quicumque hunc libellum, cum ex hac vita migravero, legerint, quid ego ipſe de meis ſcriptis ſenſerim: quas potiſſimum ob cauſsas tot ſcriptionibus vitæ meæ, moleſtæ hujus peregrinationis, tempus tranſegerim. Impreſsa erat etiam alia ſententia divino beneficio meo in animo, ut omnium reprehenſionem non moleſte admitterem, communicarem facile lucubratiunculas meas, monitionibus amicorum dele-

delectarer, ex correctionibus etiam æmulorum maximum fructum perciperem, eos qui meis ſcriptis detraxerant aliquid, æquanimitate interdum mihi amicos facerem. hoc non minimum fuit Dei donum, Silvi; de quo ſæpe clementiſſimo patri, et domino, bonorum omnium largitori, gratias egi.

10. Vivebat eo tempore Petrus Franciſcus Contarenus, vir caſtiſſimis moribus, et multiplici, atque admiranda quadam eruditione præditus. interrogationibus, Socratico quodam more, videbatur vir ille docere eos quibus cum loquebatur: admittebat omnes ad colloquium, et domi, et apud bibliopolas certis quibuſdam horis. Admirabar ego adoleſcens tantam doctrinam cum admirabili modeſtia conjunctam; morum ſuavitatem, et philoſophicam, ac Veneto viro dignam gravitatem ſuſpiciebam. admirabar vitæ innocentiam, egregiam in Deum pietatem, optimamque ipſius voluntatem, non vulgaris erga me benevolentiæ ſuæ indicia dantem; clariſſimis enim teſtimoniis ſuis ornabat me ſæpe, et exiſtimationem augebat meam. Hic dum cenſoris munere fungeretur, urbis Venetæ patriae meæ Patriarcha a ſenatu, ad quem jus nominandi pertinet, Paullo Quarto Pontifice, nominatus eſt; qui cum graviſſimum illud onus, ut patriæ obſequeretur, non recuſaſset, ægritudine corporis impeditus, ſtomachi in primis imbecillitate, ea paſtoralis muneris documenta dare non potuit, quæ eximia ejus doctrina, et vitæ ſanctimonia pollicebantur. Ejus in morbo tolerando conſtantiam admiratus ſum ipſe ſæpe; cum vero in patriarchatu duos annos vix abſolviſset, obiit optimus, et doctiſſimus vir. Ipſe ad imitationem illius libelli Xenophontis qui inſcriptus eſt *Ageſilaus*, libellum conſcripſi, cujus fuit titulus: *Petrus Franciſcus Contarenus Patriarcha*. mores, et doctrinam hominis, quem mirifice dilexeram, et magna obſervantia adoleſcens eram proſecutus, deſcripſi Venetis, ut hac etiam ætate domeſtico exemplo, ejus in primis gentiles, ad varias virtutes imitandas excitarentur.

11. Et quoniam, quo tempore ipſe ex hac vita deceſſit, erat annus petitionis meæ; abſolveram enim vigeſimumquintum annum, quo tempore mihi licebat petere, ut in minorum præconſultorum numerum a Senatu deligerer; profecto

non audebam petere: deterrebar competitorum gratia, diligentia, et affinitatibus plurimis: verebar valde, ne in eo exercendo munere, ſi illum honorem conſequerer, exiſtimationis meæ jacturam facerem: linguæ tarditas me valde deterrebat. Rem miram audi. hic ipſe quem nominavi Patriarcha, in ſomnis mihi apparuit admodum hilaris: videbatur hortari, ut peterem, petitionem mihi bene ſucceſſuram polliceri. Ego Somnium Scipionis expergefactus legi, et ad imitationem Ciceronis Somnium ſcripſi, quod in manus plurimorum venit; eaque ſcribendi forma quamplurimi ſunt delectati. Redieram paucos ante menſes Roma, ubi fueram cum legatis, qui ad obedientiam præſtandam Paullo Quarto Summo Pontifici a republica fuerant miſſi, in quorum numero erat Bernardus Navagerius avunculus meus, qui ad eumdem Paullum Quartum elegantem orationem habuit, functus eſt deinde apud eumdem Pontificem legati munere. illius legationis commentarium, quem *Itinerarium* inſcripſi, cum in patriam rediiſsem, legendum tradidi quamplurimis. probata eſt valde æqualibus meis, ſenatoribus etiam magnis, diligentia illa mea. Illud ipſum Itinerarium, et Somnium, de quo mentionem feci, petebant pro me: hujuſmodi fuerunt fautores petitionis meæ.

12. Cum ſenatus liberalitate creatus eſsem minoris ordinis præconſultor (*ſapientes ordinum* hujuſmodi juvenes qui in collegium admittuntur, appellantur) publico hoc teſtimonio incredibiliter ad omnem laudem ſum incenſus. Opuſcula quædam, quæ ad adoleſcentes quos Patavii noveram præſtantes ingenio, et literarum ſtudiis deditos, ſcripſeram, vulgari cœpta ſunt; opinor ut ſenatus judicium laudarent homines, ut meam etiam aliqui, ut fieri ſolet, inirent gratiam, et benevolentiam mihi patefacerent ſuam. Scripſeram ad Leonardum Donatum, quem noſti, inter præcipuos nunc, et inſignes Venetæ reipublicæ ſenatores, librum, qua ratione in Ariſtotele eſset verſandum: non eruditum admodum librum, ſed ingenium philoſophiæ deditum oſtendentem, enitentem in primis hoc, ut philoſophia cum dicendi facultate conjungeretur. viſus ſum in eo libro vehementer amare græcos interpretes, et elegantem in philoſophicis quæſtionibus tractandis perſpicui-

cuitatem. Scripſeram etiam contra barbariem libellum neſcio quem, in quo fateor me ingenio indulſiſſe nimium meo, et illos, qui ſcholaſtici philoſophi appellantur, Averroëm etiam ipſum inter Arabes, quia in illis non fueram admodum verſatus, non tanti feciſse, quanti fortaſse faciendi ſunt. Hermolaum Barbarum, qui Caſtigationes Plinianas ſcripſerat, et Themiſtium in latinam linguam verterat, Hieronymum item Donatum, qui duos Alexandri Aphrodiſienſis libros latinos fecit, adoleſcens admirabar maxime: conjungendam eſse eloquentiam cum ſapientia diſserebam ſæpe: nimiam quorumdam ſubtilitatem in diſputando non probabam. minuti quidam philoſophi, qui eo tempore aliquo in honore erant, hanc meam de eorum ſtudiis ſententiam vituperare non audebant: meam hanc loquendi libertatem recte interpretabantur.

13. Veneti adoleſcentes ſcriptionibus meis delectari videbantur valde: Navagerius in primis avunculus meus mea ſcripta probare, me Navageriæ facundiæ heredem appellare, ſe lætari ſæpe dicere, quod ejus ſororis filius eſsem, parentibus meis gratulari, quod tantos in literis progreſsus facerem. Quo tempore pater meus, vir bonus, et in me, ſi umquam alius fuit, indulgentiſſimus, pro republica in Cypro inſula magiſtratum gerebat, et Navagerius Romæ legati munus exercebat, in eadem Cypro inſula Lucia mater mea mortua eſt; qua ex morte tanto mœrore confectus ſum, ut uberiores numquam in vita mea effuderim lacrimas; nam præterquamquod matrem amiſeram, quod maximam exiſtimavi jacturam, ea mater fuerat, quæ ingenio, dicendi facundia, nobilitate animi, et illis in primis virtutibus quæ in matribusfamilias requiruntur, maxime excellebat, et me primogenitum filium ſuum amore incomparabili diligebat. Hanc unice Bernardus frater amaverat, ad quam ſæpe ſcripſerat, gratulari ſe plurimum ei, quod filium haberet, qui Navageriorum facultatem ſcribendi æmularetur, et fortaſse eſset ſuperaturus. Qua in re avunculus, qui me paterno dilexit amore, amori indulgebat nimium.

14. Sed mirabile eſt, cum ſapiens ordinum eſſem, quanta conceperim animo ſupra ingenium, et ſupra vires meas, non in his quæ ad adminiſtrandam rempublicam pertinent, ſed in

ingenii exercitatione, in facultate dicendi augenda, in novis opuſculis excogitandis, et conficiendis induſtria magna, et labore pene infinito. Cum legiſſem panegyricum Iſocratis, et conſideraſſem amorem, quem in patriam egregius ille philoſophus, et orator magnus oſtendit, elegantiſſima illa oratione commotus ſum valde, et ad illum imitandum excitatus, et ipſe ea qua dixi ætate viginti quinque annorum aggreſſus ſum ſcribere panegyricum reipublicæ Venetæ; in quo conſcribendo maximam adhibui diligentiam, et figuris ſententiarum, et verborum orationem meam illuſtrare niſus ſum. juſta ſemper a republica ſuſcepta eſſe bella, jure ditionem Venetam auctam, ſponte nobiles civitates in reipublicæ poteſtatem veniſse, rationibus plurimis oſtendere ſum conatus. et, vere ut dicam, et ſcribens panegyricum illum voluptatem capiebam maximam, et poſtquam illum abſolveram, legens incredibiliter ſum delectatus. Corrigendum illum tradidi avunculo meo, quem nominavi, Navagerio: judicium etiam literatorum hominum; quorum familiaritate ſum ſemper uſus, de illo, et de omnibus meis opuſculis exquiſivi. Cum viginti poſt annos ſemel libellum quem admirabar, legiſsem, vere ut dicam, non mihi probatus eſt valde. Aloyſius Contarenus, qui Gaſparis Cardinalis fratris filius fuerat, et ſex annis minor me erat, modeſtiſſimis moribus præditus, et diſcendi flagrans cupiditate, panegyricum, et opuſcula mea et legebat ipſe libenter, et lectitabat ceteris æqualibus ſuis. ad ipſum panegyricum, et opuſcula etiam alia, de quibus mentio fiet, miſeram.

15. Sed res fuit mirabilis (non arbitror vituperanda, nec tamen laudanda, quia audax judicari poteſt, et a quadam laudis cupiditate profecta) cum ſapiens ordinum eſſem, eo in munere diligentiam maximam adhibens, in ſenatu etiam bis loqui ſum auſus, et non infeliciter; gravem enim juvenem, ſupervacanea fugientem, eruditionem minime oſtentantem, reipublicæ utilitatem ſpectantem, ſenatorem gravem aliquando futurum, graviſſimi ſenatores dicebant. Nullum adhibitum fuerat a me exordium, aut perbreve; conciſa oratio, plane enthymematica, et valde morata, in qua nihil, aut parum admodum de me. Ipſe cum his ſenatorum vocibus maxime delectarer, vere

ut

ut dicam, tunc me aliquid eſse putavi; quod audax de me judicium non multos poſt annos reprehendi. Vide quantum miſerabilis juvenis mihi ipſi ſapiebam, et judicium meum quanti faciebam: ſapiens ordinum nondum vigeſimumſextum annum attingens, auſus ſum optimum Senatorem effingere, induſtriam præſtantiſſimi oratoris Ciceronis imitatus, qui librum reliquit, qui inſcribitur *Orator*. Iuvenilem ipſe agnoſcebam audaciam, quam ut excuſarem, dixi me ſermonibus Petri Franciſci Contareni, qui paullo ante e vita deceſſerat, et avunculi mei, quem antea nominavi, adjutum eſse plurimum: ab illis potius accepiſse, quæ ſcripſi. et revera ingenio indulgebam meo, et nihil in tota mea adoleſcentia cogitabam aliud, niſi præclarum aliquid ſcribere. Totum tempus ponebam in bonorum librorum lectione, et in colloquiis cum eruditis viris, in quorum numero erat Paullus Manutius, Carolus Sigonius, Ioannes Baptiſta Raſarius; et ante illos, admodum adoleſcens, Bernardi Feliciani, Ioannis Baptiſtæ Egnatii, Iovitæ Rapicii, Martialis etiam Rotæ, qui doctrinæ opinionem erant conſecuti, ſermonibus delectabar, et hortationibus ad labores perferendos ſum incenſus.

16. *Auſus ſum Senatorem deſcribere, judicium ferre de Senatoribus noſtris*, Ciceronem, qui de Claris Oratoribus ſcripſerat, imitatus. Hujus mei conatus, ne dicam audaciæ, non multos poſt menſes me valde puduit, et judicium illud, quod feceram, in extrema parte libri demendum cenſui. reſtat adhuc libellus, qui inſcribitur *Senator*, quem aliqui præſtantes judicio viri valde probaverunt. Et illis ipſis diebus, ut Aloyſio Contareno, et Bernardo Zane, lectiſſimis juvenibus, ſatiſfacerem, duos libellos conſcripſi, alterum de ſtudiis in quibus Venetus adoleſcens potiſſimum deberet verſari, alterum de moribus qui in Veneto laudantur; et de ſcribendis epiſtolis ad Thomam Contarenum, magnæ ſpei adoleſcentem, librum ſcripſeram; alterum ad Iuſtinianum ejuſdem familiæ, quem e fonte ſacri baptiſmatis ſuſceperam; libellos hortatorios pro mea ætate, et pro amore quo eorum familiam proſequebar. Ad Laurentium Priulum me natu minorem, qui magnam virtutum variarum exſpectationem excitaverat, opuſculum

lum de ratione ſtudiorum ſcripſi, quod interdum mihi valde placuit. Evaſit hic ſenator egregius: illum tu noſti Romæ oratorem reipublicæ negotia tractantem, ſua cum laude. Mirum fuit, cum crebris opuſculis, et communicatione meorum ſtudiorum multorum mihi benevolentiam conciliarem, quod in republica, in qua æmulorum plena ſunt omnia, in nullius umquam inimicitiam inciderim. hoc ipſum mearum ſcriptionum contemtui tribuerim. quod non magni facerem ſcriptiones meas, corrigendas, et reprehendendas exponerem omnibus, ex illiſque nihil aliud, quam liberalem voluptatem quærerem, hoc fuerat argumentum, quod nullum umquam ex meis libellis edendum permiſerim; non defuerant enim qui me ſæpe ad id eſsent hortati, ad exiſtimationem augendam.

17. Cometa apparuerat: calamitatem minime portendere, opuſculo quodam conatus ſum demonſtrare, quod ad Marinum Grimanum, qui nunc procuratoria dignitate eſt inſignitus; ad quem etiam Somnium, de quo mentionem feci, miſeram; ſcripſi: minime eruditum opuſculum; eleganter, et ornate potius ſcriptum. Uſus fueram cum eſsem Patavii, præter Lazarum Bonamicum, et Marcum Antonium Genuam, Baſſiano Lando magiſtro, qui libros Ariſtotelis græce conſcriptos mihi interpretabatur perſpicue ſatis: hortabatur me, et omnes qui ad illum accedebamus, ut elegantiam latini ſermonis cum philoſophicis dogmatibus conjungeremus. De Tempore unum libellum ſcripſi, atque etiam de Loco alterum, quibus nihil continetur aliud, niſi, confutatis aliorum philoſophorum opinionibus, ſententia Ariſtotelis, ut potui, latine, et eleganter explicata. Sed ille quem nominavi Baſſianus, in elegantia ſermonis perquirenda, et in contemnendis philoſophis illis qui latini, et ſcholaſtici nominantur, erat nimius; qua de re antequam ex hac vita diſcederet, illum monueram. vir alioquin ingenio, et varia eruditione præſtans erat.

18. Cum ipſe abſente patre, atque etiam avunculo, ſine favitoribus (favitoribus, ſi qui fuerunt, tantum opuſculis meis) ſapiens ordinum fuiſsem, tertio a petitione abſtinendum judicavi, denuo Patavium ad optimas diſciplinas percipiendas redeundum. Frequentabam publica gymnaſia multo diligentius:

do-

doctos homines qui in monaſteriis latitabant, perquirebam. tunc primum Patrem Franciſcum Adornum Genuenſem Societatis Jeſu novi, virum pietate egregia, et excellenti ac varia doctrina præditum, quem tu optime noſti, quem uſque ad extremum ſuæ vitæ amiciſſimum habui. Eo tempore Bernardus Navagerius avunculus meus, de quo ſæpe mentionem feci, cum altero legato Ioanne Capello, ad Ferdinandum, qui Carolo V. fratri ſucceſserat, Imperatorem legatus eſt miſsus. ipſe qui vix a latere avunculi diſcedebam, illum rogavi, ut quemadmodum cum ad Henricum Secundum, Patavii prætor, orator eſt profectus, comitatus illum fueram, liceret etiam mihi nobiliſſimæ hujus ſuæ legationis comitem eſse. non ſolum conceſſit quod petiveram, ſed magnopere etiam probavit, quod cuperem mores hominum cognoſcere, et uſum rerum cum cognitione literarum conjungere.

19. VII. Kal. Septembris legationis ſuæ iter inchoarunt legati. Tarviſium venimus iter unius diei. in febrim ego incido: celo febrim per duos, per tres etiam dies. ubi pervenimus Oſopum, quod eſt oppidum in ditione Savornianorum, ita ſe prodidit febris, tanta vis morbi facta eſt, ut nec celare illam potuerim, nec ulterius progredi ulla ratione mihi liceret. ægre, et fere cum lacrimis avunculus meus reliquit me Oſopi; quo in oppido tres integros menſes in lecto decubui ardentiſſima febri correptus, et maximo cum vitæ meæ periculo. Ibi accedente paroxyſmo, qui mihi aſſiſtebant, dixerunt me canere ſolitum alta voce, et ad Deum convertere ſermonem meum. res mira, Silvi; aliquorum verborum quæ protuleram, recordabar, cum febris ceſsaſset. ſcripſi etiam illas meditatiunculas. Utinam migrationis meæ tempore ſic loquar, ut tunc loquebar: utinam tam quieto animo exeam ex hac cuſtodia corporis, ut tunc exibam, annum vigeſimumoctavum agens, nondum ſacris initiatus, et in ſacræ theologiæ libris minus quam mediocriter verſatus. De morte mea nuntius allatus fuerat Venetias. acerba, et immatura morte præreptum juvenem, deinde ut audivi, non pauci dolebant. cum ſemivivus, et exſanguis fere Venetias rediiſsem, timebant medici, ne lenta febricula, miſerabili tandem tabe conſumerer: ve-

rum

rum cum æquales mei, lectiſſimi juvenes, ad me quotidie fere accederent, accederent etiam docti viri, et quidam etiam de ſenatoribus præcipuis, jucundiſſimis æqualium ſermonibus, variis, et eruditis colloquiis ita aliquorum menſium ſpatio ſum recreatus, ut aliquam recuperandæ valetudinis ſpem medici conciperent. Sex menſium ſpatio corporis vires ita ſunt roboratæ, ut priſtinam valetudinem recuperaverim. tantam, *Silvi*, dominus Deus mihi conceſſit valetudinem, ut ab illo tempore in nullam, niſi fortaſse in ephemeram, febrim inciderim.

20. Meditatiunculis illis, de quibus dixi, deinde mea omni in vita ſum valde delectatus. longa hæc corporis ægritudo, crebri plurimorum qui ad me accedebant, ſermones, neſcio quam mihi augebant exiſtimationem. Vis libere dicam? poſtquam convalui, habitus ſum doctior, facundior, et majoris ſpei, quam antea. Inter maximas utilitates quæ ex corporali ægritudine capi poſſunt, hæc etiam capitur, quod interdum augetur exiſtimatio, ſi tamen utilitas hæc eſt exiſtimanda; cum interdum major ſit exiſtimatio, quam virtus multorum hominum; in quorum numero et fuiſſe, et eſse me numquam negaverim. Non multos poſt menſes Iacobus Foſcarenus, qui philoſophiam publice profitebatur, advocator communis creatus eſt. Senatus nobilem Venetum ad philoſophiam docendam, eam in primis quæ eſt de moribus, patricium virum conſtituit deligere. tunc multi dicere me illi oneri ferendo eſſe idoneum, verſatum eſse plurimos annos in philoſophia, multa ſcripſiſse quæ philoſophicum neſcio quid redolerent: eſse me philoponum, erudiri a me poſſe adoleſcentiam Venetam. Ipſe munus honorificum optare, valde tamen timere, ne poſsem proloqui quæ animo conciperem, orare dominum Deum, ut quidquid gloriæ in primis ſuæ, deinde utilitati Venetæ juventutis conduceret, illa in petitione ſuccederet. Contra morem competitorum laudabam ipſe Iacobum Surianum, qui illud ipſum munus petebat. in philoſophia multo diligentius, quam ipſe, verſatus fuerat, progreſsus etiam majores fecerat: erat etiam ſatis facundus. Sed neſcio quo pacto (crediderim Bernardi Navagerii avunculi mei teſtimonio, et favore) multis ſuffragiis Surianum, et ceteros omnes qui petebant

ſupe-

ſuperavi, incredibili cum ejuſdem Navagerii lætitia. Vigeſimumoctavum annum agens ad philoſophiam nobilibus adoleſcentibus explicandam a ſenatu delectus, totum me philoſophis perlegendis tradidi. Nec Ariſtotele contentus, in quo multos annos fueram verſatus, non ſolum ejus omnes interpretes, ſed et Platonem, et Platonicos multos diligenter legi. Aliquot poſt menſes præfationem habui, cui interfuerunt quamplurimi ſenatores. illa ipſa præfatio, et fere decem aliæ quas habui, ſunt editæ; in quibus ſacram theologiam cum philoſophia conjungendam eſse oſtendebam, veriſſima dogmata ad veram felicitatem pertinentia, de Dei providentia, de ortu mundi, de immortalitate animi, de amandis virtutibus proponere non deſinebam; gravitatem neſcio quam ſententiarum cum verborum luminibus, quatenus interpretandi ratio patitur, quantum in me erat, conjungens. nobiliſſimarum familiarum non paucarum amorem, adoleſcentibus philoſophiam publice, dialecticam privatim interpretans, mihi, et domui etiam meæ conciliavi.

21. Tunc ſcripſi de recta philoſophandi ratione libros duos, qui piis viris probati, etiam ſunt editi. breves illi quidem, ſed dilucide, ut opinor, ſcripti, philoſophica adhibita modeſtia, quorum præcepta vehementer cuperem ut in quorumdam animis, qui philoſophiam oſtentant, imprimerentur. Neque hæc ſcribo, Silvi, ut me laudem; ſcio enim, quam in me fuerint ſemper, et ſint omnia minus quam mediocria; nec ut vitæ meæ curſum hac ratione exprimam. hæc, quaſi tecum loquar, commemoro, ut qua occaſione ſingulos meos libros ſcripſerim, narrem, et ut me cautum in edendis lucubrationibus meis fuiſse oſtendam, et hanc ipſam cautionem ſervandam eſse ab illis in quorum manus mea ſcripta pervenerint, hac mea ad amiciſſimum hominem ſcriptione, quam illis intelligo tecum communem futuram, quodammodo jubeam. De conficiendis commentariis neſcio quem commentarium ſcripſi, in quo viſus ſum ordinem in ſcientiis, et artibus indagare. ad illum ſcribendum me hortatus fuerat Aloyſius Contarenus: non ſatis deinde mihi probatus eſt ille commentarius: quamquam ſi quis illa præcepta ad uſum revocaret, utilitatem

aliquam caperet. Scripſeram etiam illo ipſo tempore de ambitione dialogum, quem miſi ad Ioannem Grittum; quem cum legiſsem, vere dicam, illum ſcripſiſſe me pœnituit; crediderim etiam a me ſcriptum fuiſse vigeſimum potius annum agente, quam dum philoſophiam profiterer. Eſt mos reipublicæ Venetæ, ut qui philoſophiam docet, antequam edantur libri, illos legat, et illa conſideret quæ ad mores pertinent. Hæreticæ autem pravitatis Inquiſitores ea quæ theologica dogmata continent, obſervant, et diſcutiunt. Traditus mihi fuerat legendus liber Hieronymi Oſorii de juſtitia, quem eleganti admodum ſtilo conſcriptum, et nihil contra bonos mores continere teſtatus ſum epiſtola quadam mea, quæ ſine meo nomine primum fuit edita; quamquam audio bibliopolas neſcio quos, aliquot fortaſſe poſt annos, illi epiſtolæ nomen meum addidiſse.

22. Quamvis autem in philoſophia incredibili cum animi voluptate verſarer, a philoſophicis tamen quibuſdam quæſtionibus valde abhorrebam, ut ſunt illæ de animorum immortalitate, et de mundi æternitate; quas tamen cum tractabam, oſtendebam, Ariſtotelem non demonſtrare firmis rationibus quidquid conabatur: vera eſse illa principia *ex nihilo nihil fit*, in natura condita, non antequam mundus conderetur: *animam eſſe* quidem *actu corporis formam ipſam*, advenire tamen extrinſecus; et Alexandri Aphrodiſienſis argumenta refellere conabar: intelligentiam rerum univerſalium, et appetitum quemdam immortalitatis, et animæ inquietudinem dum incluſa eſt in corpore, teſtari immortalitatem, pluribus verbis diſserebam, et ſumere conſueveram e beati Thomæ ſcriptis pleraque. Scripſeram etiam libellos duos, alterum quo probaveram refelli poſse argumenta illa quibus Ariſtoteles probat mundum eſse æternum, alterum de animorum immortalitate. politi mihi libelli viſi ſunt, pii potius, quam eruditi; quos, ut opinor, acuti philoſophi non magni feciſsent, contemſiſsent potius.

23. Vivebat, et optimis diſciplinis dabat operam eo tempore Nicolaus Barbadicus, tribus annis minor me natu, qui dum philoſophiæ operam daremus Patavii, me diligere, et plurimi

vide-

videbatur facere. is cum præclariſſimum a natura duxiſset ingenium, ad eloquentiam videbatur natus: ſcribebat latine egregie, et ſoluta oratione, et carmine. rogante me ejus patre, hortatus ſum illum libello ſatis longo, ut more majorum noſtrorum Venetiis cauſſas ageret, quod honorificum eſse demonſtravi: nonnullos e noſtris, qui principes deinde fuerunt, illo in munere fuiſse verſatos, et patrimonium ſuum auxiſse commemoravi. In eo libello vires quantulæcumque ſunt ingenii mei effundere conatus ſum. fuit ille deinde egregius ſenator Veronæ prætor, dum ipſe eſsem epiſcopus, cum collegam haberet Aloyſium Contarenum (qui in omnibus mihi obſequiis præſtandis certabant invicem): et pro republica Byzantii *Baili* munere fungens, ſuperioribus annis eſt mortuus; vir, qui ampliſſimos omnes magiſtratus in republica facile eſſet conſecutus; ad quem etiam paullo ante libellum de conſolatione, quem in fratris quem unice diligebat, morte conſcripſeram, miſeram. Et Iulii Guidæ, qui nunc eſt canonicus Veronenſis, illis ipſis temporibus familiaritate ſum uſus, ad quem opuſculum neſcio quod ſcripſeram, quo videbar juris civilis, et canonici ſtudium philoſophiæ ſtudiis anteferre. et ſæpe ſum miratus, cum in philoſophia tanto ſtudio, et tanta cum voluptate verſarer, quod juris civilis, et canonici ſtudium ſtudiis meis anteferrem. nugis quorumdam philoſophorum, et argutiis neſcio quibus mirandum in modum offendebar, et philoſophiam me amplexatum eſse interdum pœnituit; quamquam, ut ſæpe ex publico loco dixi, philoſophia quæ vere philoſophia eſt putanda, eſt benedictorum, et benefactorum mater, et magiſtra. Sed non immerito inanis quædam philoſophia in invidiam adducta eſt, quia plerique philoſophi *evanuerunt in cogitationibus ſuis, et ſtulti facti ſunt*, ut apoſtolicis utamur verbis.

24. Cum ſacroſancta hebdomada Prataleam me apud monachos ſancti Benedicti contuliſsem, ut divinis intereſſem officiis, cum ante aliquot annos legiſsem enchiridium Epicteti, ſtudioſe incidi in commentarium Simplicii in illum ipſum libellum conſcriptum, quem cum diligenter legiſsem, ad res externas contemnendas erudiebar magis. cum lectione com-

mentarii illius opuſcula quædam conjungebam Senecæ: ſpecioſis illis ſententiis alebatur ingenium meum. Quid vis? cogitavi tum maxime: aggreſsus ſum ſcribere de conſolatione, non de conſolatione eccleſiæ, cujus commentarium proximis menſibus ſcripſi, ſed de conſolatione in quocumque caſu, e philoſophia, non e theologia, ſumtis remediis. magnum opus, in quo aliquot menſes deinde verſatus ſum diligentiſſime; de virtute plurima, in primis de conſtantia, de contemtu rerum externarum, de hujus vitæ miſeriis, de animi immortalitate, de Dei providentia attuli quamplurima, et ornatius quam fieri a me potuit, explicare conatus ſum, locos afferens ad conſolandum in obitu parentum, filiorum, et amicorum, in corporali ægritudine, in repulſis, in perferendis calumniis, et in quibuſcumque rebus adverſis. attuleramque exempla non pauca a Venetorum deſumta hiſtoriis; quaſi vero audax Venetus Ciceronis de conſolatione librum, qui deſideratur, renovare ſperarem. Sed interpretandi munere occupatus, et aliis opuſculis ſcribendis diſtractus, opus illud non abſolvi, quod tam ardenti animo ſuſceperam.

25. Rem mirabilem audies, Silvi, et fortaſſe ridebis. illo ipſo tempore, dum ingenium ferveret meum, lectione poëtarum incredibiliter delectabar. auſus ſum tragœdiam ſcribere lingua italica: legeram tragœdias aliquot Sophoclis, et nonnullas Euripidis. Imperator Turcarum primogenitum ſuum Muſtafam jugulandum juſſit, et facinoris hujuſmodi illum pœnituit. Venit mihi in mentem præcepta Ariſtotelis in memoria habenti in libro de arte poëtica tradita, conſcribere tragœdiam. choros faciebam graviſſimas ſententias proferentes, et ferme per annum unum aliquam diei partem in hujuſmodi ſcriptione conſumſi. Sed in nulla ſcriptione mea ſeveriorem me fuiſſe memini; nam cum opus non feliciter progredi arbitrarer; quamquam nonnulli pondus ſententiarum, et gravitatem rerum quas afferebam, admirari viderentur, paginas multas quas delineaveram, in ignem ipſemet injeci; cujus meæ ſeveritatis, ſi vis libere dicam, interdum me pœnituit. Si a primis adoleſcentiæ meæ annis, quantopere carminibus, et muſicis cantibus genius delectetur meus, perſpexiſſem, diſtractus ſane fuiſsem

blan-

blanditiis facultatum illarum. Ariſtotelem interpretari non deſinebam, in ejus libris moralibus verſabar diligentiſſime: lectitabam etiam Platonem, Xenophontem, Plutarchum, et veteres bonos ſcriptores tum græcos, tum latinos: admirabar etiam ſanctum Thomam, in quo, cum theologiæ operam darem Patavii, docente theologiam magiſtro Hadriano, qui deinde fuit epiſcopus Iuſtinopolitanus, verſabar, præſertim in Summa, ad explicationem Ariſtotelis quædam applicans, quæ acutiſſimus, et doctiſſimus ille vir monumentis literarum conſignaverat. Epictetum adoleſcentibus Venetis etiam propoſueram, diebus quibus vacabamus, inter philoſophos pulchras ſententias afferentem, et adoleſcentiæ accommodatas valde ad illecebras voluptatum reprimendas, et ad admirationem rerum externarum aut tollendam, aut minuendam.

26. Cum annum trigeſimum agerem, quo tempore libros Ariſtotelis de moribus ſtudioſe legebam, ut ſequenti die auditoribus meis primi libri partem illam in qua agitur de felicitate hominis, explicarem, inexſpectatus nuntius ad ſenatum venit, Bernardum Navagerium avunculum meum, Cardinalem factum: pridie illius diei dialogum neſcio quem ipſi dederam legendum de fugiendis honoribus, in quo cum ipſo, et quibuſdam aliis Matthæum Dandulum, clariſſimum ſenatorem, loquentem faciebam. quem dialogum, cum dialogos Platonis, et Ciceronis iterum legiſſem, amare non valde potui: adulterinum potius ſum arbitratus, aut partum meum abortivum. Vbi magno cum totius reipublicæ applauſu cardinalitia dignitate Navagerius inſignitus eſt, avunculus, qui me paterna complectebatur caritate, mea uti cœpit opera in literis conſcribendis. me hortabatur, ut Romam cogitarem, ab ipſo non diſcederem; quantum ipſe arbitrabatur, benignam matrem me experturum Romam, et fautricem ingenii mei, ut ipſe dicebat. Ego etſi incredibili cum animi mei voluptate philoſophiam docebam, aliquam etiam apud homines exiſtimationem fueram conſecutus, ab avunculi tamen latere diſcedere non poteram. amore tandem in avunculum, affinium, et meorum, Ioannis in primis Aloyſii fratris mei precibus victus, Romam veni; qua in urbe annum fere integrum pæne latui, ut

ſcis,

ſcis, perpaucorum quorumdam familiaritate contentus, tua in primis, amabiliſſime Silvi. Gulielmi deinde Sirleti protonotarii, qui poſtea fuit Cardinalis, Octavii Pantagathi, et Iulii Poggiani ſermonibus, et eruditione mirabiliter delectatus ſum, non parum etiam me ſenſi profeciſse.

27. Vbi integrum annum vixeram Romæ apud avunculum meum Cardinalem Navagerium, neſcio quo meo fato, (interpretor fatum Dei providentiam, et præcipuam mei curam) Carolus Cardinalis Borromæus, aut amore, et obſervantia qua Navagerium proſequebatur, aut quorumdam teſtimonio, tui in primis, qui mihi ſemper multum tribuiſti, indicia erga me amoris non minima cœpit dare, lætis me oculis aſpicere, me alloqui, jubere ut ad prandium vocarer; poſtremo te principe in Academiam illam Noctium Vaticanarum, honorem tantum, quem plurimi aulici ambiebant, nihil cogitans admiſſus ſum. In illa ipſa Academia (quæ fuit ſeminarium non paucorum Cardinalium, et epiſcoporum, et per aliquot annos excellentium ingeniorum altrix, et variæ eruditionis magiſtra) amicitiam noſtram, Silvi, mirandum in modum excoluimus; occaſionem ipſe ſum nactus ſcribendi nonnulla, convivium illud Noctium Vaticanarum, quo tantopere interdum delectatus es, quod non contemſiſse viſus eſt Neſtor ille noſter, qui tantam hoc ſæculo in ſcribendo laudem eſt conſecutus; Speronium intelligo. Poëticum neſcio quid illo in dialogo cernitur, et non injucunda quædam ſententiarum varietas. Cum illud convivium Navagerio Cardinali legendum tradidiſsem, voluptatem ſe magnam ex eo percepiſse affirmavit, juſſitque ut non deſinerem ſcribere. Avunculo parui, et fortaſse ſcripſi plura quam oportuerat, non profecto inanis gloriæ cupiditate, aut ſtudio contendendi, ſed potius ne hoc ipſo ſcribendi ſolatio in tot, et tantis hujus vitæ varietatibus, et moleſtiis me ipſe privarem.

28. Eo tempore Federicus Borromæus Caroli Cardinalis frater, obierat acerba, et immatura morte. longam ipſe epiſtolam, ne dicam orationem, ad eumdem Cardinalem Borromæum ſcripſi in obitu fratris, ſumtam magna ex parte ab illis fontibus, de quibus mentionem feci, hoc eſt, ex opuſculis

lis Plutarchi, *Senecæ*, *Ciceronis*: ex orationibus etiam funebribus Nazianzeni, et Baſilii. Gulielmus protonotarius Sirletus, quem antea commemoravi, hortatus me fuerat, ut libellum quem ſanctus Baſilius de virginitate conſcripſerat, in latinum transferrem. id eram aggreſsus facere; ſed cognitione græcæ linguæ deſtitui viſus ſum, et non ſine maximo labore, cum quo minima, aut nulla conjuncta erat voluptas, progrediebar; qua in re me ſæpe accuſavi, quod in transferendis libris, qui labor ad aliorum utilitatem maxime pertinet, ita infelix, aut potius iners eſſem, ut eo in ſtudio quod plurimi facio, et valde laudandum cenſeo, ab omnibus qui illi rei operam dederunt, fuerim victus. quamobrem translationem illam minime abſolvi. De conſolatione eccleſiæ ſcripſeram parvum librum, quem Cardinali Alexandrino, qui poſtea ad altiſſimum Pontificatus faſtigium aſcendit, et Pius V. eſt dictus, legendum dederam, viſus eſt probare induſtriam meam. Sed multo plura, et graviora in commentario quem proximis menſibus legiſti, de quo alio loco fortaſſe habebitur mentio, continentur. Hæc ſcribebantur a me anno milleſimo quingenteſſimo ſexageſimo ſecundo, quo anno Navagerius legatus Tridentum mittitur cum Ioanne Cardinale Morono in Herculis Mantuæ, et Seripandi Cardinalium mortuorum locum. Tridenti et ipſe in nobiliſſimo illo orbis terræ theatro, in tanto, tamque celebri epiſcoporum conventu fui aliquot menſes; quibus Gregorii Nazianzeni orationes Adamus Fumanus ſubciſivis horis mihi interpretabatur. Nihil illis menſibus ſcripſi: admirabar epiſcoporum multorum variam, et excellentem doctrinam.

29. Antequam ſacroſanctum Concilium abſolveretur, cum nondum ſacris eſsem initiatus, ad priſtinum philoſophiam interpretandi ſtudium redii magna cum alacritate; quo in meo reditu præfationem habui, quæ mirandum in modum nobilium Venetorum animos mihi conciliavit. Exiſtimaveram non eſse me vocatum ad eccleſiaſtica munera, ſed ad erudiendam juventutem Venetam in philoſophia, ad conjungendam latini ſermonis elegantiam cum philoſophicis dogmatibus: priſtinis illis exercitationibus meis, et familiaribus eruditorum ſermo-

nibus

nibus vehementer oblectabar. Sed abſoluto Concilio Tridentino, cum Cardinalis Navagerius Veronam veniſset, cujus epiſcopatum Pius Quartus illi, antequam ex Vrbe diſcederet, dederat, manſiſsetque Veronæ aliquot menſes, podagra, et oculorum morbo vexatus, a Pio etiam Quarto Romæ valde exoptatus, rogavit eumdem Pium de ſe optime meritum, ut me ejus in locum epiſcopum ſufficeret. Me eidem Pontifici ſenatus commendaverat, publiciſque teſtimoniis ornaverat. Me Pius Veronæ epiſcopum creavit, illum in primis hortante Carolo Cardinale ejus ſororis filio, diſpenſavitque Pontifex ut quamvis ſex menſes clericalem habitum non geſtaveram, epiſcopus tamen fierem. Sed miranda res! quam ſæpe mecum diligenter conſideravi Dei ſuſpiciens providentiam; quo die nuntius Veronam allatus eſt, me epiſcopum in conſiſtorio factum, avunculus meus obiit, cum hac de re, quam vehementer exoptaverat, certior fieri minime potuerit. Cujus obitu tanto mœrore confectus ſum, tot, et tantæ ex oculis meis effluxerunt lacrimæ, ut poſt parentum obitum nihil mihi triſtius, nihil quod animum meum magis commoverit, mihi umquam acciderit. Accepto graviſſimi morbi nuntio Venetiis diſceſſi, ut clauderem ipſe oculos de me optime merito avunculo; ſed apud Montemfortem Veronenſi epiſcopatui ſubjectum, de morte nuntium accepi. Venetias redii, quia nondum pontificiæ literæ fuerant expeditæ; et poſt menſem unum nulla pompa ex improviſo, nemine de meo adventu cogitante, Veronam veni. Exceptus ſui deinde a clero, et ab univerſa civitate valde honorifice, ut Navagerii ſororis filius, et homo qui Veronenſium nonnullorum familiaritate in Patavino gymnaſio, et aliis in locis fueram uſus.

30. Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto XV. Kal. Iulii Veronam veni epiſcopus. In legendis ſanctorum patrum libris, præſertim eorum ſermonibus, ut facultatem dicendi mihi compararem, verſatus ſum diligentiſſime prioribus tribus epiſcopatus mei annis, legens plurima, pauca ſcribens, paſtoralibus negotiis deditus valde, Ioannis Matthæi Giberti, cui poſt aliquos epiſcopos ſucceſseram, exemplar mihi proponens imitandum: illum admirari, et maximis laudibus num-

quam

quam deſtiti ejus Conſtitutiones celebrare, ſervandas eſse jubere, favere illis quos Gibertus amaverat, et parochialibus ecclesiis præfecerat, ſtudebam in primis. Philippus Stridonius ſenex, in jure canonico verſatus valde, qui eodem Giberto epiſcopo vicarii munere functus fuerat, eamdem operam mihi præſtabat: audiebam ipſum ſæpe, ſequebar ejus conſilia, illis me multum proficere ſentiebam. Scribebam prioribus illis epiſcopatus mei annis ſermones quos habebam in congregationibus, in ſynodis, in viſitationibus; illos etiam quos habebam ad monachas; qui ſane ſermones fuerunt quamplurimi, breves, et dilucidi, paterni amoris pleni, ſed non admodum eruditi, et parum elegantes. communi qua utimur lingua, fuerant ſcripti; quamvis illi quos ad monachas habui, aliquando valde mihi ſint probati, et vim magnam habere mihi ſint viſi ad conſolandos, inflammandos etiam ad monaſticas virtutes religioſarum feminarum animos.

31. Ab initio epiſcopatus mei dubitavi, num mihi ex ſuggeſto loquendum eſset ad populum, naturæ meæ impedimenta videbantur excuſare, et hæc mea interdum pronuntiandi tarditas. Sed religioſus et pius vir, qui meas confeſſiones audiebat, cum mihi commemoraſset, Ariſtotelis libros, ut ſenatui Veneto obtemperarem, diebus ſingulis aliquot annos me eſse interpretatum, et eo tempore non excuſaſse tarditatem linguæ; non admiſſurum Deum, dicebat, excuſationem meam, ſi cum factus ſum epiſcopus, legatus Chriſti, ſilerem, mutus quodammodo fierem, opera, et verbis aliorum uterer, cum ipſe mediocri rerum cognitione, ingenio, memoria eſsem præditus, in arte etiam rhetorica aliquantulum eſsem inſtructus. ſuggerebat illa mihi ſæpe: *Væ mihi quoniam tacui. dilata os tuum, et implebo illud. argue, obſecra, increpa.* ſancti etiam Franciſci præceptum in medium afferebat, ſatis eſse proponere virtutes, et vitia, gloriam, et pœnam cum brevitate ſermonis; et ſancti Dominici verbis utens (ſub ejus enim regula fuerat educatus) dicebat, me in libello caritatis eſse inventurum ea quæ Veronenſi populo eſſent profutura. Quas ob cauſſas non approbantibus omnibus quorum aliis in rebus ſequebar conſilium, ſolemnibus ſingulis diebus in magna fre-

D quen-

quentia hominum ſermonem habui ad populum, quem antea ſtudioſe ſcribebam. Opuſcula duo aggreſſus ſum ſcribere eodem tempore, dictare potius; etenim ſcriptionem nocere oculis meis plurimum animadvertebam; monuerantque me ut ab illa caverem, medici. Dictavi ergo eodem fere tempore libellos duos ad acolythos de eorum diſciplina, et libellum unum ad Aloyſium Contarenum, qui a republica ad Carolum IX. legatus fuerat miſſus: editi fuerunt illi duo de diſciplina acolythorum non ſine aliquo Veronenſium clericorum fructu. Aloyſius vero Contarenus opuſculo de legatione delectatus eſt valde. ad illam ſcriptionem excitatus ſum cum Aloyſii precibus, tum maxime imitatione Proſperi Sanctæ Crucis, qui nunc eſt Cardinalis, cujus librum eadem de re, cum eſſem Romæ, diligenter legeram, et mihi admodum elegans viſus erat.

32. Veronam venerat Ioannes Franciſcus Cardinalis Commendonus, nam Pius V. illi Abbatiam ſancti Zenonis, nobilem valde commendaverat. cum eo erat Nicolaus Tomiſcus præſtantis ingenii adoleſcens Polonus, qui parentibus hæreſis labe contaminatis ortus, verſiculum illum ſæpe uſurpabat: *pater meus, et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumſit me*; ſe Apoſtolicæ ſanctæ ſedis, Romanæ eccleſiæ filium profitebatur, hæreticos inſectabatur valde, amabiliſſimis moribus erat præditus; ad hunc, cum in Poloniam rediiſſet cum Cardinale Commendono, qui legatione pro ſancta Apoſtolica ſede ibi fungebatur, libellum ſcripſi, cujus erat titulus: *quatenus cum hæreticis eo in regno ei verſandum eſſet, et quo modo illi fugiendi*. Quem librum, cum eſſem Romæ, Roberto Bellarmino, excellenti doctrina viro, legendum tradidi. probavit illum Bellarminus: ſed laborem illum meum diligere ego numquam potui; ita fit, ut quemadmodum deteriores filios interdum parentes diligunt magis quam bonos, ita minus bonos libros pluris faciamus quam elegantes, et magis utiles: ita decipimur ſæpe, præſertim in rebus noſtris. Eodem anno, ut me gratum oſtenderem, et Ioannem Aloyſium Navagerium, Cardinalis filium, ex legitimo matrimonio natum, domeſtico exemplo ad paternas virtutes imitandas excitarem, ejuſ-

ejuſdem Bernardi Navagerii vitam conſcripſi; non imitatus Plutarchum, ſed ſanctum Gregorium potius Nazianzenum, qui cum narratione rerum geſtarum ab illis quorum vitas ſcripſit, digreſſiones aliquas, laudationes etiam conjunxit.

33. Mediolanum quinquies, ſepties etiam, dum Carolus Cardinalis nobiliſſimam illam eccleſiam adminiſtrabat, acceſſi. cum primum ad paſtorem illum egregium, et ceterorum paſtorum ſtimulum acceſſiſsem, ætatis noſtræ excitatorem, et magiſtrum egregium paſtoralis artis; cum me in oratorio, et in ſeminario clericorum ſuorum dicentem audiviſset, et conciſam illam, ne dicam inopem, formam meam dicendi obſervaſset, et laudaſset, orationemque meam minime fucatam, minime inanem, ſed antiquitatem neſcio quam redolentem publice diceret, in mea ſententia ſum confirmatus, ut ſæpe ad populum ſermonem haberem in ſynodis, et aliis in congregationibus: cumque illi hoc ipſum eſsem pollicitus, ſubridens dixit: *cur etiam pro tua paſtorali cura, et pro caritate tua in eccleſiam Dei, præcepta quadam dicendi non accommodas ad uſum eccleſiæ? cur eccleſiaſticam non conſcribis rhetoricam?* Aderat Pater Franciſcus Adornus Societatis Ieſu, quem antea nominavi, quem plurimi faciebat Cardinalis; virum ipſe etiam præſtanti judicio, et eruditione varia exiſtimabam, et mei amantiſſimum: cœpit et ipſe hortari, ut Cardinalis voluntati obſequerer: hominem ab adoleſcentia in rhetorica facultate verſatum, philoſophiæ deditum, qui bonos libros legerat, theologiam etiam didicerat in publico Patavino gymnaſio, ac theologica dogmata tractaverat, in illiſque Veronenſem populum pluribus ſermonibus inſtruxerat, conſiſtenti ætate, laboribus, et ſcriptionibus aſſuetum, poſse aliquid præſtare affirmabat. addebat animum ipſe, excitabat, et quaſi impellebat. Ego vero recuſabam: quæ ſanctus Auguſtinus in quarto libro de doctrina chriſtiana ſcribit, ſatis eſſe ad rhetoricam eccleſiaſticam conſtituendam, et docendam; argumentum illud ſpecioſum eſſe, ſed vix cum laude tractari poſſe, ab illo præſertim qui paſtoralibus occupationibus eſſet valde impeditus, et in quo omnia quæ ad ſcribendum requiruntur, eſſent minus quam mediocria. Sed profecto verba Caroli Cardinalis Borromæi, cum Spiritu illum

Sancto duci arbitrarer, tantam vim apud me habebant, ut contradicere nequirem.

34. Onus ſuſcepi ſcribendi eccleſiaſticam rhetoricam: tribus illam libris diſtinxi: Ariſtotelicam neſcio quam methodum adhibui: labores pertuli maximos non minima cum voluptate conjunctos: parui ſervo Dei de me (quid dicam de me ſolum?) de epiſcopis quamplurimis, de ipſa etiam ſancta eccleſia Dei optime merito. Illius me laboris non pœnitet, nec pœnitebit umquam, cum audiverim octies editum fuiſse opus illud, et probatum optimorum, et doctorum hominum judicio; qua in re me divina ope adjutum eſſe ſenſi: profuerit necne clericis, aliorum ſit judicium. Prælectionibus tribus, audiente univerſo clero, qua ratione opus illud perlegi poſſit, et qua cum utilitate, oſtendi. In illo edendo tantam ipſe cautionem adhibui, ut rogaverim ſæpe Cardinalem Borromæum ut editionem differret. Sed vere dicam, amore in me ſuo tantum virum aliquantulum deceptum crediderim meis in judicandis ſcriptionibus. Vbi editus fuit liber rhetoricæ eccleſiaſticæ, ſub ejus titulo religioſorum virorum doctiſſimus, et doctiſſimorum religioſiſſimus, Aloyſius Granatenſis ſex libros conſcripſit, ſententiarum gravitate, exemplorum varietate, et ſpiritus quodam fervore, tribus meis libris præſtantiores valde: quod opus duos poſt annos una cum noſtro editum eſt. Nos brevius, dilucidius etiam fortaſſe: ille copioſius, et aliquanto obſcurius rem tractavit. plura ipſe quam nos, ex Cicerone, et Quintiliano in rhetoricam eccleſiaſticam tranſtulit. ut nec doctrina, nec dicendi facultate cum tanto viro conferendi ſumus, ita nec rhetorica eccleſiaſtica quam conſcripſimus nos, cum illa quam ipſe edidit, conferenda eſt.

35. Cum autem ſceleſti quidam homines virum Dei Carolum Cardinalem Borromæum archiepiſcopum Mediolanenſem, e medio tollere conati fuiſsent, in illumque orantem in privato oratorio ferreum globulum injectum fuiſse audiviſsem, quo tamen vir ſanctus ſingulari Dei beneficio non fuerat læſus; ſcripſi librum de nefario auſu in Cardinalem Borromæum, in quo de Dei providentia multa conjeci, et divinum beneficium in civitatem Mediolanenſem, et eccleſiam Dei explicavi pluri-

bus

bus verbis; quod opuſculum interdum piis viris, et mihi etiam placuit. Cum iterum Mediolanum veniſsem, paucis verbis, et magnam vim habentibus hortatus me eſt idem Cardinalis, ut epiſcopum delinearem, vivis potius coloribus exprimerem, ex ſancti Paulli epiſtolis deſumtis ſententiis ad munus paſtorale pertinentibus. legiſse ſe dicebat quæ ſancti patres, Chryſoſtomus de ſacerdotio, Nazianzenus in apologetico, ſanctus Gregorius in paſtorali ſuo, ſanctus Auguſtinus in epiſtolis, et aliis in locis ſcripſerunt; optare ſe ad excitandam devotionem in paſtoribus animarum, ex ſancti Paulli in primis graviſſimis ſententiis expreſsam videre optimam epiſcopi formam: a me præſtari id poſse. Epiſcopum ipſe depinxi, aut delineavi potius, cum diligenter epiſtolas ſancti Paulli perlegiſsem, et ante oculos haberem illum ipſum ad quem librum mittebam, Borromæum. Hiemis tempore cum longiſſimæ eſsent noctes, nocte media duabus hebdomadis formam paſtoris delineavi, dictavi potius delineationem; quam cum ad Borromæum miſiſsem, mirandum in modum illam probavit, juſſitque ut quamprimum edendam illam Galeſinus vir eruditus valde, et in eccleſiaſtica hiſtoria admodum verſatus, curaret. Ignoſce, Silvi, imbecillitati meæ, et meo in illud opuſculum amori. ut patres e filiis unum natu ſæpe minimum diligunt magis quam ceteros, ita ego libellum illum ipſum præ ceteris opuſculis meis omnibus amavi; illum meditans interdum ſum lacrimatus: revera mihi potiſſimum ſcripſi, me accuſavi, me acriter reprehendi, me excitavi, me inſtruxi, materiam lugendi mihi paravi, quia ab illa forma quam effinxi, longiſſime abſum, quia non ſum qui eſse deberem, quia ſine fructu annos multos laboravi, quia ante tribunal magni, et tremendi judicis vereor ne meus hic libellus acriter me accuſet; quem, cum hanc partem longæ meæ epiſtolæ ad te, ſive libelli, aut opuſculi, perſcriberem, denuo diligenter legi.

36. Rogaverat Carolus, de quo jam ſæpe dixi, Borromæus, ut homilias conſcriberem breves ad uſum parochorum diœceſis Mediolanenſis, adhibito illo ordine quem ritus Ambroſianus multos jam annos adhibuit in recitandis evangeliis. Non denegaſſem pio Cardinali, et de me maxime merito obſequi

in

in re tam honeſta: ſcripſi homilias pluſquam centum, minus quam mediocri adhibita diligentia; quarum aliquæ mihi aliquando probatæ ſunt. Illas omnes unum in volumen redactas Federico Cardinali Borromæo, pietatis, et morum ſanctiſſimorum, exiſtimationis etiam, quibus Carolus excelluerat, heredi; quem unice, ut ſcis, diligo, donavi. in illas tu copioſam, et elegantem admodum præfationem conſcripſiſti. Cum autem bello Turcico infeliciter Nicoſia capta fuiſſet, in tyrannicamque illam ditionem miſerabiliter incidiſſet, ut Philippum Mocenicum illius civitatis archiepiſcopum conſolarer, librum ſcripſi de amiſſa Nicoſia, in quo multa de providentia Dei in medium attuli, et verbis plurimis amicum veterem conſolari conatus ſum. Sæpiſſime a ſe lectum fuiſſe illud opuſculum commemorabat archiepiſcopus, et maximo in ſuo mœrore ſe valde recreatum eſse: qua teſtificatione factum eſt, ut mihi ſemper valde jucundum fuerit illud conſcripſiſse. quædam arbitror me ſumſiſse ex illa oratione quam ſanctus Gregorius Nazianzenus habuit in plagam grandinis; quæ omnia huc ſpectant, ut veriſſima oſtendatur illa ſententia: fieri omnia aut jubente, aut permittente Deo ad orbis terræ utilitatem, quamquam ſecus nobis videatur. Anno autem ſanctiſſimi Iubilæi cum Romam veniſsem, et eccleſiaſticæ diſciplinæ incrementum eſsem admiratus, et piorum hominum multitudinem; delectatus ſum incredibiliter, cum Gregorii XIII. ſummam gravitatem cum admirabili humanitate conjunctam, ejuſque juris canonici excellentem cognitionem, et eximiam in pauperes liberalitatem celebrari ab omnibus percepiſsem, fuiſsemque ab eodem Gregorio, et a Cardinalibus non paucis humaniſſime tractatus. Cum viginti tantum dies Romæ fuiſsem, Veronam redii, et in reditu optimi Cardinalis formam delineavi, Antonii Caraffæ ampliſſimi Cardinalis hortatu, quem libellum legendum paucis tradidi, nec probavi umquam valde. fuit nuper tuo conſilio editus una cum *Epiſcopo*, et vita Cardinalis Borromæi, de qua ſuo loco fortaſse aliquid dicam.

37. Non multos poſt menſes poſtquam Veronam redii, peſtilentiæ ſuſpicione laboratum eſt. graviora exiſtimabam ego remedia quæ adhibebantur, quam illum ipſum morbum; no-

men

men peſtilentiæ, quod uſurpabatur, perniciosum putabam. inter ægros verſabar quotidie, ceſsarunt numquam divina officia, egomet ſæpe concionabar, ſanctiſſimum ſacramentum euchariſtiæ in publicum efferebam; quadraginta horarum orationem indicebam; audacter fortaſse nimium: ſed audaciam, aut mortis contemtum meum, ſive caritatem meam in populum, qui animo dejectus, et quaſi conſternatus videbatur, viſus eſt probaſse dominus Deus; cum quatuor menſium ſpatio omnis peſtilentiæ ſuſpicio ſublata ſit, et commercium cum vicinis civitatibus Veronæ ſit reſtitutum. Eo tempore libellum quemdam conſcripſi hiſtorico more, quo omnia quæ illis menſibus acciderunt, complexus ſum. fuit editus ſine meo nomine: placuit interdum valde ille libellus. Non multos poſt menſes peſtilentia laboratum eſt maxime Mediolani, cumque Veronæ allatum eſset, Carolum Cardinalem ex hac vita migraſse, dum ægris ſanctiſſima ſacramenta miniſtraret, maxima lacrimarum copia ex oculis effluxit meis. jacturam quam feciſset Apoſtolica ſancta ſedes, quam feciſsem ipſe, et nobiliſſima civitas Mediolanum, cognoſcebam optime, et omnibus qui ad me veniebant, commemorabam. *Sed mirabile dictu!* dum maximo mœrore confectus eſsem, ivi cubitum, et cum feſsus dormiſſem aliquantulum, apparuit mihi in ſomnis ille ipſe quem luxeram, Carolus Cardinalis Borromæus, vultu admodum hilari, qui me magno mœrore confectum dulciſſimis conſolari videbatur verbis. Quod ſomnium ſcripſi, Scipionis ſomnium iterum imitatus, et multo mihi magis placuit hæc lucubratiuncula, quam illa quam multos ante annos conſcripſi, cum vidiſsem in ſomnis Petrum Franciſcum Contarenum urbis Venetæ patriarcham, et audivi lectum fuiſse illud ſomnium ab eodem Carolo non minima cum voluptate.

38. Monitus ſæpe fueram a piis nonnullis ſacerdotibus, a devotis, et prudentibus quibuſdam feminis vehementer optari ut meis ſcriptionibus femineo ſexui conſulerem. Veronæ epiſcopum, communem hujus populi patrem, non ſolum publicis ſermonibus, ſed etiam libellis, qui iterum atque iterum perlegi poſsent, illi conſulere debere dicebant. Cum quatuor ſint feminarum genera in omnibus civitatibus (impudicas omittimus)

mus) primum illarum quæ ſanctam virginitatem cuſtodientes, in privatis domibus degunt, morum optimorum, et virtutum multarum magiſtræ: ſecundum viduarum, quas, ſi vere viduæ ſunt, ut ſancti Davidis verbis utamur, *benedicens benedixit* Dominus, quarum modeſtia, et ſanctimonia civitatibus utilitates afferunt quamplurimas: tertium genus earum quæ matrimonio junctæ ſunt, in quarum inſtitutione, et recta diſciplina, domorum pax, et tranquillitas, magna felicitatis pars, conſtituta eſt: poſtremum illarum feminarum quæ in monaſteriis regis regum Chriſti ſponſæ effectæ, tranquillam, immo potius angelicam vitam, ſi ſapiunt, agunt: ad quatuor hæc feminarum genera libellis quatuor italica qua utimur lingua, cenſui ſcribendum eſſe. Duabus ſororibus meis duos inſcripſi libellos; alterum Donatæ miſi, quæ laudabilem admodum vitam apud fratrem noſtrum Ioannem Aloyſium vivit, conciones, et divina frequentans officia, et fratris ſui filios, et filias in doctrina chriſtiana magna pietate erudiens: alterum miſi Lauræ ſorori item meæ, quam mortuo patre meo, Georgio Gradenico, erudito viro, nunc egregio ſenatori, matrimonio junxeram; mulieri, quæ pudicitiæ, modeſtiæ, devotionis, et virtutum multarum exempla dedit, et dat. Ad Hadrianam Contarenam de viduitate librum miſeram, piam mulierem, ſocrus ſuæ ſenioris Hadrianæ imitatricem. Miſi ad Venetas mulieres libros, ut, ſi poſsem, conſulerem ſimul Veronenſibus, et Venetis mulieribus, ut ſanctum etiam imitarer Ambroſium, et Bernardum, qui ad ſorores ſuas libros inſcripſerunt. Ad moniales librum ſcripſi, illas dum viſitarem; quem cum in manibus ſæpe habeant, non infructuoſum fuiſse audivi.

39. Et eadem lingua italica ſcripſi librum de conſcribenda hiſtoria ad Aloyſium Contarenum, cui munus ſcribendarum hiſtoriarum Venetarum fuerat traditum. Ad Nicolaum etiam Barbadicum, qua ratione *Baili* munus pro republica Byzantii fungendum ſibi eſset. Rexerunt ambo eodem tempore hanc civitatem Veronenſem, prætor unus, præfectus alter, memorabili concordia, et pari cum laude. Scripſi italica lingua, cum regulas quas Bembus, et alii italicæ linguæ obſervatores tradide-

diderunt non recte perceperim, vix mediocre etiam ſtudium in politis etruſcæ linguæ ſcriptoribus adhibuerim. Crediderim in phraſi mea latiniſmos reperiri quamplurimos. miror quod tibi, cujus judicium maximi facio, meus in italica lingua ſtilus placuerit. libellus hic ad moniales interdum mihi valde placuit. Hac eadem communi, hoc eſt italica lingua, illis eiſdem verbis quibus utor dum loquor, eodem ferme tempore, hoc eſt anno ſanctiſſimi Iubilæi, longiſſimam epiſtolam, aut potius librum, ſcripſi ad Aloyſium Contarenum, qui Veronæ præfectus fuerat, quo ſtudia ſenatore digna, laudabileſque occupationes illi propoſueram. varium illum librum, non ineruditum, jucundum valde, non parum amavi. *Memoriale* illum inſcripſeram. ad ſenatorum multorum manus pervenit. Et illo ipſo tempore Iacobus Surianus, egregia doctrina vir, quam cum vitæ innocentia, et morum ſuavitate conjunxerat, pio, ut mihi viſum eſt, et ſapienti conſilio, quamquam ampliſſimos in republica conſequeretur honores, et jam factus eſset decemvir, magiſtratibus depoſitis omnibus, in Patrum Theatinorum Congregationem, tamquam in portum, ſe recepit: ſenatui, et univerſæ reipublicæ incredibile prudentiæ, et integritatis ſuæ deſiderium reliquit. Cum eo uſque a puero mihi maxima interceſſit benevolentia. longam epiſtolam, libellum potius, ſcripſi ad eum, quem valde diligebam, quo ejus probavi conſilium, et religioſorum vitam ſenatoriæ vitæ præferendam rationibus quamplurimis oſtendi; multaque ſumſi e ſancto Chryſoſtomo, qui ſacerdotum præſtantiam regum ſublimitati anteferendam docet. hunc librum viſus es probare magis, quam ipſe; placuit tamen interdum aliquantulum et mihi.

40. Turcicum ardebat bellum: ſenatores cogebantur ad munera publica ſuſcipienda. lectus fuerat a ſenatu Iacobus Foſcarenus Iaderæ præfectus: illi totius Dalmatiæ tuendæ cura commiſſa fuerat. Vir ingenio præſtanti, judicio acri, et rerum uſu edoctus, ſe excuſabat rationibus multis: detrectare periculoſum munus videbatur. ipſe ad juvandam patriam periculoſo tempore cum rerum ſuarum, vitæ etiam periculo, rationibus multis hortatus ſum longiſſimis literis; alteris etiam aliquot poſt annos, dum Cretæ inſulæ adminiſtrandæ provincia

ipſi a ſenatu tradita fuiſset: libelli ſunt potius illi, quam epiſtolæ, quibus quantum patriæ debeamus oſtenditur, cui qui ſervit, Deo ſervire videtur; cum in Venetæ reipublicæ conſervatione non minimum ornamentum reipublicæ etiam chriſtianæ ſitum eſſe videatur. Huic poſt victoriam adeptam, totius maritimæ claſſis imperium a republica traditum eſt: fuit etiam aliquot poſt annos ſancti Marci procurator creatus; ingenio, opibus, uſu rerum, et multis virtutibus inſignis ſenator.

41. Non minima inter Veronenſes ſacerdotes fuerat diſſenſio, num ſub nomine meo edendæ eſſent conſtitutiones cleri Veronenſis. dicebantur multa in utramque partem. aliqui dicebant, conſtitutiones a Ioanne Matthæo Giberto, qui magna cum laude annos plurimos hanc rexit eccleſiam, editas, eſse probatas omnibus: Giberti nomen libro conſtitutionum maximam addere auctoritatem: minime neceſse eſſe, ut ſub meo nomine conſtitutiones ederem. ornatius quidem ſcribi, et edi poſse conſtitutiones, ſed ſi ſerventur illæ quæ ab ipſo illo epiſcopo editæ fuerunt, non eſse opus aliis. alii aſſerebant, a Concilio Tridentino mutata eſse multa quæ ad regimen animarum pertinent: exſpectari a me, qui ad uſum hujus cleri libros alios conſcripſerim, ut conſtitutiones etiam conſcriberem. Ipſe librum ſcripſi, cur conſtitutiones non ediderim, apologiam neſcio quam, qua multitudinem conſtitutionum non valde videor probare. ut multiplicia non probantur, immo periculoſa putantur medicamenta, ita novas conſtitutiones parum utiles, noxias potius eccleſiaſticæ diſciplinæ putaveram. libellus ille probatus eſt quamplurimis, antiquioribus in primis ſacerdotibus, qui in diſciplina Giberti eruditi, conſtitutiones ab ipſo editas vehementer amant, et maximo judicio conſcriptas, et editas arbitrantur. Sed, vere ut dicam, adhuc dubius ſum valde, num novas expediat edere conſtitutiones, cum nullum provinciale Concilium celebratum ſit epiſcopatus mei tempore, et conſtitutiones provincialibus Conciliis maxime nitantur.

42. Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono ad provinciam Dalmatiæ viſitandam miſsus ſum: ſequenti anno in Hiſtriam, deinde Venetias, poſtremo Patavium, et Vincentiam. paſtorales epiſtolas, apoſtolicum illud ſcribendi genus,

quod adhibuit ſæpe Cardinalis Borromæus, de quo ſæpe mentionem feci, initio viſitationum adhibui. Editæ etiam ſunt conſtitutiones ad Dalmatiæ provinciæ uſum, conſentientibus omnibus epiſcopis: aliæ ad uſum Hiſtriæ accommodatæ. A principio vix audebam egredi Verona, navigationes abhorrebam: ſed divino beneficio factum eſt, ut viſitationes Dalmatiæ proſpere admodum confecerim, et labores illi mei Gregorio XIII. ſummo Pontifici admodum accepti exſtiterint: Nonnihil eſt actum etiam in aliis viſitationibus: exſtincta ſunt odia quædam privata, aliquot familiæ inter ſe pacificatæ ſunt. Librum conſtitutionum Venetarum, paræneticum edidimus, Campeggius, qui ſanctæ Apoſtolicæ ſedis Venetiis Nuntius erat, et ipſe, cum ambo viſitandi munere functi eſſemus. Hic liber in manibus parochorum Venetorum fuit. non infructuoſus fuiſſe aliquando; ut ſpero, re ipſa comperietur.

43. Cum Patavii civitatis viſitationem abſolviſſem, et ad ſacroſancti Natalis celebritatem celebrandam Veronam rediiſſem, Gregorius Decimustertius una cum octodecim Cardinalibus, lectiſſimis orbis chriſtiani viris, in ſacrum Cardinalium collegium me cooptavit, nihil tale ſperantem, nec cogitantem quidem. Honorificum hujuſmodi de me Pontifex ſummus judicium fecit, aut quia Venetus eram (Venetum enim Cardinalem judicaverat creandum) aut quia teſtimonio Caroli Cardinalis Borromæi fueram per literas dignus habitus, qui Cardinalis crearer. Abſolvi inter initia cardinalatus mei opus illud quod probare videris maxime, multarum vigiliarum, in novemdecim libros diſtinctum, cui eſt ſcopus, adulterinæ prudentiæ regulas confutare, prudentiam cum pietate conjungere, e rebus geſtis præſertim Venetorum, utilitatem proponere legentibus, fratris in primis, et ſororis meæ filiis. Eo in opere viſus ſum effudiſſe ingenii vires, rhetorum etiam præcepta ad uſum revocaſſe, pietatem, prudentiam, et gravitatem priſcorum Venetorum expreſſiſſe non infeliciter. Sed mirabilis res eſt, et reprehendenda valde; opus tanti laboris dictatum vix legi, non conſideravi certe, non emendavi, ut debui. fateor me valde occupatum exſtitiſſe negotiis plurimis, et gravibus; ſed fortaſſe ab aliis ſcriptionibus abſtinere oportuiſſet, et il-

lud opus perficere. ingenium meum, aut potius luxuriem mei ingenii accuſem, qua fit, ut novis opuſculis excogitandis, et novis fœtibus gignendis delecter incredibiliter; ab his quæ excogitavi, perficiendis, et novis fœtibus expoliendis quodammodo abhorream.

44. Dum de cardinalatu nuntium accepi, homilias ſcribebam in paſſione Domini, quo in genere quadraginta amplius jam conſcripſi, Caroli Cardinalis noſtri hortatu. in animo etiam habueram multas alias eodem in genere conſcribere, cum locos haberem in promtu, quibus clementiſſimi patris Dei auxilio quinquaginta alias poſſem facile dictare. qua in ſcriptione (ingenue fateor) tantam animi voluptatem ſenſi, quantam ex nulla alia. utinam concedat mihi is in cujus manu vita et mors poſita eſt, ut ad eaſdem meditationes redeam, et morti proximus mediter paſſionem Chriſti, dictem extremo meæ vitæ tempore de paſſione Domini ſermones. Eiſdem menſibus, aut paullo ante, libellus fuit editus de epiſcopis Veronenſibus ſub meo nomine; quo in ſcribendo ſacerdotum optimorum diligentia, et laboribus adjutus ſum valde, Raphaëlis Bagatæ, et Ioannis Baptiſtæ Peretti.

45. Cum factus eſſem Cardinalis, miſit ad me Carolus Cardinalis noſter Canonicum Caimum, qui non multo poſt regulam ſeraphici patris Franciſci profeſſus eſt inter *Cappucinos*: monuit ne Veronæ, cujus epiſcopus nominabar, Cardinalis factus oblivifcerer; ab eccleſia cui multos annos præfueram, nuncuparer: inter miſſarum ſolemnia audiente univerſo populo, de onere cardinalatus verba facerem. ſecutus ſum graviſſimi viri et ſapientiſſimi Cardinalis conſilium; ſanctorum Innocentium die, quo birretum rubrum inſigne cardinalatus mihi allatum eſt, in magna populi frequentia, præſentibus magiſtratibus, de epiſcopali munere, itemque de cardinalitio verba feci; hortatus ſum populum ne cauſſa mea lætitia exſultaret; oraret potius pro me, ne tantis oneribus oppreſſus ſuccumberem: ſcirent, illas ipſas campanas quibus Verona univerſa, religioſi omnes, et item parochi lætitiam ex meo cardinalatu oſtendebant, non multos poſt annos invitaturas populum ad proſequendum funus meum. quæ ſententia ſedatis admodum

ver-

verbis prolata, multorum excuſſit lacrimas. Illum ipſum ſermonem latinum feci: illum etiam exceperat Alexius Figliuccius, religioſus vir, qui apud me eo tempore vivebat.

46. Cardinalis, præter innumerabiles literas, quas ad Cardinales, epiſcopos, principes, Venetos ſenatores, et alios quamplurimos ſcripſi, homilias in paſſione Domini adauxi. Obierat Carolus, præſulum noſtri temporis decus, ſacri collegii ornamentum, epiſcoporum Italorum, exterorum etiam ſtimulus, vir ſimplex, rectus, ac timens Deum, qui cum ſimplicitate cordis prudentiam admirabilem conjunxerat, qui peregrinationis hujus, exſilii potius, ærumnas varias cognoſcens, oculos ſemper intendebat in cælum; vir Dei ſincerus amicus, eccleſiaſticæ auctoritatis defenſor acerrimus, vir orationis indefeſsus, angelicam in humano corpore vitam degens, migravit in cælum, incredibile Mediolano, et bonis omnibus, nobis in primis ſui deſiderium relinquens. Obiit Borromæus, antequam ipſe Romam ad galerum cardinalitium ſumendum proficiſcerer. Aliquot poſt dies, ut dolorem, quo maximo ex ejus obitu confectus fueram, lenirem, meditatus ſum ejus vitam conſcribere; nec ſingula, nec minuta omnia quæ geſſit in tota ſua vita, commemoravi; ejus mores, et præcipuas ejus virtutes quas novi, attigi, brevitate, et diluciditate, quantum potui, adhibita: non laudare egregium epiſcopum, et optimum Cardinalem interdum non potui; illorum reprehenſiones qui dicunt amori me indulſiſse nimium, et laudationem potius ſcripſiſse, quam vitam, non moleſte tuli; cum Borromæi virtutis præſtantiam non ſolum mea, ſed omnium etiam laudatione majorem eſse pro certo habeam. fateor in tanti viri vita conſcribenda, non eſse tantam a me adhibitam diligentiam, quantam oportuerat; verum illius ſcriptionis me pœnitebit numquam. Tu vitam illam cum duobus aliis opuſculis cenſuiſti edendam, Silvi, et Antonio Cardinali Caraffæ, egregia virtute Cardinali, inſcripſiſti.

47. Caroli Cardinalis Borromæi celebre et memorabile nomen renovavit pro ſua ſapientia in noſtro collegio Sixtus V. Rom. Pont. Chriſti Vicarius: diaconum creavit Cardinalem, Federicum, Caroli patruelem, lectiſſimis moribus juvenem;

qui

qui eruditionem variam cum admirabili modeſtia, immo potius chriſtiana humilitate, conjungit. Cum Mediolani fuiſsem, amanter admodum Federicum mihi commendaverat Carolus: ut aliquod grati animi teſtimonium erga de me optime meritum virum relinquerem, libellum ſcripſi Cardinali vigeſimum tertium annum agenti de occupationibus diacono Cardinale dignis. ſupervacaneum quiſpiam dixerit opus, et quia nihil reconditum libellus ipſe continet, et quia ſenili prudentia præditus juvenis illa ſcriptione non eguerat; quoniam tamen tunc illum tu probaſti librum, et illo Federicus Cardinalis delectatur valde, placet, dies illos quos in illo conſcribendo poſui, me illa in ſcriptione conſumſiſse.

48. Quem librum ubi Aſcanius Cardinalis Columna legiſſet, laudaſset etiam, ea qua ſolet ſermonis ſuavitate, optare ſe dixit, ut alterum ad ſe libellum conſcriberem. ita fit ut joco interdum inchoëntur res ſeriæ. longus a nobis habitus eſt ſermo, quod potiſſimum miſeris, et luctuoſis hiſce chriſtianæ reipublicæ temporibus argumentum tractari poſset. diximus illud eſse valde accommodatum, ut de conſolatione eccleſiæ ſcriberetur. dixeram non audere me argumentum tam multiplex, et tam præclarum tractare: mihi viſam eſse factam languidam meam ſcriptionem; ſcripturum tamen commentarium, ut ab ipſo, qui dicendi, et ſcribendi facultate excellit, aliquando expoliatur. Aeſtivis temporibus ſex a me libri ſcripti ſunt ad eumdem quem nominavi, Aſcanium Cardinalem Columnam; quos tu legiſti, et, vere ut dicam, nimium probaſſe mihi viſus es. luctuoſa ſunt hæc chriſtianæ reipublicæ tempora: in eccleſia Dei, in regnis ampliſſimis horribiles aguntur, et audiuntur tragœdiæ; furere videtur perennis animarum noſtrarum hoſtis Satanas; vix ulla reperiri conſolatio videtur poſſe in tot ærumnis, tot afflictionibus populi Dei. Mahumetana ſuperſtitione, portentis hæreticorum, monſtris pernicioſarum opinionum quaſsatus videtur univerſus orbis; tanti, tamque juſti mœroris lenimen neceſsarium videtur eſse, ne deſperatione dejectus animus de Dei miſericordia diffidat. Quamobrem in argumento illo tractando de conſolatione eccleſiæ verſatus ſum libenter, illumque laborem ſumſiſse me non pœnitet

tet, Silvi; præſertim cum ſperem aliquando, aut illum ipſum de quo dixi, Cardinalem Aſcanium, aut quempiam alium excellenti ingenio virum idem argumentum copioſius, et ornatius tractaturum. Dum hunc ad te libellum dictabam, cœperam etiam dictare opuſcula duo, alterum de utilitate capienda ex corporali ægritudine, alterum de fugiendis honoribus; primum eram miſſurus Cardinali Sforiæ, qui graviſſimo morbo proximo anno confectus fuerat; alterum Cardinali Borromæo, qui eadem de re mecum ſæpe ſermonem habuerat.

49. Quorſum tam multa, quorſum hæc, optime amice Silvi? Cur tam longa de nugis meis (loquar de me aliquantulum honorificentius) de meis lucubratiunculis, ſive libellis facta mentio, cum *de cautione adhibenda in edendis libris* propoſitum fuit ad te ſcribere? Ad hunc uſum commemorata ſunt hæc omnia, ut oſtenderem, me probaſſe reipſa quod ſcribo, *adhibuiſse in edendo cautionem*, meo juſſu nullam ſcriptionem meam fuiſse editam; præter libros illos duos ad acolytos, et parvum illum ad clerum, *cur editæ non fuerint conſtitutiones*; item conſtitutiones in viſitationibus a me factis; reliqua omnia quæ edita ſunt, me potius reluctante fuiſse edita, aut Caroli Cardinalis Borromæi juſſu, aut te auctore, candide Silvi, cujus judicium magni facio, et cui aliquid denegare moleſtiſſimum eſt. Hanc etiam ob cauſſam opuſcula commemoravi mea, ut omnes qui hanc meam ad te ſcriptionem legerint (dabo autem operam ut a fratris, et ſororis meæ filiis, et ab amicis etiam meis legatur) intelligant, cognoſcere me, nihil magni, nihil monumentis literarum dignum in ſcriptis meis ineſse; ingenii neſcio qua luxurie, et non prorſus vituperanda voluptate, amicorum colloquiis, interdum etiam precibus, coactum, tam multa ſcripſiſse me, quæ nec magni feci, nec magni facienda arbitror eſse. Et idcirco ſatis honeſta illa voluptate quam cepi ſcribendo, contentus, nullam laudem e laboribus quos in ſcribendo pertuli, poſco.

50. Vtilius a me conſumi tempus potuiſse non nego; in mortis, et rerum aliarum noviſſimarum meditatione, in aſſiduis ad cæli et terræ dominum Deum fundendis precibus, in caritatis operibus exercendis diligentius, præſertim ubi epiſco-

ſcopus factus ſum, et Cardinalis, in abſtruſis ſacræ theologiæ arcanis ſubtilius indagandis, in progreſſibus in paſtoralibus virtutibus, in humilitate præſertim, faciendis. Scio, ab aſſidua ſcriptione inanis gloriolæ cupiditatem, vanitatem, neſcio quam abeſse, vix poſse. Sed, dulciſſime frater, hanc ipſam ingenii proclivitatem ad ſcribendum divinitus mihi datam crediderim, ut curioſitatem vitarem, aut corrigerem meam, ne pernicioſæ prudentiæ regulis corrumperer, et hujus vitæ ſolatium aliquod haberem. Quod ſi largitoris bonorum omnium Dei benignitate mihi præſtitum eſt ut aliquando ſcripſerim aliquid quod aut patriæ meæ nobiliſſimæ, aut Veronenſi eccleſiæ, aut paucis quibuſdam amicis meis utilitatem aliquam attulerit; ſatis amplam mercedem laborum meorum me conſecutum eſse fateor; quamquam, ut ſæpe dixi, induſtriæ meæ merces magna fuit voluptas quam ſcribendo cepi.

51. Scribere eſt conſiderate loqui. hi autem in ſcriptionibus præcipue conſiderandi videntur loci, *quis ſcribat*, *quid ſcribatur*, *quomodo*, *cur*, et *ad quos*. Qui loci ſi a nobis tractentur, facile erit cognoſcere, quanta *in edendis libris adhibenda ſit cautio*. Qui audet docere alios, non ſolum illos qui ſunt, ſed profitetur etiam editione poſse docere poſteritatem; is multiplicem rerum maximarum cognitionem habeat, et doctiſſimus inter ceteros habeatur, neceſſe eſt. Quis enim ſine impudentiæ nota magiſtri ſibi aſsumat nomen, qui magiſtro indigeat, et non ſatis ipſe didicerit, officium docendi præripiens illis qui multorum ſæculorum teſtimonio doctrinæ famam ſunt conſecuti? Quamobrem graviſſima illa verba, quæ optabile eſt ut in ſingulorum animis impreſsa ſint, NOSCE TE IPSVM, ad *adhibendam* illam ipſam *cautionem* de qua diſserimus, *in editione librorum* maxime pertinent. Non eſt enim magnus illorum virorum numerus, optime Silvi, in tanta varietate linguarum, et in tam magna copia librorum quibus obruimur, qui re vera ita ſint docti, ut docere poſteritatem queant, ut facile lucubrationes ſuas edendas ſtatuant. Mediocriter eruditos crediderim eſse quamplurimos, liberalibus artibus excultos, in philoſophia, in theologia, in jure civili, in jure etiam canonico diligenter verſatos;

ſed

ſed magiſtros orbis terrarum, doctores poſteritatis, novorum librorum ſcriptores legitimos, et fructuoſos putaverim eſse paucos: ingenium præſtantiſſimum, judicium acerrimum, artium nobiliſſimarum, quæ vinculo inter ſe junctæ ſunt, rhetoricæ, dialecticæ, poëticæ etiam cognitio, ſcientiæ demum illius de qua agitur longum et perpetuum ſtudium, ſcribendi etiam exercitatio requiruntur. Nec ſatis ſunt hæc, Silvi; ſinceris etiam amicis eſt opus, et aſſiduis et diligentibus librariis, qui ſcriptoris induſtriam adjuvent. Vix poſsum me continere quin exclamem, verſiculum illum uſurpans, et ad ſcripturiens hoc ſæculum accommodans:

Scribimus indocti, doctique poëmata paſſim,

ſcripturientium, et novorum ſcriptorum plena ſunt omnia? Quod ſi hæc de qua ſcribimus, *cautio adhibeatur*, tolerabile magis, ferendum eſt potius; quia hujuſmodi homines qui proni ſunt ad ſcribendum, neminem lædere conſueverunt, et liberali voluptate contenti, otium, ejuſque ſocias corporis voluptates plerumque fugiunt.

52. Verum ſi quis ſecundum quem propoſuimus locum conſideret, *quid ſcribatur*; *cautionem* magnam *in ſcribendo* ſibi *adhibendam* cognoſcet. Quem locum tractans, permitte, Silvi, ut interrogatiunculis quibuſdam utar, et ſermonem meum convertam, et ſtilum dirigam meum in illos qui tam libenter libros edunt. Heus tu, inquam, qui philoſophiam poſt Platonem, poſt Ariſtotelem doces; poſt Alexandrum Aphrodiſeum, Philoponum, Themiſtium; poſt Averroëm, poſt innumerabiles latinos interpretes docere tu vis philoſophiam, novos commentarios vis ſcribere? Tu qui nomen uſurpas theologi, quid conaris poſt ſanctos eccleſiæ doctores, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium? poſt Nazianzenum, Baſilium, Chryſoſtomum cogitas ſcribere? Ariſtotelem illum eccleſiaſticum, ipſo etiam Ariſtotele præſtantiorem, doctiſſimorum hominum ſanctiſſimum, et ſanctiſſimorum doctiſſimum theologum arbitror te legiſse, ſanctum Thomam Aquinatem. Quid eſt quod quidquam cogitas addere? Omitto Alexandrum Alenſem, qui *magiſter irrefragabilis* eſt dictus, et alios quamplurimos. Sic liceat alloqui alios in aliis facultatibus ſcribentes:

quis Homeri, quis Virgilii, quis Horatii, quis aliorum poëtarum laudes ſe ſperet æquare? Et in facultate dicendi cum Demoſthene, cum Iſocrate, cum Cicerone quis auſit contendere? Rhetores egregios habuit antiquitas. Nullum igitur relictum locum ſcribendi præſtantes viri ſolent defendere; inter quos fuerat Bernardus Navagerius Cardinalis avunculus meus; quem memini hunc locum tractantem in familiaribus colloquiis me audiviſſe ſæpe, interdum etiam eſſe admiratum: quamquam cum ætate proceſſi, hujuſmodi ſententiam probare non potui; excuſat enim præſtantium ingeniorum ſegnitiem, deſidiam neſcio quam alit, fertilitatem excellentium ingeniorum reprimit, honeſtam voluptatem nobilibus ingeniis adimit, familiis ornamenta aufert, civitates in quibus orti ſint aliqui doctrina excellentes viri, jucundiſſima memoria privat, divina munera, quæ non ceſſat largiri dominus Deus, celare nititur.

53. Et in philoſophia poſt illos quos nominavi, pulcherrimi conſcripti ſunt libri variis titulis, ut ille quem de perenni philoſophia ſcripſit Epiſcopus Eugubinus: et concivis meus Gaſpar Contarenus de elementis pulcherrimum opus reliquit. Et poſt inſignes theologos quos nominavimus, Hugones cum laude ſcripſerunt, Toſtadus Abulenſis epiſcopus; uterque Sotus, Medina, et alii quamplurimi; qui aut mutato ordine, aut diluciditate majore adhibita, ingenii ſui fœtus non infeliciter ediderunt. et ante hos admirabilis ille vir ſanctus Bernardus, quem hoc ſæculo videtur referre maxime Aloyſius Granatenſis. Quæ avunculus meus, et plerique alii graviſſimi viri dicere conſueverunt, perſuadent *adhibendam eſſe cautionem in ſcribendo*, non omnem ſcribendi induſtriam adimunt; nec credas velim, Navagerio Cardinali, quem tu etiam noſti, ſi voluiſset, defuiſſe ingenium, et cognitionem etiam plurimarum rerum ad opuſcula conſcribenda plurima. Sed variis uſque a juventute ſua publicis occupationibus, legationibus plurimis pro republica impeditus, a ſcriptionibus abhorruit, novos etiam libros non libenter legebat: lucubratiunculas meas non reſpuebat, quia erant ſororis filii, quem ut filium, ut diſcipulum diligebat. Veronenſem illum meum Fracaſtorium

rium poëtam inſignem, et Cremonenſem illum Vidam, Sannazarium etiam, poſt inſignes quos commemoravimus poëtas, quis non legat interdum? *Cautionem* igitur dicimus *adhibendam in edendis libris*, non prohibemus tamen ſcribendum eſſe aliquid: ſæculo noſtro, fertilitati ingeniorum injuriam non facimus. Caveatur, ne quæ ab aliis ſcripta ſunt, in novos transferantur libros, et ne quæſtionibus inutilibus, multo minus inofficioſis, libri impleantur.

54. Antequam quis ad ſcribendum ſe conferat, diligenter conſideret, *quid ſcribat*, deinde *quomodo ſcribat*, ſi habeat ſcribendi facultatem, ſi verſatus ſit in primis artibus; mirabile enim eſt quoſdam interdum ſcripſiſſe ita barbare, ita inquinate, ut legi ſine faſtidio, et ſine moleſtia a viris mediocriter in bonis artibus verſatis non queant; quamquam non negamus, pondus ſententiarum, et acumen ingenii latere interdum in libris barbare, et inquinate conſcriptis ab hominibus, qui ne minimum quidem ſtudium in orationis elegantia adhibuerunt; ut interdum in limo abſconditum eſt aurum: at quoniam id raro fit, et incultam, et ſordidam orationem reſpublica literaria non facile admittit, hortaremur nos, qui nullam latine ſcribendi facultatem habet, ut a conſcribendis libris, aut ſaltem ab edendis abſtineret. Res mirabilis, Silvi, quod fere ſemper in præſtantiſſimis ſcriptoribus ſapientiam cum eloquentia conjunctam videas, et eos qui maxima cum laude ſcripſerunt, quamplurima ſcripſiſſe animadvertas. Plato *philoſophorum Deus* audacter, et oratorie nimis a Cicerone nuncupatus eſt: idem *ſummus orator* dictus. Ariſtoteles etiam philoſophus eximius *naturæ ſcriba* eſt dictus: aureum flumen eloquentiæ in eo fuiſſe, ſcribit Plutarchus a Cicerone dici conſueviſse. Nazianzenum *theologum* appellavit antiquitas, multi jure illum *Demoſthenem eccleſiaſticum*. longum eſset, ſi doctorum omnium græcorum, et latinorum hoc loco mentionem facerem. Sane qui doctiſſimi, iidem diſertiſſimi fuerunt: nec quamdam ſancto Thomæ defuiſſe ſcribendi elegantiam, ut illa tempora tulerunt, dixerimus: nemo ſanctum illum virum barbare, aut inquinate ſcripſiſse audebit dicere: pulcherrimis illum floribus e philoſophis, ex hiſtoricis, ex poëtis etiam decerptis libros or-

naſse ſuos licet animadvertere. Et qui inſignes in omni genere. ſcriptores exſtiterunt, volumina conſcripſerunt plurima, quorum etiam quædam interierunt, ut Plato, Ariſtoteles, Xenophon: et illi quos nominavi, ſanctus in primis Chryſoſtomus e græcis, ex latinis ſanctus Auguſtinus, Hieronymus, et Ambroſius, et ille qui libros ſancti Auguſtini in ordinem viſus eſt redigere, et quem laudare ſatis nequimus, ſanctus Thomas. Toſtadum illum epiſcopum Abulenſem, qui multitudine librorum ſanctum Auguſtinum viſus eſt ſuperaſſe, non laudare non poſſumus; et quamquam ex aliorum libris plura congeſſerit in ſuos, quam neceſse fuerit, ejus tamen induſtriam, et immenſum laborem, ut etiam Hugonis Cardinalis, Nicolai Lyrenſis, et Dionyſii Carthuſiani, non probare non poſsumus; et valde etiam probamus illorum vigilias qui in commentariis in ſacros libros ſcribendis, et in transferendis ſanctis doctoribus græcis in latinam linguam ſtudium ponunt; nam quo minus ingenio indulgent ſuo, et minorem ſcribendi voluptatem capiunt, eo magis aliorum commodis ſervire, et communem ſpectare videntur utilitatem, quam ſolidam laudem non immerito quiſpiam judicaverit.

55. Et mirum eſt, Silvi, quod perpauci reperiuntur qui paucos ſcripſerint libros, et laudem vel mediocrem ſint conſecuti. id accidere licet credere, quia longa exercitatione ingenium acuitur, et ſcribendi, ut etiam dicendi facultas comparatur. Brevis libellus Lyrinenſis, *quæ ratione dignoſcantur hæretici*, illius ſcriptoris nomen illuſtravit: non multi libri aliquorum ſcriptorum, a quibus plurimos libros conſcriptos fuiſſe legimus, eorum nomina illuſtria reddiderunt, ut Polybii, Salluſtii, et aliquorum etiam theologorum. Sed hæc librorum copia, et ſcribendi quædam proclivitas *cautionem* illam in eiſdem *libris edendis* valde perſuadet, cum difficile ſit, ut is qui ſcribit plurima, interdum eadem non repetat; et ſæpe ſui ipſius non ſit diſſimilis, non contradicat interdum ſibi ipſi, quod doctiſſimis etiam viris contigiſse legimus. Et eo major *cautio* eſt *adhibenda*, quoniam hoc noſtro ſæculo inter ſcriptores multo plures jacturam exiſtimationis fecerunt, libros ſuos in publicum emittentes, quam ullam vel mediocrem laudem

ſint

ſint conſecuti: hanc rem comprobare exemplis multis non eſt neceſse, cum notiſſimum ſit, doctiores habitos eſse quampluri-mos antequam libros ediderint, quam ubi ediderunt; præſertim inter illos qui jus civile, et canonicum profitentur. Cepit hoc noſtrum ſæculum ingenioſum ſatis, et acutum veterum ſcriptorum ſatietas, librorum novorum ſceleſta, et venenata novitate, qua licet qui a caſtiſſimo matris noſtræ eccleſiæ ſanctæ gremio divulſi ſunt, delectentur; ſæculum tamen ipſum noſtrum, et reſpublica, ut ita dicam, literaria librorum multitudine obruitur, et offenditur.

56. Quartus ille locus, *cur ſcribatur*, *cautionem in libris edendis* docet maxime; nam inter eos qui libros aggrediuntur ſcribere, ſcribunt aliqui ut doctrinam patefaciant ſuam, et inde gloriam conſequantur: nonnulli æmulatione, aut livore potius ducti, ut depreſſione aliorum creſcant, ipſi aliorum exiſtimationi detrahunt. quidam ſcribunt quaſi mercatores, ut lucrum inde capiant: aliqui ut hac ratione in hac communi, quotidianaque vita periculis, et ærumnis variis expoſita ſe ipſos conſolentur, et oblectent. Sunt qui laborem ſuſcipiant ſcribendi ut amicorum paucorum quorumdam, aut filiorum ſuorum utilitati conſulant; inter quos numeravimus epiſcopos qui ad uſum clericorum ſuorum, ſive populorum quos ſuæ fidei credidit dominus Deus, aliquid conſcripſerunt: poſtremo conſignare ſtudent monumentis literarum quidam egregios libros ad hæreticos convincendos, et ad poſteritatem inſtruendam; qui omnium judicio laudandi valde ſunt, ſi brevitatem cum perſpicuitate conjungant, et res ſerias non cognitas omnibus in medium afferant, et divulgent; ut proximo anno fecit Robertus Bellarminus Societatis Ieſu, acerrimo vir judicio, et admirabili doctrina, qui libros Controverſiarum edidit.

57. Poſtremus locus erat, ut diligenter conſideraretur *ad quos* dirigunt ſcriptores libros ſuos. Aliqui ad filios ſuos ſcripſerunt, ut M. Tullius libros de officiis, Ariſtoteles Nicomacho libros decem de moribus; opera inſignia, quæ niſi de rebus præſtantiſſimis, et excellenti ordine ſcripta fuiſsent, edenda non fuerant. exſtat libellus ſancti Baſilii ad fratris ſui filios, *quomodo legendi ſint gentilium libri*: item opuſcula ſancti Ambro-

bro-

broſii, et aliorum ſanctorum ad ſorores ſuas. Ad quorum virorum ſanctorum imitationem ipſe etiam ſcripſeram librum, de quo dixi, de utilitate capienda ex rebus a Venetis geſtis ad fratris, et ſororis meæ filios. Alii ad reges, ad principes, ad Pontifices ſummos, ſuos mittunt libros, ut Ariſtoteles fecit, qui ad Alexandrum ſcripſit, Plutarchus ad Trajanum, ſanctus Bernardus ad Eugenium, et quamplurimi hoc ſæculo principibus, et regibus ſuos inſcribunt libros, aut ut nominis celebritatem ſibi comparent, aut, quod ſæpius ſolet accidere, ut ſuorum laborum præmium aliquod conſequantur. Et apud veteres non defuerunt qui hortatorios libros conſcripſerint ad reges, ut Iſocrates, et alii, et ſanctus Thomas ad regem Cypri; qui libri ſi ſalutaria contineant præcepta, et graviter conſcripti ſint, utiliter, et cum laude eduntur ad illorum principum, et regum qui ſucceſsuri ſunt, utilitatem. Ad poſteritatem totam conſcribi videntur hiſtoriæ, quæ ſi diligenter, et perſpicue ſcribantur ſine ullo fuco, ad veritatem teſtificandam, ad virtutem debitis honoribus extollendam, ad poſteritatem inſtruendam, earum laudanda eſt editio.

58. Ex his locis hæ regulæ colligi poſsunt, ut *cautio in edendis libris adhibeatur*. hæc ſit prima: ne quis edat librum qui ea contineat quæ ab aliis tractata ſint uberius: ſuo nomine non vulget libros de argumento aliquo quod dilucidius, et verbis elegantioribus tractatum ſit ab aliis: inanis gloriolæ aucupandæ cauſsa ſcriptiones non vulget ſuas: ſeipſum, et alios fallens, mercaturam ingenii, et ſcriptionum ſuarum ne faciat: quod mediocrem ſaltem utilitatem chriſtianæ reipublicæ eſse allaturum opus non intelligit, nulla ratione in publicum mittat: non oneret literariam rempublicam libris ſuis, non obruat præclara, et curioſa ingenia ſuis nugis. ſolatio ſcribendi contentus paucis quibuſdam amicis legat ſua, non edat; ut ipſe feci, qui ab edendis libris valde abhorrui. Quam *cautionem* et tu *adhibuiſti*, et reipſa viſus es probaſse; cum enim fertiliſſimum divino beneficio nactus ſis ingenium, et nemo facilius, nec felicius te carmine, et ſoluta oratione loquatur, et ſcribat, ex improviſo etiam incredibili mea, et omnium cum admiratione; pauciſſima tamen edidiſti, Silvi, ſolida laude ingenii, et do-

ctri-

ſtrinæ contentus, modeſtia, humilitate potius chriſtiana tua fruens. Opus illud ego tuum egregium, varia et excellenti eruditione refertum, ad patresfamilias conſcriptum, edendum juſſi, quod in omnium manibus Veronæ diligenter volvitur, quod in ſcholis doctrinæ chriſtianæ, audientibus magiſtris et patribus quamplurimis familias, alta voce legitur.

59. Pythagoras, et Socrates admirabiles philoſophi habiti ſunt. ambo, quamquam magiſtri egregii plurimorum exſtiterint, hujus *cautionis* de qua ſcribimus, *in libris edendis* auctores præcipui exſtiterunt. nec literam ullam Socrates Platonis magiſter, et philoſophiæ excultor ſummus reliquit; nec Pythagoræ etiam ullum opus exſtat inſigne: magiſtrum potius ſilentii fuiſſe teſtatur antiquitas. Sed majus quiddam conſiderandum cenſeo. Chriſtus Dei filius, vera ſapientia, magiſtrorum omnium magiſter verus, qui fecit quæ docuit antequam doceret, per totum vitæ ſuæ tempus nullum vel minimum edidit librum. Ejus vita ſanctiſſima, mores caſtiſſimi, ejus excelſa humilitas, eximia manſuetudo, admiranda patientia, excellens caritas, miracula ſtupenda quæ edebat, libri erant ampliſſimi: ne eloquentiæ vi ulla fundatam ſanctiſſimam religionem Chriſti, calumniatores perfidi auderent dicere, ut in ea divinam vim ineſſe cognoſcerent homines, ejuſdem religionis, et veræ ſapientiæ auctor Chriſtus libros non edidit. Crux ipſa fuit liber, et cathedra, quæ orbem terræ docuit, in qua philoſophos omnes qui de moribus longiſſimos libros conſcripſerunt, ſuperavit. Qui autem hanc divinam docendi rationem nullos conſcribentes libros imitati ſunt, ut ſancti Apoſtoli, Martyres, ſanctus Ioannes Baptiſta, et ſancti Eremitæ quamplurimi, qui librum crucis meditantes, virtutum maximarum, ſobrietatis, caſtigationis corporis, et jejunii exempla reliquerunt, ſuſpiciendi ſunt, et etiam laudandi; orbis enim chriſtiani muti quidam magiſtri divinitus dati ſunt, qui exemplo docerent, non libris.

60. Nec tamen quia Chriſtus Dei filius nihil ſcripſit, ejus veluti ſcribæ ſancti Evangeliſtæ, et ſancti Apoſtoli Petrus, et Paullus divino ſpiritu edocti, nihil eſſe ſcribendum cenſuerunt; nec quia ſancti Evangeliſtæ, et Apoſtoli, quos nominavi, com-

plexi

plexi ſunt omnia quæ ad inſtituendas animas pertinebant, deſtitit Dionyſius Areopagita, ſanctus Cyprianus epiſcopus et martyr, et alii quamplurimi ſancti ſcriptores, aliquid ſcribere. Exempla igitur quæ attulimus, ad *cautionem* potius *adhibendam* non ſolum *in edendis libris* pertinent, ſed etiam in conſcribendis, quam ad omnes ſcriptiones tollendas; ut quicumque ſcribit, intelligat, non tam in ſcribendo, quam in recte agendo vitam perfectam, et ſolidam laudem eſſe conſtitutam: ſe multo præſtantiores homines exſtitiſſe qui nihil ſcripſerint, et qui ſanctis vitæ inſtitutis univerſum orbem docuerint, ut innumerabiles ſancti viri, ſanctæ etiam mulieres, quæ rempublicam chriſtianam, humilitatem, robur animi, et conſtantiam, caſtitatem, caritatem, et multiplices, ac excellentes virtutes vitæ exemplis, martyriis etiam ſuis docuerunt.

61. Domeſticis ipſe exemplis libenter utor: commemoratione tu rerum Venetarum delectaris valde, quia præcipuo quodam amore diligis rempublicam Venetam. Priſcos illos Venetos, qui eximia pietate, et præclaris virtutibus ſuis præclariſſimam rempublicam conſtituerunt primum, deinde ſanguine etiam ſuo propagaverunt, literarum ſtudiis non admodum deditos fuiſse legimus, ſæculi illius quo fundata eſt reſpublica, infelicitate; Vandalis enim, Gothis, et Longobardis Italiam vaſtantibus, quibus temporibus reſpublica crevit, ſtudia literarum minime florebant. nobilibus potius mercaturis, et rerum plurimarum uſu, gubernandæ reipublicæ artem ediſcebant priſci Veneti: literarum ſtudiis operam non dabant. Si qui fuerant qui literis delectarentur, erant perpauci. Andreas Dandulus princeps, qui primus inter Venetos inſignia doctoratus accepiſse ſcribitur, cum doctrinæ famam eſset conſecutus, et Venetorum ſtatuta in unum redegiſset, ante quadrageſimum annum ad principatum aſcendit, et ſtudia ſua ad communem utilitatem contulit. In eadem familia Fantinus epiſcopus Patavinus, literarum fuit cultor eximius, et plurimos ante annos Petrus Vrſeolus ampliſſima principatus dignitate relicta, in Aquitaniam in monaſterium, tamquam in portum, ſe recepit, ſanctimoniæ laude clarus, non mediocris etiam do-

doctrinæ, ut illa tempora ferebant; quem nihil ſcripſiſſe accepimus.

62. Italia Vandalorum, Gothorum, Longobardorum vaſtationibus liberata, republica admodum propagata, literæ refloreſcere cœperunt, egregios quoſdam viros patria noſtra tulit. in familia Iuſtiniana Bernardum, et Laurentium; alterum hiſtoriarum ſcriptorem egregium, alterum *beatum* nuncupatum, qui libros pulcherrimos immortalitate digniſſimos conſcripſit: nuper etiam ex eadem familia, annales Petrus compoſuit. Duo etiam exſtiterunt ex Marcella familia, Chriſtophorus, et Petrus; alter eruditione varia plenum librum edidit, alter res geſtas principum mira perſpicuitate, et brevitate collegit. Et Donati duo ſatis nobiles ſcriptores floruerunt; quorum alter epitomem rerum Venetarum compoſuit, alter multo doctior, græcis, latiniſque literis eruditus valde, qui apologiam ſcripſit difficillimis reipublicæ temporibus adverſus calumniatores Venetæ reipublicæ, et Alexandri Aphrodiſienſis breves libros, ſed egregios admodum, latinos fecit.

63. Et ex familia Barbara quatuor inſignes viri exſtiterunt, Hermolai duo, quorum alter epiſcopus fuit Veronenſis, quem Ioannes Baptiſta Egnatius non mediocris eruditionis vir doctum admodum virum fuiſse teſtatur; alter, qui Caſtigationes Plinianas magno labore ſcripſit, et paraphraſim Themiſtii in libros quoſdam Ariſtotelis ſua magna cum laude in latinum tranſtulit, cum ejuſdem etiam Ariſtotelis rhetoricæ libros tres ad Theodectem floride admodum in latinum tranſtuliſset * *. Et Contarena familia doctos viros tulit, inter quos hi præcipui fuerunt: Gaſpar Cardinalis, qui libros egregios ſcripſit de republica Veneta, de elementis, qui metaphyſicam ſatis dilucide explicavit, in ſacra etiam theologia nonnulla reliquit opuſcula, in quibus quamquam perpauca non ſatis probata fuerint doctis, et piis viris, inter præcipuos tamen, et excellentes viros ætatis ſuæ commemoratus eſt Gaſpar, et commemorabitur ſemper. ſuaviſſimis moribus præditus, ſumma integritate vir, legatus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Bononiæ eſt mortuus. et Petrum Franciſcum Contarenum ipſe novi: ejus, ut dictum eſt, conſuetudine, dum ſenatoris fungeretur officio, ſum uſus;

G novi

novi etiam illum patriarcham urbis Venetæ acutiſſimo ingenio virum, et rerum plurimarum ſcientiſſimum. Fuit in Camaldulenſium ordine ex Delphina familia religioſus vir, eruditione varia, theologia in primis præſtans, ſub cujus nomine liber ſatis magnus epiſtolarum fuit editus: et Ioannes, qui primo Torcellanus, deinde Brixienſis fuit epiſcopus, liberalibus artibus, et variis ſcientiis excultus.

64. Et Mocenica familia bonarum literarum amatores habuit: Andream, qui inſignia doctoratus accepit, et de bello Cameracenſi librum ſcripſit: ejus fratris filium Philippum, ingenii acumine, et vitæ innocentia præſtantem, qui opus illud ſatis magnum conſcripſit. in ea vivunt duo philoſophiæ admodum dediti viri, quorum alter eſt epiſcopus Cenedenſis, qui philoſophiam aliquando antequam eſset epiſcopus, Venetiis ſenatus juſsu docuit; alter eſt Aloyſius ſenator bonus, acri judicio vir, qui non ſolum in Ariſtotelicis, ſed in Platonicis etiam libris diligenter verſatus cum rerum cognitione eloquentiam conjungit, ejuſdem fere ætatis cujus ipſe ſum. Et Suriana familia doctrina multiplici viros habuit; Michaëlem, et Iacobum in primis, quorum alter legationibus eſt functus, orator etiam Romæ fuit, Pio V. ſanctiſſimo Pontifici gratiſſimus; alter, quo familiariſſime ſum uſus, æqualis meus, ubi et ipſe legatione pro republica ad Gallorum regem eſt functus honorifice, et præcipuos magiſtratus in republica eſt conſecutus, in Congregationem Clericorum Regularium, tamquam in portum, ſe recepit, ut antea dixi, in qua cum paucos menſes admirabili exemplo vixiſset, migravit in cælum, doctrina excellenti præditus vir, quam cum non mediocri eloquentia conjunxerat. Veneria etiam familia literarum ſtudiis deditos viros habuit, præcipue fratres illos duos Franciſcum, et Dominicum, alterum philoſophiæ peripateticæ valde deditum, alterum inſignem, quem noſti, poëtam. Gabriela familia Venetum Socratem noſtra ætate peperiſse exiſtimatur, Triphonem, politiſſimis excultum literis, et animi ſui ſenſa civibus noſtris libenter communicantem. Foſcareni non pauci doctoratus inſignia acceperunt; proximis annis Sebaſtianus, et Iacobus, qui philoſophiam ſenatus juſsu ante me docuerant Venetiis

cum

cum laude, quorum alteri eo in munere ipſe ſucceſſi.

65. Petrus vero Bembus Cardinalis, cujus pater ſatis eruditus fuerat, varia eruditione ſua, et mira ſcribendi elegantia nomen Venetum ornavit: cujus tempore Canalius ab ipſo, et a Navagerio celebratus vixit; in qua Canalia familia aliquot poſt annos Ioannes Franciſcus magnus philoſophus eſt habitus. Et in Maurocena familia in literis præſtantes aliqui viri exſtiterunt, Dominicus in primis, qui in ſancti Thomæ Aquinatis libris egregie verſatus fuerat, et philoſophorum omnium libros, Platonicorum in primis, diligenter volverat: Romæ orator Venetæ reipublicæ magna cum laude fuit, eique ſucceſſerat Navagerius noſter, qui poſtea Cardinalis fuit, de quo ſæpe mentionem fecimus. Et Navageria familia ingeniorum fuit admodum ferax; in ea enim pauciſſimi reperti ſunt qui bonis literis non ſint delectati, et eloquentiæ ſtudiis aliquantulum non fuerint dediti. Sed præſtantiſſimi fuerunt Andreas, qui orationes egregias, carmina etiam pulcherrima ſcripſit; et Bernardus ipſe Cardinalis, qui niſi perpetuis reipublicæ occupationibus occupatus fuiſſet, et ſcriptiones omnes hoc ſæculo ſupervacaneas exiſtimaſſet, in ſcribendo gentilis ſui laudem, Lazari Bonamici teſtimonio, ſuperaſſet.

66. Ipſe propago neſcio quæ Navageriæ familiæ, cum Luciæ Bernardi ſororis filius fuerim, tu ſcis (alii qui me non norint, non facile crediderint) quantopere ſcriptionibus perpetuis ſim delectatus. Ingenue fateor, nullam ego voluptatem cum ſcribendi voluptate comparandam putavi. Scriptio lectionem parere, fugare otium, nutrire memoriam, dicendi facultatem miniſtrare, amicos parare, exiſtimationem augere viſa eſt, ſi ſine fuco, ſine oſtentatione ingenii, ſine vehementi laudis cupiditate fiat, ſi *cautio* demum *adhibeatur* de qua ſcribimus; quam valde probo, quam adhibui, quam adhibendam in omni mea vita ſemper putavi, quam adhiberi ab iis quos diligo, vehementer cupio, et eos qui rerum mearum heredes ſunt futuri, adhibituros eſſe confido, cum a me ſæpe audierint meam hac de re ſententiam. Cautus ipſe fui in permittendo ut meæ ſcriptiones ederentur, quia non ſatis doctum me eſse ſcio, quia non callere optime linguam in qua præcipue auſus

 ſum

ſum ſcribere plurima, latinam nimirum; in qua imitatione potius bonorum præceptorum quos nactus ſum, et aſſidua exercitatione, quantulamcumque hanc quam habeo ſcribendi facultatem ſum conſecutus. non putavi edendos eſse meos libros, quia nihil altum, nihil ſublime continent, nihil quod in veterum libris non ſit explicatum et gravius, et ornatius. nolui edere, ne literariam rempublicam onerarem ſcriptionibus meis, ne inanem gloriam aucuparer, ne in meorum æqualium invidiam inciderem, quam maxime ſemper vitandam cenſui; eo magis abſtinendum ab edendis meis libris judicavi, quia, ita me Deus adjuvet, Silvi, in nullo meorum opuſculorum diligentiam tantam adhibui, quantam adhibere potuiſsem, et eorum plurima vix continuatim perlegi. judicium etiam avunculi mei, quoad vixit, maximi feci, et mortui etiam maximi facio, et veneror.

67. Et inter illos qui honeſtis parentibus orti ſunt, non tamen jus ſuffragii habuerunt (cives ipſi Veneti nominantur, et fratrum loco ab illis qui rempublicam adminiſtrant, habentur) fuerunt qui in ſtudiis optimarum artium verſati, non minimam laudem ſunt conſecuti. Ioannes Franciſcus Commendonus Cardinalis, legatus ad regem Poloniæ ornatam et elegantem orationem habuit; ſcripſit etiam ab adoleſcentia egregia opuſcula, pulcherrima in primis carmina; et Hieronymus Ragazzonus epiſcopus Bergomenſis, latini ſermonis cultor egregius, in celeberrimo Tridentino Concilio, et viſitationibus quamplurimis orationes habuit, et libros conſcripſit cum laude; quam multo majorem conſequeretur, ſi pergeret ſcribere, quod fortaſse bonus epiſcopus non facit paſtoralibus occupationibus impeditus, et quia aliquot annos in Gallia ſanctæ ſedi Apoſtolicæ apud regem chriſtianiſſimum egregie inſerviit. Venetos non paucos excellenti ingenio, et doctrina viros quos nominavi, et alios etiam quos præterii, cum ante oculos haberem, qui aut nihil ſcripſerunt, aut nihil certe edendum arbitrati ſunt, pudebat me, cum illorum judicium in abſtinendo a ſcriptionibus non ſequerer, *cautionem in edendis libris* non imitari. Et veniebant ſæpe in mentem multi, aliqui etiam Veneti, quibus ad tuendam eorum exiſtimationem ſatius fuiſset nullum ediſse

diſse librum. vere dicam, amice candide, interdum puduit, ne dicam pœnituit, tot horas in ſcriptionibus collocaſse. cur? dicis: quia fortaſse potuiſsem eaſdem horas collocare utilius in philoſophorum libris diligentius perlegendis, vel, ut rectius dicam, in ſacris libris ſtudioſius evolvendis, et in ſanctorum doctorum commentariis: majorem temporis partem fructuoſius poſuiſsem in meditationibus, et divinis precibus fundendis ad Deum, in negotiis etiam ſpiritualibus fortaſse tractandis.

68. Sed ne me ipſum prorſus deſtituam, in mearum ſcriptionum defenſionem dicam aliquid. Cum ſine voluptate vita hæc tranſigi nequeat, non illiberalem hanc voluptatem me percepiſse, quid eſt cur me pœniteat? ſcriptio cum meditationem nutriat, et orationi etiam materiam ſubminiſtret, ſi abſque ſcriptione vixiſsem, aridior fuiſsem fortaſse, et ineptior ad divina colloquia. aſſidua, et plane infinita lectio variorum librorum, quamquam multiplicem, et interdum admirabilem cognitionem pariat, ſi ſcriptione non diſtinguatur, et exornetur, confundit animum, mentem quodammodo obſcurat, tædium parit, frigidos ſæpe homines reddit. Animo ſæpe volvi illos quos nominavi Venetos, Petrum Franciſcum Contarenum, & Dominicum Maurocenum, viros doctiſſimos, quorum ſcripta nulla exſtabant, quamquam dixerint multi, ab illis ſcripta fuiſſe quamplurima. ii tot mearum ſcriptionum pudorem adimebant, cum non edebam quæ ſcribebam. Iuſtinianorum Bernardi, Leonardi, et maxime Laurentii, quem *beatum* dicimus, Gaſparis itidem Contareni præclara opera, Andreæ Navagerii, et Petri Bembi elegantiſſimæ lucubrationes induſtriam augebant meam, honeſtam excuſabant voluptatem. excuſabam etiam me, quod amicis eſſem obſecutus, cum plurima antequam eſſem epiſcopus ſcripſiſſem, ut amicorum voluntati obſequerer: et epiſcopus ſcripſi ad uſum Veronenſis cleri, et populi meæ fidei crediti, ut paſtorali meo munere fungerer. libri vero quos demum Cardinalis delineavi, ad pietatem alendam, et ad amorem meum in collegas quoſdam quos præcipuo amore diligo, et magna obſervantia proſequor, oſtendendum pertinent.

69. Quæ omnia quamquam vera ſint, peccaſse me tamen, quam-

quamquam non graviſſime, non negaverim, quia avidior viſus ſum fuiſse voluptatis illius quam percepi, et negligentior in corrigendis lucubrationibus meis, ut parentes aliqui ſolent facere, qui divino beneficio ſuſceptis filiis, ubi in lucem ſunt editi, illos negligunt, quaſi minime genuerint; quos in præclariſſimo illo opere tuo reprehendis acriter. Verum enim vero, Silvi, librorum judex acerrime, et æſtimator rerum optime, *de cautione in edendis libris adhibenda* cuperem ut præſtantes aliqui ingenio viri opus conſcriberent, quod in manus omnium qui literis ſint dediti, perveniret; quo opere pruritum ſcripturientium acriter reprehenderent primum, deinde notas quaſdam indicarent, quibus quis facile poſset dignoſcere, num liber quem ſcripſerunt, ſit edendus. ſed ſine longis operibus, ea quæ in ſacra Indicis congregatione ſuperioribus annis, dum ipſe etiam illi intereſsem, ſunt decreta, ſi ſervarentur, ſufficerent. Nihil non ſolum contra ſacroſanctam Chriſti religionem, ſed nec etiam quod ſanctis ejus dogmatibus aliqua ratione videtur repugnare, nihil in odium hominum eamdem ſanctam eccleſiam matrem agnoſcentium, nihil procax, nihil laſcivum, nihil invidioſum, nihil maledicum, nihil vanum, nihil inutile edatur. Vbi quæſtus, ubi ſordium, ubi ignobilis mercaturæ ſuſpicio aliqua eſt, luxuries ingeniorum coërceatur. non ſolum in Vrbe, in qua ſacri palatii magiſter fideliter hoc fungitur officio, ſed in ſingulis civitatibus ubi ſunt typi, optandum eſt valde ut hæ ſervarentur regulæ, quibus cautio edendorum librorum continetur, et novorum librorum utilitas ſpectatur.

70. Vtiliter editi ſunt libri Cæſaris noſtri Baronii, ſacerdotis Congregationis Vallicellæ, quibus ſanctorum memoriæ, et eccleſiaſtici annales ad erudiendam chriſtianam rempublicam, continentur. Vtiliter ſcripſit Robertus Bellarminus, quem alio loco nominavi, Societatis Ieſu, inſigniter eruditus vir, cum abſurdas, et perverſas hæreticorum opiniones confutavit egregiis voluminibus: et qui commentarios in Danielem prophetam ſcripſit, Benedictus Pererius, laudandus eſt valde; ut non laudari non poteſt Toletus doctor, qui commentarios in ſanctum Evangeliſtam Ioannem eruditos admodum conſcripſit.

Alio-

Aliorum libri quamplurimi laudandi ſunt, quos non commemoro, ne in longum protrahatur liber. Tuos ego libros merito edendos curavi ad patresfamilias, quos magiſtri doctrinæ chriſtianæ in hac Veronenſi diœceſi ſemper habent in manibus, ut dixi. conſuluiſti enim mirandum in modum patribus, et matribusfamilias, quæ ſunt genera hominum conſilio maxime indigentium. Et ex illis qui vivunt, Granatenſis opera, inter cetera, digna fuerunt maxime quæ iterum atque iterum ubique terrarum ederentur; ut Didaci etiam Stellæ præclara quædam opuſcula, et aliorum plurimorum, quibus Sanctus excitatur Spiritus, et devotio maxime alitur.

71. In hiſtoriis autem edendis cavendum eſt potiſſimum, ne mendaciis corrumpatur veritas, ne dulce adulationis venenum miniſtretur principibus viris, quod non ſolum in hiſtoriis, ſed in carminibus, et aliis librorum generibus propinari ſæpe ſolet; et eſt ignobilis ingenii nullam ſolidam laudem quærentis. Verum quod ad meos attinet, ut has quas nominavi cautiones ad uſum meum revocem, ſcio me nullum ſcripſiſse librum ut alicujus famæ detraherem, ut cuiquam maledicerem, ut me ceteris anteferrem, ut inde maximam me laudem conſecuturum ſperarem. Scripſi indulgens ingenio, quia ſcribens admirabilem voluptatem cepi: ut alia fugerem voluptatum genera, hac delectatus ſum. Veteres ſcriptores imitari habui ſemper in animo, verborum lenocinia minime ſum aucupatus, pondere potius ſententiarum conatus ſum meum ſenſum exprimere, nec umquam ſtudui haberi Ciceronianus. Ingenue tecum loquar; ſatis magnam mercedem ſcriptionum mearum putavi voluptatem; et ſic illum verſiculum uſurpare merito poſsem: *vitavi denique culpam, non laudem merui*. Ob id in nullius, ut arbitror, invidiam incidi, quamvis plura ſcripſerim quam quiſpiam æqualium meorum Venetorum. Qui libri ſunt editi ex meis, meo juſſu non ſunt editi: Borromæus Cardinalis aliquos, tu nonnullos, quoſdam Petrus Franciſcus Zinus, varia eruditione, et facundia, ac ſcribendi elegantia præſtans, qui inter canonicos hujus cathedralis eccleſiæ Veronenſis fuerat, curavit edendos. pauciſſimi, et illi quidem ad uſum hujus Veronenſis Eccleſiæ, meo juſſu editi ſunt.

72.

72. *Cautiones* igitur de quibus pluribus ad te ſcripſi, *in libris edendis adhibui*, et *adhibebo* dum vivam; ſpero etiam adhibituros fratris mei filios, in quorum manus, cum ex hac vita migravero, ſcriptiones meæ pervenerint. Nolim in primis edatur umquam ea quæ de rebus Venetis delineata fuerat hiſtoria; nec etiam libri illi quos ad illos, et ſororis etiam meæ filios de utilitate capienda ex rebus a Venetis geſtis, inſcripſi. habeant illos in manibus, legant, ad uſum revocent præcepta quæ ab aliis minime tradita ſunt: numquam edendum patiantur opus non ſatis elaboratum, nec, ut oportuerat, expolitum. In hoc quod ſcribo, a tua fortaſſe ſententia diſſentio. Sed, Silvi, plane intelligo, ſi edatur opus illud, editionem non profuturam plurimis; animadverſura eſſe acuta ingenia, quæ illorum animos offendant. Alii vero libri cur edantur, cum ad uſum tantum illorum ad quos miſſi ſunt, ſuſceptus a me labor ille fuerit? Homilias autem de paſſione Domini, et commentarium de conſolatione eccleſiæ conſiderate legere, et emendare numquam cum per occupationes mihi licuerit, non eſt, niſi a me adhibito magno ſtudio corrigantur, cur ullo umquam tempore mittantur in lucem. Nec hoc ipſum opus quod ad te ſcripſi longius quam putaveram, edendum ulla ratione arbitror.

73. Et quia in loquendo eſt quædam garrulitas, ita eſt etiam in ſcribendo quædam proclivitas, quæ ei aliqua ex parte reſpondet, quæ, ut garrulitas ipſa, fugienda eſt. ut enim de verbo otioſo reddenda erit ratio, ſic, puto, reddetur etiam de otioſa ſcriptione, de libris inutilibus. et ut hypocriſis injuſtitia quædam eſt vituperanda valde, ita oſtentatio ingenii, et exiſtimationis augendæ vehemens ſtudium in literaria republica hypocriſis quædam eſt ſanis ingeniis fugienda. quamobrem, Silvi, cum interdum me recolo, ad clementiſſimum patrem Deum mentem meam dirigens, tot mearum ſcriptionum veniam petere in animo habeo; petii etiam aliquando. Non tamen omnia quæ ſcripſi, me ſcripſiſſe pœnitet; nec omnes meos libros inutiles puto. qui in eadem familia in qua natus ſum, naſcentur, imitatione induſtriæ meæ ad fugiendum otium, et ad liberales artes amandas excitabuntur.

74.

74. Audi, frater amantiſſime, quid in hac vitæ meæ reliqua parte de hac mea proclivitate ad ſcribendum ſtatuerim: ubi duos libros abſolvero, alterum de fugiendis honoribus, alterum de utilitate capienda ex corporali ægritudine, quos, ut duobus Cardinalibus diaconis obſequar, ut dixi, aggreſſus ſum ſcribere, finem ſcriptionibus omnibus meis imponere conſtitui. Quid ages? dices: quod tibi erit in ſenectute tua ſolatium? ſcriptionibus aſſuetum ingenium tuum langueſcet omnino? obliviſceris tui? Auguſtinus Valerius eſſe deſines? Non mei obliviſcar, frater, nec deſinam eſſe Auguſtinus, ut ſpero. novero rectius me ipſum, et Auguſtino ſcripturiente evadam prudentior, noviſſima cogitans, res altas meditans, ad cæleſtem patriam aſpirans, in ſacris libris diligentius verſans. cæleſtes oratores, ſanctorum nimirum prophetarum libros, diligenter legere eſt animus, ut languidæ orationis meæ me magis pudeat: ab illis ad peccata mea deflenda, ad negligentiam meam, ne dicam vanitatem, accuſandam erudiar, juſtitiam Dei conſiderans, et minas, nec minas ſolum, ſed etiam ſupplicia quibus potentiam oſtendit ſuam, obſervans, inſtruar in timore Domini. Res tragicas quas ſervus ſuus deſcribit Hieremias in lamentationibus ſuis, perlegens, in lamentationibus, in ſuſpiriis, in lacrimis, quod meæ vitæ eſt reliquum conſumam. Cæleſtem epiſtolam, Evangelium Chriſti, perfectam ſapientiam, rerum cognoſcendarum, et agendarum epitomem habebo ſemper in manibus; res itidem geſtas Apoſtolorum, et beatiſſimi Chriſti vicarii Petri, ſancti Paulli, et aliorum quorum ſcripta ſancta legit eccleſia, evolvam diligenter, legam ſtudioſius quam umquam antea fecerim; non deſinam etiam repetere. hæc ipſa lectio functionibus omnibus meis erit anteferenda. Vſu ſanctiſſimi ſacrificii, familiarium ſermonum, piorum etiam colloquiorum reliquam vitæ meæ partem ducam, nihil ſcribendo, ſed legendo, orando, hortando, ægros viſitando, et alia pia paſtoralia negotia tractando eadem qua feci hilaritate.

75. Quod ſi cavere omnino a ſcriptionibus non potero, nihil aliud certe ſcribam (ſanctum Auguſtinum, cujus celeberrimum nomen indigniſſimus omnium refero, imitatus) præter meditationes quibus ad contemnendum miſerrimum hoc ſæcu-

H lum,

lum, et ad cæleſtem Hieruſalem optandam, et quærendam exciter. Leges hæc, Silvi candide amice, amice triginta annorum, qui maxima veræ ac ſinceræ benevolentiæ erga me indicia dediſti; leges hominis Veneti fere ſexagenarii lucubrationem (brevi enim tempore nonum, et quinquageſimum agam annum) agnoſces tu ſtilum meum minime politum, fluentem cum luto aliquo, quo tu non offenderis; agnoſces ingenuam quamdam ſcribendi libertatem, et amorem in te meum.

76. Qui in ſacro Cardinalium collegio hac tempeſtate ſumus, excitari poſsumus ad ſcribendum exemplo Cardinalium qui ante nos in eodem ſacro collegio plurimos jam annos floruerunt, proximis etiam annis vixerunt. Omittamus ſanctum Hieronymum, de quo eſt aliqua controverſia, appellandus ſit Cardinalis, necne. diaconorum Cardinalium admiranda in ſcribendo fuit induſtria, eximia laus. Innocentius III. in ordine diaconorum cum eſset, de miſeria hominis præclariſſimum conſcripſit opus; item Hugo Cardinalis in ſacros libros commentariolos utiles admodum ſcripſit. Sanctus Bonaventura, quem merito inter eximios, et præcipuos doctores numerandum ſanctiſſimus noſter Sixtus cenſuit, quamplurimis libris ſuis ſumma pietate, et excellenti doctrina refertis, Thomas etiam Cajetanus ingenii acumine, et admirabili rerum ſubtilium cognitione præſtans, libris ſuis ſacrum collegium noſtrum ornaverunt. Reginaldus deinde Polus, Iacobus Sadoletus, Veneti duo noſtri Contarenus, et Bembus ſcriptionibus delectati ſunt, quamquam in diverſo ſcribendi genere verſarentur. Et Moniliani Cardinalis Aræ Cæli libros in manibus habuimus: et novimus egregium librorum ſcriptorem, et oppugnatorem hæreticorom acerrimum Stanislaum Hoſium, *Cardinalem Vermienſem* nuncupatum, eximia doctrina, ſanctiſſimis moribus, et admiranda morum ſuavitate præditum. Exemplo igitur Cardinalium liceret ſemper aliquid ſcribere: ad novos labores ſuſcipiendos excitari ipſe poſsem: inflammabuntur fortaſse Cardinales qui vivunt, qui florent ingenio, et dicendi, ac ſcribendi facultate, et inſigni, ac multiplici doctrina ſunt exculti.

77. Si autem ſine ſcriptionibus poſtremam hanc meæ vitæ par-

partem duxero, inſignia exempla virtutum maximarum, quæ in præſtantiſſimis Cardinalibus eluxerunt, et cum magnam doctrinæ famam eſſent conſecuti, nihil tamen monumentis literarum conſignarunt, imitabor, ut fuerunt Marcellus Cervinus, qui Marcellus Secundus dictus eſt, Ioannes Petrus Caraffa, qui Paullus Quartus eſt dictus; Carpenſis, et Moronus Cardinales inſignes nihil monumentis literarum commendarunt; quamquam Paullus Quartus ad octogeſimum tertium annum perveniſſet, et multiplicis, et excellentis doctrinæ famam eſſet conſecutus. Et in Gulielmo Sirleto Cardinale, quem novimus, qui utrumque noſtrum mirifice dilexit, prope infinitam fuiſſe rerum cognitionem ſcimus. at quamquam admirabilem eccleſiaſticarum rerum notitiam haberet, et omnes ſcriptores græcos, ac latinos diligentiſſime perlegiſset, et in familiaribus ſermonibus recitaret; cum in græca, et hebraica lingua tantos feciſſet progreſsus, quantos nullus qui in ſacro Collegio exſtiterit; nihil tamen vir tanta doctrina, quam cum excellenti pietate conjunxerat, ſcriptum reliquit; ut ſic ſtatuendum nobis eſse videatur, quemadmodum ſcriptum eſt in ſancto Paullo: *is qui non manducat, manducantem non judicet, et qui manducat, non manducantem non ſpernat*; ita qui nihil ſcribit, aliquid ſcribentem non judicet: qui ſcribit, non ſcribentem non ſpernat; ejus potius prudentiam magni faciat, admiretur doctrinam, et modeſtiam commendet.

78. Si qui Cardinalis tempus norit recte dividere, et in precibus ad Deum fundendis, et in ſanctis ſacrificiis, in lectione bonorum librorum, in negotiis eccleſiaſticis rite tractandis norit ponere; variarum ſcriptionum pericula, æmulationes, reprehenſiones etiam non injuſtas vitans, laudandus erit fortaſſe magis, quam qui ſcriptionibus etiam non inutilibus delectatur; cum admodum difficile videatur, poſt inſignes ſcriptores quos antea nominavimus, quidquam a quopiam utiliter ſcribi poſſe.

79. Hic ſit opuſculi hujus *de cautione adhibenda in edendis libris* finis, quod qui leget (cupio autem eſse perpaucos) æquitatem animi mei, ut credo, perſpiciet; et cum e ſcriptionibus nullam laudem poſtulem, remittet, ut ſpero, culpam;

liberalem quam ſcribendo percepi voluptatem, condonabit: permittet facile poſt tot ſcriptiones meas ut nihil ſcribam amplius. Tu, Silvi optime, non ſolum ſcriptionum mearum, ſed etiam omnium æſtimator egregie, ad me ſcribes quid de hoc meo libello ſentias; quem ſcripſi hiemalibus noctibus, vehementiſſimis et aſperrimis frigoribus, ac ſi tecum loquerer Romæ, leniens deſiderium tui, quod vix in hac abſentia mea ab Vrbe fero. in variis, et magnis paſtoralis muneris occupationibus dictatum eſt, totum fere ante lucem.

80. Et neceſsario a me hac de re ſcribendum duxi, quia plurimi, tu etiam ſæpe hortatus es, ut libros omnes quos in mea vita conſcripſerim, in unum volumen redigendos curarem. hortati ſunt etiam alii qui meas; viſi ſunt admirari nugas, ut antequam ex hac vita migrarem, illos permitterem edendos; quos tantum abeſt ut imprimi ſim permiſſurus, ut quantum in me eſt, vivens prohibeam ne ubi etiam poſtremum diem obiero, umquam edantur. Sint in manibus gentilium meorum, et aliquorum Venetorum conſanguineorum, et affinium noſtrorum: illi gentilis, conſanguinei, aut affinis ſui induſtria, et hortationibus ad bonarum artium ſtudia excitentur: amici mei legant, quaſi mecum loquantur, ſi pro ſua humanitate interdum libuerit. obrui meis ſcriptionibus rempublicam literariam non eſt neceſse. hujuſmodi judicium fero de libris meis, hanc ob cauſsam tam longum librum ſcripſi: *cautionem* omnino *in meis libris edendis* hujuſmodi *adhibendam* cenſeo, ut denuo edantur illi, ſi opus ſit, qui editi ſunt, ad utilitatem eccleſiæ, præſertim Veronenſis; reliqui omnino non edantur.

F I N I S.

BER-

BERNARDI NAVGERII

S. R. E. CARDINALIS

VERONENSIS ECCLESIAE

ADMINISTRATORIS

VITA

AB

AVGVSTINO VALERIO

CONSCRIPTA.

BERNARDO NAVGERIO ABBATI

PETRVS VALERIVS.

TERTIO epiſcopatus Veronenſis ſui anno Auguſtinus Valerius, qui viginti fere poſt annos paſtoralis ſui muneris a Gregorio XIII. Pontifice Maximo et optimo Cardinalis eſt factus, vitam Bernardi Naugerii Cardinalis, avunculi, et prædeceſſoris ſui, ſcripſit. Latuit commentariolus hic, qui res a Bernardo geſtas breviter, et dilucide explicatas continet, inter ſcriptiones ſuas non paucas uſque in hunc diem. Non eſſe adhibitam eam quæ oportuerat, diligentiam in viri præſtantiſſimi, et de ſe optime meriti rebus præclare geſtis narrandis, dicere ſæpe conſuevit idem quem nominavi, epiſcopus, et Cardinalis noſter: nihilominus cum commentariolum quo vita avunculi ſui exprimitur, legiſſet, quædam etiam addidiſſet ſuperioribus menſibus, mihi poſtulanti tandem conceſſit ut ederetur ad hunc uſum, ut egregiam optimi ſenatoris formam expreſſam in tota ſua vita, cum rempublicam adminiſtravit Bernardus, Veneti ſenatores intuerentur: epiſcopi etiam, et Cardinales, ſi in eorum manus lucubratio hæc inciderit, ad variarum, et illuſtrium virtutum quibus ipſe claruit, imitationem incitarentur. Precibus meis mittendum tibi hujuſmodi opuſculum cenſuit Cardinalis, ut domeſtico exemplo Naugeria familia, quam, memor lectiſſimæ feminæ matris ſuæ, unice diligit, ad eamdem imitationem excitaretur; tu in primis, qui præſtantiſſimi ſenatoris, et Cardinalis ampliſſimi es nepos. Porro juſſit

idem

idem Cardinalis patruus meus, ut quædam exemplaria libelli hujus, quo vita avi tui, cujus nomen etiam refers, explicata eſt graviter, et eleganter, ut opinor, ad te mitterentur. Horum exemplaria duo mandavit ut dares Sebaſtiano Venerio conſanguineo noſtro, doctrina, et virtutibus variis ornato viro, ad quem etiam valde pertinet hic libellus, cum Cardinalis Naugerius ipſius fuerit etiam avus, ut pote qui ex Laura, femina virtutibus pluribus clara, eſt natus. juſſit etiam ut communices hanc eamdem ſcriptionem conſanguineis tuis in Naugeria familia natis, tuis etiam amicis. Ipſe autem egi gratias benigniſſimo Cardinali, ut pulcherrimo, et valde, ut arbitror, pretioſo dono tibi utilitatem aliquam, voluptatem etiam maximam afferrem, et amori in te meo, qui plane fraternus eſt, ſatisfacerem; dediti enim fuimus in eadem academia Patavina iiſdem philoſophiæ, et theologiæ ſtudiis, et cum inſignia doctoratus accepiſſes in theologorum collegio, oſtendiſti tu, ut omnes qui aderamus commemorare ſoliti ſumus, non ſolum doctrinam egregiam, ſed etiam admirabilem dicendi facundiam, et avitam plane eloquentiam. Erit hæc ipſa ſcriptio perpetuum teſtimonium Cardinalis erga avunculum ſuum obſervantiæ, et grati animi; teſtabitur etiam fraternum, de quo dixi, et ſingularem amorem erga te meum. Vale, Bernarde optime, et perge ad domeſticas virtutes imitandas, et me, ut facis, ama.

BER-

BERNARDI NAVGERII
S. R. E. CARDINALIS
Veronenſis Eccleſiæ Adminiſtratoris
VITA
A B
AVGVSTINO VALERIO
CONSCRIPTA.

NATVS eſt Bernardus Venetiis in patricia Naugeriorum familia, in qua multi boni cives, et de Republica Veneta optime meriti fuerunt, inter quos ipſe nominare conſueverat Ioannem Naugerium, qui pro patriæ libertate, et dignitate fortiter pugnaverat, et alacriter etiam occubuerat. Patrem habuit Ioannem Aloyſium, virum innocentiſſimum, et optimum ſenatorem. Summa parentum, et magiſtrorum diligentia eſt educatus, cum ei in puerili diſciplina majorum ſuorum virtutes proponerentur, quas ita eſt imitatus, ut familiæ ſuæ decus et ornamentum addiderit. Puer memoria præſtitit ita, ut ſex, aut etiam octo libros Aeneidos, ſicut edidicerat; patri recitaret, et orationes longiſſimas M. Tullii in ſchola memoriter pronuntiaret. Natus videbatur ad eloquentiam, et

magnam puer in eo genere laudis ſpem afferebat. Ioannes Aloyſius pater etſi advocator communis erat, et in amplis magiſtratibus reipublicæ operam navabat, nihil tamen habebat antiquius quam ut filium inſtitueret, et excitaret quotidie ad res maximas cogitandas, et imitandum illum qui vivebat magna cum laude, Andream gentilem ſuum. Et quamvis ſenator bonus non amplum haberet patrimonium, in educando tamen, et in inſtituendo filio nulli ſumtui parcebat: in comparanda copia librorum, in remunerandis magiſtris ne ditiſſimis quidem totius civitatis hominibus cedebat. Habuit filios tres, Franciſcum, qui admodum adoleſcens eſt mortuus, hunc Bernardum, et Hieronymum, et filiam unam, quam dum magiſtratum gereret in Cypro inſula, moriens teſtamento filiorum ſuorum fidei commendavit, quam fidem ipſi non fefellerunt; nam non multo poſt tempore eam Bertuccio Valerio nobili Veneto, viro ingenio acri, qui aliquo in numero in Republica videbatur futurus, in matrimonium collocarunt. Sed omnem ſpem Ioannes Aloyſius videbatur poſuiſſe in uno Bernardo, illum præcipuo quodam amore diligebat, ſovebat illius ingenium, ad illum audiendum, dum recitaret aliquid, aut cum æqualibus diſputaret, non accedebat ipſe ſolus, ſed præſtantiſſimos ſenatores ſecum multos adducebat, in hoc exiſtimationem ponens, et divitias, ſi filium ſuum moribus, et doctrina præſtantem ad ornamenta, et commoda reipublicæ inſtitueret. Hanc rem commemorare ſolebat Philippus Stridonius, qui ſub Stephano Plazonio bono grammatico Bernardi condiſcipulus fuit, cum quo etſi contendebat ingenio, et exercitatione, atque etiam literis, cum eſſet major natu, illum tamen illa etiam ætate ſe admirari ſolitum dicere conſuevit, et Ioannis Aloyſii patris maximam caritatem in filium ſæpiſſime laudare numquam deſiit. In adoleſcente, aut puero potius, alacres, et ingentes ſpiritus cernebantur: magna videbatur cogitare, gloriam ſibi proponere, regnare quaſi inter æquales videbatur velle, ita ſi quid pecuniæ haberet, libenter pro omnibus, cum opus eſſet, dependebat, quaſi ipſe omnium eſſet ditiſſimus. Erat corporis ſtatura minime procera, non tamen exigua, erat aſpectu valde amabili, elucebat gravitas in vultu, oculi, qui

ſunt

ſunt principes in pronuntiatione, omnium benevolentiam ſibi conciliabant, et trahebant ſingulos cum quibus loquebatur, in quam vellet ſententiam. abundabat ejus in corporis temperatura ſanguis permixtus bile, non tamen atra, qua mixtione fiebat ut facile apprehenderet omnia, et quæ ſemel apprehendiſset ſemper retineret; ita ut, quod raro ſolet contingere, cum excellenti ingenio conjungeretur memoria quædam admirabilis, ut omnia quæ aut ex libris didiciſset, aut a viris doctis audiviſset, ſemper haberet in promtu, et ad ea quæ proponebantur, accommodaret. Patre in Cyprum inſulam a ſenatu miſso ad inſpiciendas magiſtratuum omnium qui eo tempore in inſula erant, rationes, Bernardus qui jam decimum octavum annum attigerat, patrem magnis precibus exoravit, ut quo tempore ipſe abeſset a republica, ſibi liceret Patavium in nobiliſſimam illam academiam ad optimas diſciplinas percipiendas ſe conferre: nullo in loco ſe melius, et honeſtius poſse adoleſcentiam ſuam traducere, polliceri ſe ſtudio, et diligentia effecturum ut eum filii voluntati obſecutum eſse, et in ejus diſciplinam ſumtus feciſse non pœniteret. Hortabatur conſanguineum ſuum Andreas Naugerius, qui paterno amore Bernardum tamquam heredem ſuæ gloriæ, et eum qui ornamentum familiæ eſset allaturus, mirifice diligebat, ut filio non deeſset; rogabant omnes Ioannis Aloyſii propinqui, et amici, ut naſcentem gloriam, ad quam filius videbatur natus, minime retardaret. Itaque vir bonus, et filii laudis cupidiſſimus, quidquid habebat patrimonii, id totum Bernardo tradidit, quo et librorum copiam ſibi parare poſset, et in ſtudiis commodius verſari. Itaque Patavium venit Bernardus ante vigeſimum annum, quo in gymnaſio tantum profecit in liberalibus diſciplinis, ad tantamque laudem pervenit, ut ſua ætate nemo magis laudaretur: tantos progreſsus fecit in orationibus ſcribendis, atque etiam in carminibus, ut non deeſsent qui illum cum Andrea gentili ſuo, qui ad maximam laudem utroque in genere pervenerat, conferrent. Philoſophiæ ſtudiis operam dedit docentibus M. Antonio Genua Patavino, atque etiam Vincentio Madio Brixiano. uterque magnus philoſophus eſt habitus. Patavinus acumine videbatur

præſtare, et gravitate quadam philoſophica in interpretandis Ariſtotelis libris: alter fortaſse Ariſtotelis ſenſa fidelius, et diligentius exprimebat. utrumque eſt ſecutus. Iis magiſtris in philoſophiæ ſtudiis tantam diligentiam poſuit, quanta ſatis eſſet ad alendam eloquentiam, et ad adminiſtrandam rempublicam in qua erat natus. Inanibus, et ambitioſis diſputationibus, quæ ſine magna oſtentatione haberi non poſsunt, non delectabatur: e fontibus philoſophiam hauriendam putabat, græca cum latinis conjungens: eſse potius philoſophus bonus, quam haberi acutus ſtudebat: non probabat depravatum illum morem qui percrebuit in ſcholis, ut tantum tempus ponatur in abſtruſis, et inutilibus quæſtionibus tractandis, ut vel minima pars librorum Ariſtotelis explicetur: ſcripſiſse admirabilem illum virum putabat, ut ſui libri ſtudioſe legerentur: non poſſe aliquem ejus librorum partem recte intelligere qui multa non noſſet ex eodem ſcriptore: neminem eſse meliorem interpretem Ariſtotelis, quam ipſummet; quamobrem legendos ſæpe diligenter ejus libros, et ſcripta Platonis, Xenophontis, Iſocratis, Plutarchi, et aliorum; egregios enim illos viros ſe mutua quaſi opera interpretari aliud agentes judicabat; et prudenter ſane. Illos libros ab Ariſtotele conſcriptos qui in ſcholis explicari non ſolent, habebat ipſe in manibus, ut ſunt libri de moribus, non ſolum ad Nicomachum, ſed etiam ad Eudemum, atque ii qui *magna moralia* inſcribuntur. Vſus eſt cum eſset Patavii, conſuetudine, et familiaritate Petri Franciſci Contareni, qui deinde fuit Venetus patriarcha, Dominici Mauroceni doctiſſimi viri, Danielis Barbari viri admodum eruditi, qui præclaros libros edidit, et coadjutor Aquilejenſis eſt mortuus, optimorum adoleſcentium qui eo in gymnaſio ingenio et doctrina floruerunt, et Speronis Patavini viri acerrimi judicii, et multiplicis doctrinæ, quibuſcum conjunctiſſime vixit, eoſque in omni vita plurimi fecit. Speron, quo nemo fortaſse illo tempore de aliis judicare melius poterat, tam multa, et tam præclara de Bernardi eloquentia, judicio, et ſuaviſſimis moribus dicere ſolebat, ut nec amabiliorem, nec præſtantiorem civem Venetiis natum ſua tempeſtate quemquam putaret. Narrabat interdum conveniſse eos de quibus eſt di-

ctum,

ctum, et alios quoſdam, et cum probitatem hilaritate condiendam eſse, honeſtatemque cum liberali voluptate conjungendam dicerent, ex tempore ante cœnam, aut etiam poſtquam cœnatum eſset, haberi ſolitos ſermones tam lepidos, tam elegantes, tanta cum gravitate a Naugerio, qui minor natu erat, ut motu corporis, et geſtu, mirabilique demum actione expreſsam ejus orationem omnes admirarentur, et magnum oratorem futurum judicarent. Dum Patavii ſtudiis doctrinæ operam daret, et ad gloriam magnis laboribus contenderet, ecce de patris obitu literæ afferuntur. adoleſcens in curſu ſtudiorum optimorum ſine tanto patrimonio quantum ſatis eſse poſset ad commode vitam ducendam, cum altero fratre, et una ſorore, intermiſſis ſtudiis ad rem familiarem cogitur animum adjicere. Multa, et graviſſima incommoda Bernardo, et toti domui attulit patris acerba et immatura mors; nondum enim quinquageſimum nonum annum attigerat, cum in Cypro inſula illius cæli intemperie, et laboribus magnis quos in magiſtratu ſuo obeundo ſuſceperat, exceſſit e vita. Patrem amiſerat eo tempore quo magna commoda, et ornamenta ſibi, et familiæ ſuæ erat allaturus; quo ſoror etiam ejus Lucia eo magis indigebat; eam tamen ipſe jacturam conſtanti animo tulit, et in patriam rediit hanc præcipue ob cauſsam, ut ſororem, cui maximum luctum attulerat patris mors, conſolaretur, ejuſque nuptiis provideret, quod et præſtitit cum tanta dote quanti non fuit æſtimatum patrimonium quod ipſi reliquum erat; quam ob fraternam caritatem, vel potius pietatem paternam, valde laudatus eſt. Non deerant qui hortarentur hominem præſtanti ingenio, præclaro judicio, atque naturæ muneribus omnibus quæ ad dicendum requiruntur, ornatum, cui adhuc ob ætatem (duos enim et viginti tantum annos natus erat) ad rempublicam non patebat aditus, ut cauſsas ageret: natus ad eloquentiam, facultatem illam conferret ad utilitates hominum, et patrimonium valde tenue, ut præſtantes multi viri fecerunt, augeret: non defuturos ei tandem honores in republica maximos. id conſilium ipſe minime probavit, quamquam reprehendere nulla ratione poſset. Ita a natura erat formatus ad res maximas, ita veræ

lau-

laudis ſtudio, et cupiditate gloriæ rapiebatur, ut nihil quod non prorſus nobilis, et excelſi animi videretur eſse, poſset facere, aut cogitare. Egit quaſdam cauſsas adoleſcens tanta cum laude, ut nemo videretur cauſsam ullam poſse tractare diligentius; et moleſtum erat ab illis quos defendebat, aliquid accipere. Verum minime chriſtiano tutum putans nullo delectu omnes cauſſas defendere, ut facere ſolent qui eo in genere ſtudii verſantur, et turpe etiam exiſtimans, aut certe indecorum, Venetum hominem natum ad adminiſtrandam florentiſſimam rempublicam, et ad regendos alios, laboribus perpetuis, et contentionibus forenſibus occupari; aliam vitæ rationem inivit, et, ubi primum per ætatem licuit, petiit ut in collegium admitteretur, eum in locum in quem juvenes ingenio præſtantes, ut formam reipublicæ intueantur, et ad adminiſtrandam rempublicam, patriamque adjuvandam erudiantur, admitti ſolent. neque irrita fuit ejus petitio, ſiquidem ſapiens ordinum ſuo tempore creatus eſt fere cunctis ſuffragiis. Memoria patris optimi ſenatoris, fama ingenii, et eloquentiæ ei profuerunt ad conſequendum illum honorem. Sapiens ordinum tantam eloquentiæ laudem eſt conſecutus, quamquam ſemel tantum modeſtiæ cauſſa illo primo ſemeſtri ſpatio dicendum in ſenatu ſibi ſtatuiſſet, ut de eo maxima ſit concitata opinio, ſummum ipſum oratorem futurum, et præſtantiſſimum ſenatorem omnes judicarent. Vivebat ea tempeſtate Victor Fauſtus, qui præterquam quod literas græcas Venetiis profitebatur, in ædificandis etiam navibus operam ponebat. vir magni ingenii, ut Venetæ reipublicæ navale inſtrueret, et locupletaret, quinqueremem magnis impenſis, et magno artificio fabrifecerat. navigii genus inſolitum educendum e navali, ejus, multis contradicentibus, faciendum periculum, et cum mercibus mittendum, Bernardus defendit tanta copia ſententiarum, et lumine verborum, tot, et tam præclaris hiſtoriis in medium allatis, ut nihil quidquam in ſenatu admirabilius auditum fuerit eo tempore. Eſt mos Venetæ reipublicæ ut magna diligentia, et multo ſtudio petantur magiſtratus, et ſuffragia colligantur. magnam in hoc vim habent crebræ ſalutationes, et hoc in primis, ut nominatim homines

appel-

appellentur; indicium eſt enim magnum, eos non contemni, a naturaque nobis eſt inſitum, ut magni fieri vehementer cupiamus. Bernardus, ut qui hoc ſalutandi ſtudio, et blandis appellationibus minime delectaretur, aut potius ab illis (natura ita docente) abhorreret, fama eloquentiæ, et ſuavitate morum ſibi faciebat aditum ad honores. Eodem tempore cum oratio in funere Cardinalis ampliſſimi Cornelii eſſet habenda, Bernardus is fuit qui nobiliſſimæ familiæ hac in re ſatisfecit, orationemque habuit copioſam, et elegantem. Et quoniam quinto quoque anno vetere conſuetudine mitti ſolent a ſenatu duo patricii qui magiſtratuum rationes examinent, num jus cuique tributum ſit, aliquiſne ex ſociis, et filiis hujus civitatis affectus ſit injuria, ad ſenatum referant, in Dalmatiam cum M. Antonio Amulio, qui poſt aliquot annos eodem die quo ipſe Cardinalis creatus eſt, ad ſublevandam illam provinciam miſſus eſt; ex quo munere cum in patriam rediiſſent, tanto neceſſitudinis, et benevolentiæ vinculo ſe conjunxerunt, ut in omni vita amiciſſimi fuerint. Vbi ab illo munere in patriam redierunt, cum nobilem quemdam male geſti magiſtratus accuſaſsent, eumque convincere omnino nequiviſsent, aut quia non ſatis conſtaret an juſte accuſaretur, aut quia nobilitate familiæ, et multorum ſtudiis ſe tuebatur, ex illa accuſatione nullam laudem ſunt conſecuti, immo potius in invidiam aliquorum inciderunt, qui dicerent, juvenes ſtudiis eloquentiæ deditos, Naugerium in primis, qui quatuor annis minor natu erat, arripuiſse occaſionem oſtentandi quantopere ea in re valerent. quibus malevolorum ſermonibus factum eſt, ut poſt depoſitum *ſyndicatum*, ita enim magiſtratus ille appellatur, quem in Dalmatia una cum Amulio proxime obierat, difficilem ſibi rationem ad honores experiretur, et cum (ut antea dictum eſt) abhorreret a crebris ſalutationibus, quibus in republica conciliantur animi, non defuerunt qui eum ſuperbiæ, atque ironicæ naturæ inſimularent. aliquot igitur annorum ſpatio ſine ullo magiſtratu in republica vixit: totus in ſtudiis legebat eo tempore omnes hiſtorias, quibus prudentia comparatur: ſcribebat etiam aliquid. Andreas Grittus, qui ob varias, et plane heroicas virtutes, et egregia illuſtriaque in patriam merita

rita optimæ reipublicæ princeps fuit, et is princeps quem maxime omnium, dum viveret, patria venerata eſt, cujuſque memoria in animis hominum manet, et numquam eſt interitura: cum Bernardum in collegio, atque in ſenatu dicentem audiviſſet, quo tempore erat ſapiens ordinum, juveniſque eloquentiam eſſet admiratus, vir excellentis ingenii, et laudis cupidus, laudari ab eo qui in civitate eloquentiſſimus haberetur, in funere voluit, hoc ſatis grande præmium rerum præclare a ſe geſtarum laturum ſe ſperans, ſi id ab eo vivens impetraſſet. Itaque cum ad ſe vocari juſſiſſet Bernardum; volumus, inquit, in funere laudari abs te, Naugeri: quibus verbis commotus, utinam, reſpondit, ut nihil mihi poteſt eſse honorificentius, aut jucundius, quam principem optimum præſtantiſſimæ reipublicæ, et patriæ meæ laudare, ita ſenio confecto id opus ſit facere, iſque ſim qui debitis laudibus patrem patriæ noſtræ non defraudem, et reipublicæ hac in re ſatisfaciam. quæ verba læto admodum vultu excipiens, amplexatus eſt, atque oſculatus princeps Bernardum, et juſſit ut opus aggrederetur, et ſingulis annis ad ſe ad recitandam illam quam habiturus eſset, orationem veniret. Vbi orationem conſcriptam audivit, ſingulis annis ut veniret ad ſe, præſtaretque, ſi ita videretur, quod receperat, hortatus eſt. Itaque cum legeret pulcherrimam illam orationem Bernardus, et imaginem virtutum ſuarum tam pulchris coloribus delineatam cerneret princeps, audiretque illam orationis partem qua ejus fortitudo animi expreſsa eſt in obitu filii ferendo, quæ incipit: *Orbatus unico, et maximæ ſpei filio pater, quid creditis? eum ejulatus fudiſſe?* et quæ ſequuntur; lacrimas quas prætor Patavii in morte filii continuerat, illam orationis partem audiens tenere non potuit. cum vero recitarentur magna copia ſententiarum, et verborum lumine varia, et illuſtria Andreæ Gritti merita in patriam, cum in Gallia captivus libertatem patriæ conſervaſset, et pacem peperiſset; Patavium civitatem clariſſimam maximis ſuis laboribus, et periculis Veneto imperio reſtituiſset, patriæ ipſi difficillimis temporibus ſalutem attuliſset, ita afficiebatur princeps, ut nihil quidquam auribus ſuis ſuavius umquam accidiſſe Naugerii oratione ingenue fateretur, Hanc ipſam orationem cum mortuo prin-

principe in æde ſanctorum Ioannis, et Paulli maximo concurſu ſenatorum, et doctorum hominum habuiſſet, omnes qui audierunt, in admirationem convertit. hunc juniorem Naugerium cum Andrea illo tanti nominis oratore eſse conferendum, hanc in Andreæ Gritti funere cum illius in Leonardi Lauretani eſse comparandam: magni, et excelſi ingenii ad eloquentiam, et ad res maximas natum Venetiis eſse, cujus virtus nota non eſset, cui debiti non tribuerentur honores. Quod commune civitatis judicium cum Petrus Landus, qui Gritto in principatu ſucceſserat, maxime omnium probaſset, et mirifice Bernardi ingenium, et mores diligeret, cœpit cogitare, qua ratione ſibi eum affinitate conjungeret, atque filii loco haberet. Hieronymus Bernardi frater, de quo mentionem fecimus, uxorem duxerat ex Dandula familia nobiliſſima decem ante annos, ex qua filios nondum ſuſceperat. rogabat ipſe, hortabantur amici, et conſanguinei Bernardum, ne ſineret familiam ſuam, in qua præſtantes ſenatores, et de republica benemeriti naſci ſolerent, exſtingui: quatuor, aut ad ſummum quinque in ea eſse, et illos quidem matura ætate: de poſteritate cogitaret, heredem laudis ſuæ, et virtutum ſtuderet relinquere. Non ſprevit conſilium: Hiſtrianam ex Landorum familia principis neptem honeſta cum dote uxorem duxit. Quod conſilium quidam non laudaverunt, varia incommoda recenſentes, quæ cura rei familiaris afferre ſolet. Veniſse ſe in hanc ſententiam aliquot poſt annos dicebat, ut fratri ſatisfaceret, et ut ſolatium ſenectutis ſibi pararet; ſed accidit, ut quo anno ejus nuptiæ factæ ſunt, quæ magnifice admodum in ædibus principis fuerunt celebratæ, uterque filios ſuſceperit, atque inde factum ſit ut patrimonium qualecumque erat diviſerint, et ſeparatim vixerint. amor tamen, et caritas fraterna conſervata eſt. Dum illæ nuptiæ celebrarentur, hæ voces audiebantur: tam excellenti virtuti honores præcipuos eſse tribuendos, non eſse diutius ferendum ut in negotiis maximis tanti civis opera reſpublica non utatur. Eo tempore mittendus erat legatus Mantuam ad Herculem Gonzagam Cardinalem, cui procuratio illius ditionis commiſsa erat a Federico fratre, donec Franciſcus filius puer regendis aliis eſset

idoneus : Bernardus creatus eſt; qui legatione illa primum tanta prudentia , et ſplendore functus eſt, et reverſus in patriam ea quæ de more a legatis in ſenatu renuntiari ſolita ſunt, de Mantua, atque de Cardinale ſenatui renuntiavit tam apposite, ut natum eſse ad legationes, omnes qui eum audirent, dicerent: mittendum eſse legatum ad Ferdinandum Romanorum regem, aut ad Franciſcum regem Gallorum. Legatio ad Ferdinandum aliquot poſt menſes decreta eſt Dominico Mauroceno viro probitate, et literis inſigni, et cum Bernardum fuiſse præteritum, illi qui ejus virtuti favebant, moleſte ferrent , hortati ſunt hominem ut legationem ad Carolum Quintum Imperatorem, quæ multo nobilior exiſtimabatur, peteret. Iam ex legatione Mantuana id commodi, et ornamenti retulerat Naugerius, ut magiſtratum eſset conſecutus cui incumbit rationes rerum omnium quæ ex Damaſco ad rempublicam pertinent, recognoſcere; quo in magiſtratu dum eſset, in collegium ad honeſtiſſimum reipublicæ munus receptus, et conſultor militiæ declaratus eſt. ipſo in magiſtratu qui ſunt, eos appellant Venetiis *ſapientes continentis*. Eo ipſo in munere dum reipublicæ ſerviret , et ſuam laudem cum publicis commodis conjungeret, legatus mittitur ad Carolum Quintum, trigeſimum quartum annum agens, anno uno poſtquam uxorem duxiſset ; in qua legatione multos labores , et varia incommoda pertulit . Secutus eſt Imperatorem in caſtra, quo tempore Methenſis urbs ab eo obſidebatur . Tantam jacturam rei familiaris eo tempore fecit, ut non minimam uxoris ſuæ dotis partem ea in legatione conſumſerit . Et quamquam reſpublica , præter illam ſummam pecuniæ quæ ſingulis menſibus legatis ad ſuſtinendam dignitatem publicam tribui ſolita eſt , interdum etiam donis eum ſublevaſſet, in tanta tamen rerum omnium quæ in exercitu illo erat, pænuria, retinere legationis ſplendorem ſine maxima jactura rei domeſticæ non potuit . Incidit in febrim acutam , qua ejus corporis vires omnes ita debilitatæ ſunt, ut vitæ nulla reliqua ſpes eſſet; quod cum Carolo Quinto allatum eſset, juſſit ut Veſalius unus e medicis quibus utebatur , vir qui Patavii in anatomicis magna ſua cum laude verſatus erat , Bernardi curam ſuſciperet.

Qua-

Quatuor menſibus cum in lecto jacuiſset magno cum vitæ periculo, non ceſsabat tamen quantum poterat, ſciſcitari ea quæ ad ſenatum ſcribi oportere judicabat. In patriam rediit vultu admodum immutato, et tanta corporis infirmitate, ut propinqui, et amici ſui, cum primum illum vidiſsent, non temperarint a lacrimis. Non narro quæ a Carolo Quinto eo tempore geſta ſunt, et qui fuerint exitus illius belli; id enim potius ad Caroli Imperatoris vitam pertineret, quam ad Bernardi. Non eſt tamen prætereundum, ſæpe dicere ſolitum hunc Naugerium, ſe numquam adiiſse Carolum Quintum quin ab eo prudentior receſserit, eumque ſibi viſum eſse natum ad regendum orbem; tam acre judicium, tanta, et tam admirabilis in rebus gerendis ſolertia eo in Imperatore cernebatur. Legationem, in patriam reverſus, quamvis infirmi corporis vires minime id ferre videbantur, renuntiavit in ſenatu. fuit gratiſſima oratio illa longa quam habuit, qua commoti ita ſunt omnium animi partim varietate rerum quas commemoraverat, partim civis ſui caritate, qui, dum patriæ ſerviret, vitam quaſi videbatur amiſiſse, ut omnes honores illi debitos paſſim prædicarent, ipſique bona etiam omnia optarent. Patavium ex medicorum conſilio ſe contulit ad recuperandam valetudinem; et quoniam morbus ab imbecillitate capitis, cujus fortaſse erat etiam principium, a ſtomacho originem duxiſſe videbatur, aliquot menſes ibi procul a curis, et a negotiis commoratus eſt. convaluiſse vero dicebat ſe Ioannis Baptiſtæ Montani Veronenſis egregii medici opera. recuperata valetudine ſex menſibus tres magiſtratus ampliſſimos eſt conſecutus. Nam primum præfectus annonæ declaratus eſt, qui magiſtratus honorificus, et fructuoſus eſse ſolet; quem anteqnam iniret, octo poſt dies cuſtos legum, juriſque publici defenſor (*advocatores communis* appellant Venetiis) eſt creatus; quem magiſtratum altero relicto iniit, tantamque adhibuit in eo prudentiam, et gravitatem, et tam excellentem, quando opus fuit, de ſervandis legibus, ac puniendis perditis et ſceleratis hominibus adhibuit eloquentiam, ut ex ea maximam auctoritatem ſibi in republica comparaverit, et Patavinam præturam trigeſimum octavum annum, quod nemini certe contigerat,

agens, obtinuerit. Patavinis, qui ſexagenarios prætores habere conſueverant, hoc de Bernardo judicium non minimam admirationem attulit. Homo tamen minime in judiciis verſatus, qui præter morem civitatis ad magnum honorem pervenerat, omnibus virtutibus quæ in prætore laudantur, ita præſtitit, ut perpetuam nominis ſui memoriam ea in prætura reliquerit. Difficilis eſt prætura Patavina. Patavii eſt celeberrimum gymnaſium, ad quod ex omnibus Europæ partibus confluunt multi veluti ad literarum mercaturam. Varia nationum ingenia moderanda ſunt, ad quod præſtandum magna prudentia eſt opus: admodum propinqua Venetiis eſt illa civitas, et ſæpe negotium eſt cum iis qui in eadem republica nati moleſte ferunt ſibi quidquam negari. cum omni genere hominum ita ſe geſſit, ut cum in gratiam faceret nihil, omnia tamen eſsent grata quæ faceret. Plurimum adjutus eſt in ea prætura Tiberii Deciani juriſconſulti Vtinenſis, quem ipſe vicarium ſibi adſciverat, induſtria. eo prætore ejuſdem civitatis præfecti fuere Aloyſius Donatus optimus ſenex, et qui in ejus locum miſſus eſt, Ioannes Capellus eques; cum quibus, quod non ſæpe accidit, ita vixit, ut in omni vita eos amiciſſimos habuerit. Eo adhuc prætore Patavii, anno MDXLVIII. Henricus Gallorum rex, cum Taurinum veniſſet, ſenatusconſulto decretum eſt ut reipublicæ amiciſſimus rex ejuſdem nomine ſalutaretur. Itaque Bernardus id ne cogitans quidem legatus decernitur ad Henricum Gallorum regem. ſenatus per literas jubet, ut primo quoque tempore cura præturæ præfecto relicta, Taurinum ſe conferat, legationis ſuæ mandatum habiturus in itinere. obiit legationem viginti ſex dierum magna cum reipublicæ dignitate, tantamque in ea liberalitatem, et ſplendorem adhibuit, ut cum reipublicæ gloria non mediocrem laudem ſuam conjunxerit. Secuti ſunt eum multi nobiles, et præſtantes ingenio adoleſcentes, quos commemoratione rerum quas viderat, et multis hiſtoriis quas in promtu habebat, ita detinebat, ut ejus ſermonibus et delectarentur, et doctiores ſe fieri ſentirent. Aderat etiam Auguſtinus Valerius ejus ſororis filius, qui diligenter omnia obſervabat, is qui poſtea in ejus locum in epiſcopatu Veronæ ſucceſſit. Patavio

tavio ex nobiliſſima prætura cum Venetias rediiſſet Bernardus, advocator communis iterum creatur, ad illum ipſum magiſtratum quo inito perſungi non poterat. Hunc natum eſse multi dicebant ad res præclaras agendas, ejus opera conducere reipublicæ ut utatur in graviſſimo illo advocatoris munere ad exercendam eloquentiam ad uſum patriæ, ad leges conſervandas. Collegas habuit Petrum Franciſcum Contarenum virum in omni genere virtutum præſtantem, et in primis ſingulari doctrina, quem etiam habuit aliquot poſt annos, cum leges Venetæ in iis quæ ad judicia pertinent, ſenatus juſsu corrigendæ eſsent, et Federicum Valereſſium virum admodum eloquentem, cum quibus ita verſatus eſt, ut nihil iis collegis poſset eſse conjunctius. ſed tempus magiſtratus legitimum implere non potuit; miſsus eſt enim Byzantium, qui reipublicæ nomine cum Imperatore Turcarum ageret, et controverſias quæ inter Venetos oriri poſsent, dijudicaret. Nihil poteſt eſſe difficilius quam tractare cum eo Imperatore, et cum illis ſatrapis qui illi aſſiſtunt, quorum linguam quis non norit, et vivere apud illam nationem quæ a literis, et ab omni humanitate ſit aliena; ita tamen moderate tulit morum illius gentis feritatem, eamque in iis quibuſcum ageret, emollire ſtuduit, ut reipublicæ commodis conſuluerit, et ab illis etiam penes quos erat rerum poteſtas, diligeretur. Natura conſtat inſolentiſſimos, et avidiſſimos plus habendi eſse illos qui apud Turcarum Imperatorem valent auctoritate; qui quamvis in petendo improbi, et immodeſti fuerunt, ut eſse ſolent, prudentia tamen quadam Bernardus effecit ut reſpublica minorem pecuniæ ſummam, *Baili* munere ipſo fungente, conſumſerit, quam multorum temporibus qui ante ipſum Byzantii fuerant. Ditiores in patriam redire ſolent qui Byzantium ſemel a republica mitti ſolent: Naugerius nihil ex illo munere in domum ſuam præter honorem, et laudem, intulit. Laudanduſne ſit, alii judicent; vituperari certe non poteſt, quia reipublicæ non obfuit, profuit potius exemplo, et moderatione ſua. Cum id munus Byzantii gereret, in captivorum chriſtianorum redemtione, pro quibus Veneta civitas pretium ſolet perſolvere, illius pietas, diligentia, caritas in chriſtianum nomen, et

in

in patriam ſuam elucebat, ut facile perſpicerent omnes, eum, ſi copiæ domeſticæ tuliſsent, quamplurimos pecuniis ſuis redempturum fuiſse. Ita a natura erat affectus, ut perraro, aut numquam de augenda re familiari cogitaret, honeſta etiam lucra ſuſpecta ſemper haberet. inde factum eſt ut cum omnes fere magiſtratus in republica eſſet conſecutus, illis tamen qui magna emolumenta ſolent afferre, et quibus multi locupletiores facti ſunt, patrimonium ſuum numquam auxerit. Filiam unam ſuſceperat antequam ad Carolum Quintum legatus miſſus eſſet: filium vero, ubi e prætura Patavina rediit; in cujus partu Hiſtriana uxor mortua eſt, quam feminam amabiliſſimis moribus mirifice diligebat, et immatura morte præreptam luxit. Minime laudatus eſt a multis, præſertim conſanguineis, immo potius incuſatus eſt interdum negligentiæ, quod rem familiarem non modo non augeret, ſed ne conſervaret quidem: quam rem non excuſabat pluribus verbis, accuſabat potius ipſe, et reprehendebat interdum ſe ipſum hilariter; ſed ita a natura factus erat, ut niſi de magnis rebus non poſſet cogitare, pecuniam non magni faceret, ſpe in Deo maxime ſuſtentaretur. Non eſt opportunum perſequi omnia, præſertim cum laudationem non inſtituerimus. Legatio ad Angliæ regem ipſi decreta fuerat antequam prætor Patavium proficiſceretur; quam legationem mortuo interim rege ad quem mittebatur, non obivit. in ejus locum ſuffectus eſt Dominicus Bollanus, nunc Brixienſis epiſcopus, qui ſe plurimum Naugerio debere eo tempore profitebatur, quod ipſi reliquiſſet occaſionem inſerviendi reipublicæ, et aditum ſibi ad honores conſequendos. natura Bernardus erat ita benignus, ut bonis ingeniis incredibiliter faveret, et honoribus aliorum civium mirum in modum lætaretur. Byzantio in patriam cum rediiſſet, in decemvirum collegium eſt cooptatus. penes decemviros eſt maxima poteſtas in republica: iis quindecim addi ſolent, qui, cum de rebus maximis quæ ad rempublicam pertinent, agitur, omnes in conſilium adhibentur. In illum numerum cooptatus eſt Naugerius quadrageſimum quartum annum agens, quod paucis ſolet accidere. Poſtquam e Mantuana legatione rediit in patriam, nullum is, quod mirum eſt, diem ſine ma-

gi-

giſtratibus vixit. A ſenatu deliguntur tres e ſenatoribus qui Patavino gymnaſio præſint, et de iis omnibus quæ ad retinendam, atque etiam augendam illius celebritatem pertinent, ad ſenatum referant. Traditum eſt hoc munus Bernardo, collegis Matthæo Dandulo equite, clariſſimo ſenatore, et Hieronymo Ferro, homine præſtanti ingenio, et valde erudito. in eo verſatus eſt magna cum laude. interdum ſententias ſuas quæ oppugnatæ fuerant in ſenatu, defendit tanta copia, et tanta gravitate, ut nemo magis in promtu diſciplinas omnes habere videretur. Favit multum Victori Trincavellæ medico Veneto præſtantiſſimo: favit Tiberio Deciano juriſconſulto. Iuverat aliquot ante annos oratione ſua, et auctoritate Ioannem Baptiſtam Egnatium Venetum, qui humaniores literas publice docuerat: illi ut veterano, et optime merito de Veneta juventute, cum per ætatem, et infirmitatem docere non poſſet, perſolvendum eſſe tamen ſtipendium, ut ſenex commodius, et honorificentius ſenectutem ſuam poſſet ſuſtentare, ſenatui perſuaſit. Erant ex ejus æqualibus qui dicerent, eum, qua nimia liberalitate erat, et effuſione in re familiari, adhibere eam ſolitum in republica: procliviorem eſſe ad donandum quam uſus reipublicæ poſtularet. Verumtamen quoniam ad publicam dignitatem, et majeſtatem Veneti imperii conſervandam ejus conſilia ſpectare videbantur, laudabatur fere ab omnibus bonis. Præficitur eo tempore maximo muneri, quod verſatur in diſcernendis iis quæ ad ſalis diſtributionem pertinent, quod eſt non minimum vectigal reipublicæ. hoc munus dari conſuevit ſenatoribus bonis, minime divitibus. Cum nondum obiiſſet eum magiſtratum, legatus in Dominici Mauroceni locum mittitur ad Paullum IV. Pontificem Maximum, qui ſucceſſerat Marcello Secundo, qui viginti tantum diebus in pontificatu vixit. Ad hanc gratulationem, et ad præſtandam obedientiam reipublicæ nomine miſſi ſunt quatuor primarii ſenatores, Franciſcus Contarenus, Carolus Maurocenus, Hieronymus Grimanus, et Matthæus Dandulus, qui omnes dignitate procuratoria, quæ maxima eſt in civitate, ornati fuerunt. cum iis quatuor decretum eſt ſenatuſconſulto, ut Bernardus etiam proficiſceretur, eique injunctum ut ad

Pon-

Pontificem pro republica orationem haberet, qua de more debitam obedientiam ei tamquam Chriſti vicario præſtaret. Habuit orationem elegantem, et plenam gravitatis, quam mirifice Pontifex laudavit, dixitque multa eo die de reipublicæ Venetæ antiquitate, et præſtantia, et de nobili illa legatione, legatiſque pluribus verbis mandavit ut ſuam erga Venetum nomen benevolentiam, et caritatem, in patriam reverſi teſtificarentur. Redierunt in patriam quatuor quos nominavi, legati: Bernardus legationem ſuam iniit. Paullo poſt ſecuta ſunt ea tempora ut icto fœdere cum Henrico Gallorum rege, et Hercule Ferrarienſium Duce, Paullus IIII. de bello cogitaret, et multa contra Carolum Quintum, ejuſque filium Philippum regem Hiſpaniarum, diceret, et moliretur. Agebat cum Naugerio diligentiſſime ut in ſocietatem rempublicam adjungeret: facilem futuram victoriam, veniſse tempus quo Venetum imperium facile poſset augeri, proponebat. Bernardus omnia diligentiſſime ad ſenatum ſcribebat: inſerebat etiam ſæpe eadem verba quibus Pontifex utebatur: fideliter etiam ſcribebat quam incerta eſset ſpes victoriæ, quam anceps, et periculoſus exitus illius belli. tantam adhibuit prudentiam difficillimo illo tempore, ut æque gratus Pontifici, et reipublicæ fuerit, et ſenatus cognitis et perſpectis difficultatibus pacem ſuaſerit; qua conſecuta, Italia magnis calamitatibus liberata eſt. Vſus eſt a ſecretis ea in legatione Antonio Miledonio viro præſtanti ingenio, et acri judicio, ejuſque laboribus, et induſtria valde adjutus eſt. Non defuerunt qui dicerent, Paullum IIII. cogitaſse interdum Brixiæ epiſcopatum Naugerio deferre; ſed ſenator bonus in republica Veneta multos annos maxima cum laude verſatus, ab ea cogitatione ipſe abſuit ſemper. De præſtantia, atque interdum de felicitate Venetorum civium ita dicere ſolitus erat, ut qui eum audirent, ſtatuerent, non eſse cur ipſis etiam regibus Veneti homines inviderent: mille centum, et amplius annos eorum ſtetiſse, et floruiſse rempublicam, aluiſse ſemper libertatem, et multas virtutes, in veriſſima Chriſti religione natam nulla umquam hæreſum labe fuiſse contaminatam: pulcherrimis legibus ſtabilitam, florere opibus, et omnibus quæ habentur bona. Epiſco-

ſcopatum quidem eſſe opus bonum, ſed plenum laboribus, et periculis multis. Factum eſt tamen divino conſilio, ut e republica, ut paullo poſt ſcribetur, quam unice diligebat, et miris laudibus extollebat, ad epiſcopatum, atque etiam ad cardinalatum vocatus fuerit. Dum eſſet orator, uſus eſt conſuetudine in primis Thomæ Aldobrandini (hic fuit frater Clementis Octavi, quem nunc ſummum Pontificem habemus) viri optimi, et interioribus literis valde exculti; qui res à philoſophis geſtas a Diogene Laërtio conſcriptas, e græco in latinum eo tempore vertebat; et multorum hujuſmodi aliorum virorum, præſertim Gulielmi Sirleti, qui poſtea Cardinalis fuit ampliſſimus, et Pantagathi viri eruditiſſimi. Gratiſſimus fuit Paullo Quarto viro præſtantiſſimi ingenii, ſanctiſſimorum morum, et ingentis ſpiritus, cui placuiſſe magna laus eſt; erat enim ingeniorum, et actionum cujuſque judex acerrimus, et paucos admodum honoribus, et teſtimonio ſuo dignos putabat; quo fiebat ut eo Pontifice per annum, et biennium etiam ſine epiſcopo eccleſiæ cathedrales complures eſsent. nimirum intelligebat, nec cito cuiquam manus imponendas, nec homines ad graviſſima munera propere, et temere vocandos. Itaque in re tanti momenti valde tutam eſse ducebat moram, et ſuſpenſionem judicii ſui. Bernardus graviſſimo Pontificis teſtimonio, et multis laudibus ornatus, in patriam e legatione illa difficili rediit. admodum luculentus exſtat commentarius, quem ſcripſit, atque etiam recitavit in ſenatu, rerum quæ legationis ſuæ tempore geſtæ eſsent: unde multa ſumi poſſunt documenta ad comparandam prudentiam, ad adminiſtrandam rempublicam, et ad gerendas cum laude legationes. Antequam rediret in patriam, ſapiens conſilii declaratur quadrageſimum octavum annum agens; paullo poſt etiam conſiliarius. cumque accidiſset ut ſenatus adhibito ſcrutinio, ut fieri ſolet, ſenem multorum affinitatibus adjutum, et cujus integritas cognita erat, quandoquidem iterum conſiliarius fuerat, deligeret, et in magnis comitiis judicium ſuum ad majus conſilium perduceretur, factum eſt ut, cum Bernardus fuiſset nominatus, judicium ſenatus, atque illud quod appellant ſcrutinium, repudiaretur, et præterito ſene ſeptuagenario viro inte-

tegerrimo, qui poſtea princeps fuit, Naugerius ante quinquageſimum annum reipublicæ conſiliarius declararetur. Tertiam partem legitimi temporis non obiit eo in magiſtratu, quod iterum Patavium prætor mittitur. Ad Ferdinandum Imperatorem Viennam cum Ioanne Capello equite legatus aliquot ante menſes fuerat, et copioſam orationem habuerat, qua Imperatori gratulatus eſt, quod in Imperio ſucceſſiſset. omnia hac ſecunda prætura Patavina ei feliciter evenerunt; cumque acrimonia, et vis animi aliquanto remiſſior eſset, mitius et ſuavius egiſse cum omnibus dicitur, quam prima prætura: parem tamen laudem ex utraque retulit prudentiæ, probitatis, liberalitatis, et virtutum omnium quæ in prætoribus laudari ſolent. Mortuo Paullo Quarto Pontifice Maximo, ei cum in pontificatu ſucceſſiſset Ioannes Angelus Medices Cardinalis, qui Pius Quartus nominari voluit, decreta eſt ad eum legatio, et legati creati ſunt Carolus Maurocenus, et Aloyſius Venerius procuratores ſancti Marci; Nicolaus Pontius philoſophiæ doctor, et eques, et hic Bernardus Naugerius, quem Ferdinandus equitem ſuperiore anno creaverat. Solent Veneti legati ab illis regibus apud quos legatione funguntur, inſigniri illo honore; quem tamen Bernardus multos annos Veneta nobilitate contentus recuſaverat. ei habendæ ad Pontificem orationis onus erat impoſitum. jam ſe parabat ad legationem, cum in ſenatu diſſeri a quibuſdam auditur, eſse contra leges Pontio, Naugerioque datam legationem ad Pium Quartum Pontificem, quandoquidem ſuperiore anno ad Franciſcum Secundum Gallorum regem deſtinati oratores fuiſsent: binas legationes eodem tempore committi non poſse: non eſse faciendam hanc injuriam Galliæ regi qui Henrico patri ſucceſserat. Itaque cum diſputatum eſset in ſenatu pluribus verbis, vicerunt ii qui legationem in Galliam Pontio, et Naugerio decernebant, et alios duos eligi qui mitterentur ad Pium Quartum, e republica putabant. Quamobrem ſuffectis Hieronymo Grimano, et Hieronymo Zane clariſſimis ſenatoribus, Pontius, et Naugerius Galliam cogitare cœperunt, non ſine utriuſque magno dolore, et incommodo; erat enim Pontius ſeptuagenarius, et Naugerius ob infirmitatem membrorum (podagra

enim

enim laborabat) in lecto eo tempore jacebat. legationem tamen obierunt alacri animo; ex qua cum in patriam rediiſsent, ad priſtinos honores faciliorem etiam quam antea, aditum invenerunt. Quo tempore cum Ioanne Capello equite Naugerius legatus fuit ad Ferdinandum, Imperator monile aureum magni ponderis ei dono dederat: donavit etiam Capello pateras aureas maximi pretii. Senatui placuit, ut dicebatur, quia Capellus erat ditiſſimus, munus illud Imperatoris in ærarium inferre, quod æquiſſimo animo tulit Bernardus, quippe qui magni animi eſset, et pecuniam nihil facere jampridem didicerat. Opinio erat, facile poſse accidere ut ſenatus de regio munere idem ſtatueret, quod aliter evenit; decretum enim eſt fere omnibus ſuffragiis, ut illud haberent. Ex Patavina prætura, quam iterum magna cum laude geſserat, domum reverſus infirma valetudine utebatur. Eo tempore, quia acerba et immatura morte Auguſtinus Lippomanus epiſcopus Veronenſis præreptus fuerat, eccleſiæ Veronenſi epiſcopus nullus præerat, jamque ſex menſes abierant in magna omnium exſpectatione, quem Pontifex ei vellet ſuccedere; cumque ea de re variæ eſſent hominum conjecturæ, Marcus Antonius Amulius, qui tunc legatum reipublicæ agebat apud Pium Quartum, ab eo impetravit ut ſenatui permitteretur quatuor nominare e civibus Venetis, e quibus unus epiſcopus deligeretur, quem Pontifex pro ſua ſapientia Spiritu Sancto edoctus, tanto muneri obeundo aptiorem ipſe judicaret. Non ſatis firma valetudine eo tempore Naugerius utebatur: domo non egrediebatur. cumque propinqui, et amici omnes ad eum veniſſent, hortarenturque ut voluntati Dei, et patriæ ne adverſaretur, ſenatum eum nominaturum ad epiſcopatum Veronenſem, ni ſibi deſit; numquam aſſequi potuerunt ut ſe id optare diceret: factum eſt tamen ut nominaretur pluribus quam ceteri, ſuffragiis. nominavit ad Veronenſem epiſcopatum ſenatus Pontifici hunc Naugerium unum e præcipuis ſenatoribus, Danielem Barbarum virum doctrina, et moribus præſtantem, jam patriarcham Aquilejenſem deſignatum, Andream Lippomanum virum ſanctiſſimis moribus, et caritate in pauperes inſignem, et Hieronymum Triviſanum ex Dominica-

norum familia, virum acris ingenii, et ad eloquentiam in primis natum, qui ſacris habendis concionibus in eccleſia Dei magnam laudem erat conſecutus; e quibus Triviſanus a Pontifice epiſcopus eſt factus, aut quia judicaret majores utilitatis fructus ipſum eſſe allaturum Veronenſi eccleſiæ, aut, ut nonnulli dixerunt, quia Guidus Vbaldus Vrbini dux magnis precibus hoc ipſum impetraverat, virtuti favens, et eloquentiæ, quam anno ſuperiore, dum Piſauri Triviſanus concionaretur, erat admiratus; quem cum Pius epiſcopum creaſset, aliorum etiam ſibi habendam rationem judicavit. Itaque Naugerio quingentorum aureorum annuam penſionem, et Barbaro alteram ejuſdem ſummæ aſſignavit; quod cum ad ſenatum orator Amulius ſcripſiſſet, auditis literis, Naugerius hilari admodum vultu, audientibus omnibus, gratias egit Deo, quod illa cura eſſet liberatus, et alta admodum voce, penſionem illam, quemadmodum legibus ſancitum eſt, a ſenatore Veneto accipi nullo modo poſſe dicens, pronuntiavit illum verſiculum Davidis: *Laqueus contritus eſt, et nos liberati ſumus*; quæ vox ſenatui fuit gratiſſima. Fuit auctor Bernardus ut illa penſio Barbaro daretur, idque reipublicæ nomine peteretur a Pontifice ad ſublevandam rempublicam, quæ ſingulis annis quingentos aureos nummos, ut commodius poſſet vivere, Barbaro largiri ſolita eſſet. Hæc menſe Ianuario acciderunt milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſalutis noſtræ. Cum autem Cinerum ſacrorum dies appropinquaret, et Pontifex aliquot Cardinales creare conſtituiſſet, Bernardus in ſacrum illud collegium cooptatus eſt: qua de re inopinata atque inexſpectata cum Venetias nuntius allatus eſſet, Bernardus, qui ſapiens conſilii erat, dum conſuleret de iis quæ ad reipublicæ adminiſtrationem pertinebant, hac de re a Borromæo Cardinale, qui Pontificis ſororis filius erat, literas accepit; cumque nullum lætitiæ ſignum oſtendiſſet, abeuntem eum princeps etiam ipſe uſque ad ſcalas deduxit, et collegium univerſum domum uſque. Quidam dixerunt, Pium, quod vereretur ne improbaretur ſuum judicium, quod Bernardus fuerat præteritus: alii, Amulii, quocum conjunctiſſime vixerat, teſtimonio, et commendatione: major pars hominum, quoniam ei Naugerii virtus erat perſpecta et cogni-

ta,

ta, ita edocente Spiritu Sancto, in Cardinalium collegium Naugerium cooptaſse. Eodem die Amulius, qui orator Venetus erat, et ipſe Cardinalis creatur. In idem collegium eodem die adſciti ſunt Hieronymus Seripandus archiepiſcopus Salernitanus, et Hoſius Varmienſis, quorum uterque magnam nominis celebritatem eſt conſecutus. Romam venit vocatus a Pontifice per literas menſe Majo, fuitque de more exceptus, atque decretum publicum conſiſtorium. eodem die venerunt Ludovicus Madruccius, Hieronymus Corregius Cardinalis. Romæ ita vixit ut ſibi omnium animos conciliarit: paucis ſe immiſcebat negotiis, nihil magnum ſibi videbatur polliceri, ad Dei gloriam, et ad eccleſiæ dignitatem omnia ſua ſtudia referebat. Et in ſententia dicenda in conſiſtorio commemoravit Silvius Antonianus nunc Cardinalis, dicere ſolitum Carolum Cardinalem Borromæum, cujus a ſecretis erat, tantam adhibuiſſe Bernardum gravitatem, ſermones ſuos ſententiis præclariſſimis, et variis luminibus verborum refertos adeo fuiſſe, ut ſæpe in ſui admirationem ſacrum totum collegium, Pium etiam Quartum Pontificem in literis interioribus egregie verſatum, tráxerit. Fuit certe gratus Pontifici: ejus ſermone Pius incredibiliter delectabatur. Dum Pius, et Cardinalis inter domeſticos parietes loquerentur, Horatii, Virgilii, et inſignium aliorum poëtarum carmina in medium afferebant, et ita viciſſim recreabant incredibiliter poſt ſerios ſermones ſuam ſenectutem. Eum idem Pius ſæpe convivam habebat, ſæpe laudabat judicium, et probitatem, ejus etiam inopiam ſublevabat; nam præterquam quod ſingulis menſibus ei centenos aureos nummos erogari jubebat, quotannis etiam mille ei dono mittere conſueverat. Abſens a patria, in qua tot annos vixerat tanta cum laude, et a qua tot honoribus, et beneficiis erat affectus, ſine aliqua animi moleſtia vivere Bernardus non poterat: leniebat patriæ deſiderium ea ſemper cogitando, atque agendo, quæ ad ejus commoda pertinerent, et cum oratore Veneto Hieronymo Superantio optimo ſenatore tam crebros, et tam longos ſermones habebat, ut et ipſe legatione fungi videretur. nullius Cardinalis fidei res omnes ſuas ſenatus credidit umquam facilius, quam Naugerii, cujus caritatem in pa-

patriam perpetuo recordabatur. Fuerunt Venetiis qui moleſte tulerint, cum audiſſent, Bernardum Cardinalem creatum: bono cive, et gravi ſenatore privari rempublicam: Pontificem ornaſſe eum quidem ampliſſima dignitate, ſed magnum incommodum reipublicæ attuliſse. hi cum audirent, Bernardum cum Pontifice, et cum omnibus ita agere, ut Veneti nominis dignitatem in primis tueretur, dolorem illum mitigabant. Reſpublica Veneta multos jam annos a nullo Pontifice facilius omnia impetravit, quam a Pio Quarto, cujus memoriam in primis veneratur. id certe factum eſt et quoniam vir ille pontificatu digniſſimus Italiæ erat amantiſſimus, et Veneti imperii amplitudinem agnoſcebat, et plurimi faciebat: non minimum etiam juvabant Bernardi crebra teſtimonia obſervantiæ noſtrorum hominum erga ſanctam ſedem Apoſtolicam, et præcipua quædam caritas, et reverentia erga illum, qui eo tempore Chriſti vicarius eſset in terris. Sequenti anno Hieronymus Triviſanus Veronenſis epiſcopus, qui Tridentum ad celeberrimum illud, et ſanctiſſimum Concilium erat profectus, ex hac vita magno cum multorum dolore deceſſit. Quod uti primum Pontifex audivit, Bernardo perpetuam Veronenſis eccleſiæ adminiſtrationem commiſit, addiditque hæc verba: dolere ſe, fructus illius eccleſiæ oneratos eſse pluribus penſionibus: daturum ſe operam ut minuantur, aut tollantur etiam. cumque jam venientem ad ſe oratorem Venetum vidiſset, qui ſenatus nomine petiturus erat ut ſanctæ illius ſedis permiſsu quatuor liceret nominare, e quorum numero unus epiſcopus crearetur (ut factum eſt quo tempore Triviſano epiſcopatus eſt commiſsus) antequam vel verbum ullum faceret, Naugerium Cardinalem noſtrum, et veſtrum, inquit Pontifex intuens Superantium, Veronenſem epiſcopum creavimus de veſtra republica optime meritum civem, et fratrem noſtrum cariſſimum; quod noſtrum judicium certo ſcimus reipublicæ futurum gratiſſimum. Annuit legatus, et illa verba Pontificis cum ad ſenatum ſcripſiſset, ſenatuſconſulto reſponſum eſt, ut de judicio quod a Pontifice factum erat de Naugerio, reipublicæ nomine gratiæ agerentur. Iam cogitabat quamprimum Roma decedere, et Veronam ſe conferre ad adminiſtrandam illam eccleſiam,

ſiam,

ſiam, quod probe noſceret quot, et quantas utilitates afferat paſtoris præſentia, quantumque voluptatis capiat populus cum in oculis habet epiſcopum, paſtorem, et patrem ſibi a Deo datum: ſed podagra impeditus diſtulit adventum ſuum. Fuſione etiam capitis laborabat, qua fuſione ejus oculi ita gravabantur, ut vix quidquam poſsent cernere: auctores erant multi, ut pateretur eximi quas medici membranulas lumini officere dicunt, eaſque vulgo *cataractas* appellant; qua ſententia tamquam periculoſa ut ſuſtineretur, dehortabantur alii; quorum conſilium eſt ſecutus. Placuit eo tempore Pio Quarto Pontifici Maximo, quoniam e re chriſtianæ reipublicæ futurum judicabatur, e Cardinalium collegio duos legatos ad Concilium deligere. Itaque Ioannem Moronum virum uſu rerum, et variis, illuſtribuſque virtutibus inſignem, et Bernardum Naugerium hominem ad res maximas gerendas natum, cujus magna apud epiſcopos Venetos, et totam rempublicam erat auctoritas, legatos ſanctæ ſedis Apoſtolicæ declaravit, juſſitque ut quam maxime poſsent, Tridentum proficiſci maturarent. Naugerius Venetias venit, eumque patria, in qua floruerat omnibus honoribus, legatum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ vidit. omnium ſenatorum, et totius civitatis concurſus fiebat ad eum ſalutandum, et magna cum animi voluptate æquales ſuos, et ſingulos nobiles Venetos amplectebatur. Ipſe primum ad Hieronymum Priulum principem, princeps deinde ad eum cum toto collegio venit: munera etiam indicia benevolentiæ publice miſsa, quæ non recuſavit. judicavit antequam domum quæ ipſi parata fuerat, veniret, opportunum eſse, Carolum Cardinalem Lothoringium convenire, qui apud monachos ordinis Caſſinenſis diverterat (monaſterium divi Georgii dicitur) cum quo unius fere horæ ſpatio cum fuiſset, in homine acre judicium, varium uſum rerum, et incredibile in eo juvandæ chriſtianæ reipublicæ ſtudium ſe agnoviſse dicebat; ita a natura erat ad omnem humanitatem factus, et conſuetudine eruditus ad omne genus officii, ut ea in re ſe vinci a nemine pateretur. Tridentum venit biduo poſtquam Moronus venerat. noctu maluit civitatem illam ingredi, quam excipi ſolemni honore, et epiſcoporum frequentia. Erant Triden-

denti Cardinales ſex eo tempore, quatuor legati ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Moronus, qui quod honoris antiquitate præcelleret, legationis princeps erat, Hoſius Cardinalis Varmienſis vir omni ſtudiorum genere, in theologia in primis magna cum laude verſatus, Ludovicus Simoneta juris pontificii peritiſſimus, et hic Naugerius excellenti ingenio, acri judicio, interioribus excultus literis, uſu rerum edoctus valde, eloquentia inſignis, cujus vitæ curſum expoſuimus. aderant Cardinales duo qui legatione non fungebantur; Carolus Lothoringius, et Lodovicus Madruccius, ambo doctiſſimi homines, et admodum facundi: Lothoringius nonnumquam in dicenda ſententia clamores faciebat. Naugerius Venetorum epiſcoporum ingenia, et ſententias moderabatur ſæpe magna cum prudentia, eoſque interdum diſſidentes auctoritate ſua conciliabat. Ita legatis omnibus ejus judicium probatum eſt, ita omnium nationum epiſcopi ingenium, et ſuaviſſimos mores diligebant, ut omnibus eſſet gratiſſimus. Factum eſt ita diſponente Deo Optimo Maximo, qui eccleſiæ ſuæ ſanctæ illo Concilio opem ferre decreverat, ut Concilium a Paullo III. Pontifice Maximo ante XVI. annos cœptum, pontificatu Pii Quarti, cujus memoria multis aliis rebus, ſed hoc uno in primis feliciſſimo Concilii exitu numquam interibit, et iis legatis ſit concluſum, ac dimiſſum. Non laudo prudentiam Naugerii, non explico conſilia quæ ipſe collegis proponebat ad Dei gloriam, et ſanctæ ſedis Apoſtolicæ dignitatem ſtabiliendam. Veriſſimum eſt quod dicam, ſæpe ejus conſiliis factum eſſe ut concordia inter legatos, et ſententiarum ſumma conſenſio fuerit, multique epiſcopi ſimultates quas inter ſe haberent, depoſuerint; et quamquam incommoda admodum valetudine utebatur, numquam tamen deſtitit maximo labore conſulere commodis, et dignitati ſanctæ matris eccleſiæ. oculorum ægritudo in dies augebatur, ita ut timeri facile poſſet ne is brevi prorſus fieret cæcus. hæc res illi moleſtiam incredibilem afferebat: conſolabatur tamen ſe ipſe interdum, cum diceret, vixiſſe ſe diu, et ſatis laboraſſe: non inutiles fortaſſe fuiſſe labores quos pertulerat pro patria, pro eccleſia: nihil jam eſſe quod ſibi vel moleſtiam, vel voluptatem afferre poſſet: de morte eſſe cogitan-

gitandum, et multo magis de vita beata, et de cæleſti gloria, ad quam a principe rerum omnium Deo homo creatus eſt. Facere tamen non poterat quin aliquando etiam curis angeretur filiorum ex legitimo matrimonio ſuſceptorum cauſſa, cum filios duos reliquerit, (quod præſtantiſſimis aliis Cardinalibus contigit noſtra etiam memoria, ut Hieronymo Albano Bergomenſi, et ante ipſum Franciſco Sfondrato, ut alios omittamus, qui Nicolai Cardinalis Cremonenſis frater fuit, et Gregorius XIV. nominatus eſt) et Lauræ in primis ejus filiæ, quam unice diligebat; cum enim eam jam nubilem proſpiceret, non videbat qua ratione illam pro dignitate familiæ, et ſtatus ſui poſſet collocare. Verum ſuſtentabat ſenem morbis variis confectum, prope cæcum, firma quædam ſpes fore ut Deus pro ſua ſumma benignitate, et paterna cura ſui, domus ſuæ, filiorumque ſuorum curam haberet; quæ ſpes eum non fefellit: ejus enim votis reſpondit clementiſſimus pater Deus, ut paullo poſt exponetur. Dimiſſo Concilio menſe Decembri vocati ſunt omnes legati Romam, ut de iis rebus quæ in ſacroſancto illo conventu geſtæ fuerant, Pontificem, et ſacrum Cardinalium collegium plenius edocerent. Naugerius cum ſponſæ ſuæ, quam nondum viderat, deſiderium diutius ferre non poſset, petiit a Pio Pontifice per literas magnis precibus, ut ſibi liceret Veronam venire: alios legatos renuntiaturos fideliter omnia quæ in Concilio tractata, et perfecta fuiſsent. Quod cum a Pontifice impetraſset, magna cum animi lætitia Veronam venit; cui cum appropinquaret, et jam mœnia videri cœpta eſsent, verſiculum illum Davidis commemoravit: *Hæc requies mea, hic habitabo*: quaſi ſignificaret, in ea civitate ſe et vivere, et mori cupere: illic quieſcendum a laboribus, et tandem in cæleſtem patriam divina ope ſibi eſse migrandum. Comitati ſunt eum Ioannes Triviſanus Venetiarum patriarcha, et Daniel Barbarus coadjutor Ioannis Grimani patriarchæ Aquilejenſis, Petrus Landus archiepiſcopus Cretenſis, et decem epiſcopi, qui cum omnes in cathedrali eccleſia canonicorum ſedes occupaſsent, omnium oculi in nobile illud ſpectaculum rapiebantur. Celebraſse utrumque patriarcham, atque etiam archiepiſcopum ſolemnem miſsam magna cum po-

puli Veronenſis lætitia, ſæpe canonici, et ſacerdotes Veronenſes commemorant. Venienti Cardinali epiſcopo Veronam omnis clerus, univerſuſque populus obviam proceſſit ad ripam Atheſis: inſequentibus diebus habitæ ſunt orationes, ſcripta ſunt quamplurima carmina de hoc exſpectatiſſimo adventu: egregiam in primis habuit orationem Franciſcus Morandus civitatis nomine, vir doctus, et ad eloquentiam natus; quæ maxime laudata eſt ab omnibus. Laudatus etiam eſt a Vincentio Ciconia eccleſiaſticorum omnium nomine, a quo ſatis copioſam orationem habitam fuiſſe dicitur. Vbi epiſcopi omnes diſceſſerunt, Nicolaum Ormanetum Bodoloni archipresbyterum, virum in eccleſiaſtica diſciplina præſtantem, et ad res maximas agendas aptiſſimum; Adamum Fumanum canonicum, hominem integritate, et doctrina florentem; quorum utrumque ſecum Tridenti habuerat, quorumque opera in ſanctæ matris eccleſiæ procuranda utilitate Cardinales legati uſi erant (fuerat enim Ormanetus ad Bavariæ ducem nuntius miſsus ad diſſuadendam communionem ſub utraque ſpecie: Fumanus vero a Concilii literis fuerat) hos bonos ſacerdotes, quos mirifice diligebat, hortatus eſt, atque etiam rogavit, ut quod de hujus eccleſiæ adminiſtratione ſentirent, libere dicerent, proponerent ea quæ utilia eo tempore judicarent: eorum ſe conſilium plurimi facturum. In medium adducta ſunt quamplurima ab Ormaneto præſertim, in primis ut Philippus Stridonius, qui multos ante annos vicarius Ioannis Matthæi Giberti, moribus, et diſciplinæ hujus eccleſiæ multum profuerat, vocaretur ad idem munus vicarii. quod conſilium, cum uſque a pueritia Philippum valde amaviſſet (fuerant enim, ut dictum eſt, condiſcipuli ejuſdem Stephani Plazonii) comprobavit. Stridonius vero cum per literas non ſemel vocatus fuiſset, aliquot poſt menſes relicto canonicatu ſancti Marci, et aliis emolumentis quæ capiebat Venetiis (ei enim commiſsa fuerat plebs ſancti Ioannis decollati) Cardinali quem obſervaverat tot jam annos, obtemperans, Veronam venit: cujus adventu non bonis ſacerdotibus non minimus injectus eſt timor. Ejus, et Ormaneti in primis conſilium fuit ut quamprimum ſynodus dioeceſana ex ſacroſancti Concilii Tridentini decreto fieret,

ret, in qua de omnibus ageretur quæ ad hujus eccleſiæ commoda, et ornamenta pertinerent. Coacta eſt ſynodus, ad quam convenit magnus parochorum, et ſacerdotum numerus, et a Cardinale habita eſt oratio ad excitandos omnes qui aderant, ad ſervanda decreta Concilii, et ad retinendam cleri Veronenſis exiſtimationem. Exceptus eſt libenter ſermo Cardinalis plenus ſententiis graviſſimis, et luminibus variis verborum; quem tanta commotione adhibita habuit, ut multi lacrimas continere non potuerint. decreta ſunt multa utiliter ad gloriam Dei, et ad uſum hujus eccleſiæ, quæ partim obſervata ſunt, partim obſervanda ſucceſsori ſuo Cardinalis reliquerat. Adverſa valetudine erat, ita infirmo corpore, ut niſi ſuſtentaretur, plerumque loco ſe movere non poſset, et de viſus etiam acie quotidie aliquid amittebat, ita ut brevi omni lucis uſura ſe cariturum cognoſceret. Has ob cauſsas coadjutorem primum ſibi dari a Pontifice contendit multis rationibus; quod cum ipſi negaretur juſtis de cauſſis, cedere potius voluit epiſcopatum, quam cum eccleſiæ incommodo diutius ſine ullo coadjutore tantum onus ſuſtinere. quod conſilium cum ad Pii Quarti Pontificis aures perveniſset, ipſi valde probatum eſt, imperavitque Iacobo Superantio equiti oratori Veneto, viro præſtantiſſimo, ut ad Naugerium ſcriberet, ſe eum quem ſocium muneris petiverat, ei ſucceſsorem daturum: Romam veniret, ubi ſibi gratiſſimus erat futurus. Quas literas cum accepiſset Naugerius, ſtatuit tres poſt menſes Romam proficiſci. Interea magnis pollicitationibus cujuſdam adductus, patitur ſibi ex oculis *cataractas* educi, et maxima patientia, animique fortitudine permittit, acu craſsum illum humorem disjici. Videbatur lumen oculis reſtitutum divinitus, et miniſterio illius artificis familiares etiam ſuos agnoverat, et nominaverat. Qua ex re tantam lætitiam ejus propinqui, et amici omnes ſenſerunt, quantam non eſset facile explicare: in primis univerſus populus Veronenſis maxima lætitiæ ſigna dabat. Verum aliquot poſt dies, fortaſse quia medicorum conſilio nimis exquiſita, nimiſque tenui victus ratione uſus erat, in febrim incidit acutam, qua paucorum dierum ſpatio ita eſt confectus, ut de ejus ſalute nulla reliqua ſpes eſset. pridie quam decubuiſset,

et antequam ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum ſumſiſset, quaſi jam animadverteret ſe brevi ex hac vita migraturum, multa Ioanni Aloyſio filio ad recte inſtituendam vitam pertinentia, item multa de hujus vitæ variis calamitatibus dixit, ea qua ſolebat, verborum, et ſententiarum copia. Eo tempore Auguſtinus Valerius ejus ſororis filius, quem Pontifici nominaverat ad Veronenſem eccleſiam, et quem ſenatus per literas ſibi gratum fore epiſcopum apud Pontificem teſtatus erat, toga depoſita, habitum clericalem induerat, et ad primos ordines promoveri cœperat. Et quia vetitum erat Concilii Tridentini decreto, quempiam epiſcopum fieri, niſi veſtitu eccleſiaſtico per ſex menſes fuiſſet, cum Pius Quartus huic decreto derogaſſet, et Auguſtinum in ſacroſancto ſenatu Cardinalium epiſcopum Veronæ duos poſt menſes quam habitum clerici induerat, pronuntiaſset, fieri tamen non potuit ut Bernardus optatiſſimum hoc nuntium acciperet. eodem die, quod admirabile pleriſque viſum eſt, quo literæ afferebantur, Auguſtinum epiſcopum factum, ſibique ſucceſsorem datum, ipſe ex hac vita deceſſit magno cum totius civitatis Venetæ, cum populi Veronenſis, cum collegii Cardinalium, atque etiam Pontificis Maximi dolore. Obiit anno ætatis ſuæ quinquageſimo octavo, anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, ſexto Kal. Iunii, cum in cardinalatu vixiſset annos quinque, et menſes tres, in epiſcopatu annos duos, et menſes ſeptem. Laudatus eſt in funere ab eodem Vincentio Ciconia qui ei cleri nomine gratulatus erat. Si quis laudationem ſcriberet Bernardi Cardinalis Naugerii, vitam ejus cum animo ſuo cogitans, et oratione explicans, locos haberet quamplurimos quibus homines in admirationem poſset convertere, et varia exempla virtutum proponere ad imitandum. Ejus vitam mihi tantum deſcribendam propoſui, ex cujus deſcriptione hæc colligi poſsunt cognitu digna. perveniſse civem Venetum ſine opibus ad maximos honores: ſine propinquitatum et affinitatum etiam præſidio faciliorem ei fuiſse aditum ad omnes magiſtratus, quam ditiſſimis, et illis quibus externa illa adjumenta eſſent: eumdem adoleſcentem ſenibus, ſenem adoleſcentibus jucundum fuiſse: ita cum æqualibus vixiſse, ut difficile fuerit ju-

dica-

dicare cui ætati gratior eſset: gratiſſimum fuiſse principibus viris, et regibus etiam exteris, et ab omni humanitate, omnique religione prorſus alienis: uxorem habuiſse, ſolatio filiorum, et legitima prole non caruiſse: a patria nobiliſſima republica nominatum epiſcopum Veronenſem, a Pontifice fuiſse præteritum, paucos poſt dies ab eodem Pontifice nihil tale cogitantem Cardinalem creatum: eumdem epiſcopatum, qui vacaverat, ipſi traditum: paucos poſt dies legatum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ miſsum ad ſacroſanctum Concilium Tridentinum. Hæc hominibus Venetis non erit injucundum cognoviſse, non erit etiam fortaſse inutile omnibus. Dei Optimi Maximi benignitate hæc bona conferuntur: nemo negat. non eſt tamen dubitandum quin ſæpe mores (ita volente, ac juvante eodem auctore rerum omnium bonarum Deo) fortunam, hoc eſt ſtatum et conditionem mortalium effingant. Hi Bernardi fuerunt mores: patriæ longe amantiſſimus fuit; atque adeo ab omnibus melior civis quam paterfamilias habebatur. impenſas vix temperare poterat: eo fiebat ut quod libenter faciebat, non ſine incommodo ſuo interdum poſset facere. Bis die cibum, in cœna pauxillum, interdum etiam nihil ſumebat: ſatis copioſa menſa utebatur convivarum cauſsa qui ad ipſum veniebant; inter quos erat Speron Speronius vir admodum eloquens, et multiplici doctrina præſtans, et Silvius Antonianus nunc Cardinalis, cujus ingenium, ac eruditionem multiplicem vehementer admirabatur, et Ioannes Baptiſta Amaltheus politioribus literis, et moribus optimis imbutus, et Folieta Genuenſis hiſtoriarum ſcriptor, Iulius Pogianus politiſſimis literis ornatus, et alii plerique. In omni vita ita fuit proclivis ad donandum, ut fortunarum ſuarum; et filiorum nullam rationem habere videretur. placidis, et ſuaviſſimis moribus erat præditus, ita ut omnes qui eum convenirent, ſermonibus teneret, et cum ab eo diſceſſiſſent, eum perpetuo diligerent. lenitate animi ita præſtabat, ut quemvis facile ferret. In ſenatu Veneto, in ſacro etiam Cardinalium ſenatu ſic temperabat orationem, ut ne eos quidem offenderet quibus forte refragabatur. Nemini umquam invidit, fretus virtute propria. Si quis ipſum offendiſset, ut ſolet accidere, tanta in eo

fuit

ſuit manſuetudo, ut numquam de ulciſcendo cogitaret, omneſque injurias remitteret. In rebus gerendis tardior erat quam opus eſſe videretur, præſertim in rebus privatis: magnum momentum in tempore poſitum eſse judicabat: dilationes plerumque rebus ejus non minimum incommodum attulerunt. Natura magis ad agendum quam ad contemplandum propenſus, congreſsu hominum delectabatur multo magis quam ſolitudine; et ideo longiſſimos cum æqualibus ſermones libenter habebat. ſimulationem maxime omnium odiſse, et ab illo vitio alienum ſe eſse profitebatur. ad conciliandos ſibi omnium animos natus erat. Non facile quempiam benevolentia ſua dignum putabat: ubi quem cœperat diligere, in amore erat conſtantiſſimus. Omnia quæ legerat, meminerat, et in promtu habebat: et quamvis, ubi primum legationes ſuſcepit, ſtudia philoſophiæ, et optimarum artium non ſolum intermiſſa, ſed fere amiſſa ab eo fuerant; ita tamen cum incidebat ſermo, de pulcherrimis quæſtionibus diſserebat, ut doctior illis qui perpetuo in ſtudiis verſarentur, interdum haberetur. Senex, et jam Cardinalis, jubebat ſibi clara voce legi veterum theologorum libros, e quibus etiam multa ejus memoriæ imprimebantur. Nihil ipſi erat moleſtius quam ſcribere: dictabat libentius, et ſane, cum ſcribebat, nihil ejus literis ſcribi poterat prudentius, aut elegantius. Eos qui ad edenda ſua ſcripta proni ſunt, ita interdum reprehendebat, ut ab omni ſcriptionum genere omnes deterrere videretur; nimirum putans impudentis, et ambitioſi ingenii, ſperare hoc tempore ex libris gloriam. Parce laudabat recentiorum libros: carmina niſi optima legere non poterat. Concionatores qui admirationem non afferrent, et lacrimas non excuterent, nullius nominis putabat. Nullam tutiorem viam ad quiete traducendam vitam dicebat, quam neminem lædere, quam devorare ineptias; qua in re admirabilis fuit: neminem enim in tota vita inimicum apertum habuit. Multa ab eo prudenter dici ſolebant. ſibi ſemper eſſe difficilius ſtatuere quæ ſibi eſsent in publicis ſermonibus omittenda, quam quæ dicenda. Filiis ſuis ſatis amplum patrimonium relicturum, memoriam tot magiſtratuum quos innocenter in republica geſſiſset, et præcipue, quod ex

illis

illis nihil in domum ſuam præter honorem, intuliſset. Silentio multa gravia pericula exiſtimationis vitari poſse. Tempus ſalutaria afferre conſilia: conſulendum, et exſpectandum. Compendiariam viam conciliandorum animorum, ſi de ſe ipſo numquam, admodum raro de aliis quis loqueretur: peſſimum conſultorem eſse timorem. Sibi perpetuo neceſsarium fuiſse pugnare cum paupertate, a qua tamen numquam vinci potuiſſet. Sanctæ ſedis Apoſtolicæ dignitatem ita cum reipublicæ Venetæ dignitate conjunctam eſse, ut disjungi nequiret: Venetiis optimum quemque civem eſse ſanctæ ſedis Apoſtolicæ amantiſſimum. Dicere etiam erat ſolitus, honorificum ſemper eſse proponendum utili, honorificentiam conſequi ſolitam eſse utilitatem: nihil quidquam viro nobili contingere poſse moleſtius quam ſi ab aliis beneficentia vincatur: liberalitatem nobilem eſse mercaturam, qua multorum animi conciliantur, et quæ dignitates, honores etiam ampliſſimos ſæpe parere conſuevit; et conciliare liberalitatem plurimorum amicitias, quibus nihil poteſt eſse fructuoſius. Virum pauperem, ſi ſit bonus, ſatis eſse divitem, præſertim in republica Veneta natum, et Romæ in nobiliſſimo orbis theatro laudabiliter viventem. Viro chriſtiano et catholico nihil deeſse, cum Deum habeat patrem, et ſit frater regis Chriſti; coheres futurus cæleſtis patriæ. Fuerunt qui dicerent, Bernardum patriæ deſiderio, et memoria reipublicæ, in qua multos annos floruerat, interdum commotum, ſi data fuiſset optio, ad priſtinos magiſtratus libenter fuiſse rediturum: ſed nemo id poteſt affirmare, præſertim cum cardinalitiam dignitatem ab eo magni fieri, et extolli interdum audiverim. Agendas ſibi eſse multas gratias, dicere ſolitum audivi, Deo Optimo Maximo, quod ad epiſcopatum, et cardinalatum Dei benignitate fuiſset promotus, et extrema ætate ad ſerviendum eccleſiæ vocatus. Adoleſcens amicos habuit Auguſtinum Foſcarum Marci filium, adoleſcentem magnæ ſpei, qui immatura morte præreptus eſt, Iacobum Barbum, Petrum Lauretanum, Ioannem Donatum. Cum ad rempublicam acceſſiſset, cum Marino Caballo, M. Antonio Amulio, Aloyſio Mocenico, equitibus, et cum Petro Franciſco Contareno, et Dominico Triviſano conjunctiſſime vixit. Romæ

Car-

Cardinalibus omnibus fuit æque gratus. Magni faciebat ipſe plurimum Carolum Cardinalem Borromæum, quem ad reſtituendum priſtinum eccleſiæ candorem, morumque puritatem natum dicere ſolebat: Franciſcum etiam Gonzagam, quod eo uſus eſset familiariſſime Patavii dum prætor eſſet, unice diligebat. Cum omnibus vero Cardinalibus ita verſabatur, ut nemo de ejus ſinceritate et candore dubitaret. Michaëlem Cardinalem Alexandrinum, qui Pius Quintus Summus Pontifex fuit, plurimi faciebat, et placidis moribus præditum, natum ad res maximas dicebat, ab eoque præcipuo amore diligebatur. Scripſit adoleſcens multas epiſtolas, et quamplurima carmina, quæ etſi laudabantur ab omnibus, ipſe tamen videbatur contemnere; et ideo non reperiuntur. perbrevis dialogus de fugienda uxore, et aliquot ejus epiſtolæ elegantes ſunt apud Philippum Stridonium, de quo antea dixi: oratio in funere Andreæ Gritti principis habita, item illæ quas habuit reipublicæ nomine, alteram ad Paullum IV. Pontificem Maximum, alteram ad Ferdinandum Imperatorem, reperiuntur. Exſtant etiam commentarii legationum quas geſſit apud Carolum Quintum, apud Sulimanum Turcarum Imperatorem, atque etiam apud Paullum Quartum; qui certe ſunt pulcherrimi. dicendi facultas in illis ſcriptis egregia, ita ut gravitate, ſuavitate, legentes in admirationem traheret. Vt ſummatim complectamur omnia, in congreſsu familiari, in conſiliis facundus, et venuſtus; pura, nitidaque oratio ad res eas quas dicendas ſuſcepiſset, accommodata, ſive domi conſilium civibus ſuis daret, ſive foris patriæ dignitatem, atque utilitatem tueretur; ſive exacta jam ætate, et ampliſſimo honore præditus eccleſiæ inſerviret, eximia in Naugerio dicendi vis, atque ubertas elucebat: ut quibuſcumque in rebus verſaretur, iis oratio ipſius verborum, ſententiarumque lumine, et varietate conveniret. Filium Ioannem Aloyſium Petro Franciſco Zino viro in politiſſimis literis magna cum laude verſato erudiendum tradiderat. tenue patrimonium ei reliquit: magnam tamen hereditatem memoriam virtutum, et laborum ſuorum. Hic poſtea ab Auguſtino qui in epiſcopatu ſucceſſit, filii loco eſt habitus, et conſilio, et omnibus rebus neceſsariis ejus ſtudia adjuta

ta ſunt; cujus uxor fuit filia Ioannis Franciſci Donati, qui patrem habuit Hieronymum doctiſſimum, et optimum ſenatorem. numeratur nunc et ipſe Ioannes inter Venetos ſenatores. Lauram etiam filiam, quæ jam erat nubilis, collocandam idem Auguſtinus curavit: ipſe nuptias concilians eam hortatu omnium cognatorum Gaſpari Venerio, de quo magna erat ſpes, in matrimonium conjunxit; devotione, modeſtia, et virtutibus aliis plurimis præſtantem feminam, paternam facundiam, gravitatem etiam referentem; copioſa, et nobili prole, quatenus humana infirmitas patitur, felicem, cum filios ſuſceperit indolis optimæ, et laudabiliſſimis moribus præditos, primogenitum etiam ſuum avitam Naugerii patris ſui eloquentiam imitantem. ita uſu evenire ſolet, ut filii ſæpius matrum ſuarum, quam patrum dicendi facundiam quodammodo repræſentent. Contigit id etiam Leonardo Donato, qui nunc eſt ſancti Marci procurator, ut avunculi ſui Marci Antonii Cornelii, qui ſuo tempore ſummus orator eſt habitus, eloquentiam æquet, aut fortaſſe etiam ſuperet. Hæc fuit Bernardi Naugerii Cardinalis vita, ſine ullo fuco, ſine ullis ornamentis deſcripta, ut cives Veneti, Ioannes Aloyſius filius in primis, ut initio dictum eſt, delineatam civis præſtantiſſimi, patriſque optimi imaginem haberent. futuri ſunt fortaſſe etiam in eccleſia Dei ex omnibus nationibus, qui laborem hunc minime improbaturi ſint, et vitæ curſum varium libenter ſint cognituri. Sepultus eſt Veronæ in eccleſia cathedrali in ingreſſu chori: monumentum factum eſt epiſcopi ſucceſſoris opera. E familiaribus ejus, qui hominis paternam indulgentiam ſemper recordantur, quidam apud eumdem Auguſtinum epiſcopum manſerunt, alii Romam profecti ſunt, quibuſdam etiam ab eo ſacerdotia data fuerant, ita ut commode poſſint vivere, et principi omnium rerum Deo, huicque Veronenſi eccleſiæ ſervientes, ejus caritatis non immemores pro ejus ſalute orare perpetuo debeant.

F I N I S.

Ioannes Antonius Petramellarius in Continuatione ad librum Onuphrii Panvinii de Summis Pontificibus, et S. R. E. Cardinalibus a Paullo IV. ad Clementis VIII. annum pontificatus octavum, pag. 114.

PRæclare olim quanti literæ eſſent , mihi videntur intellexiſſe Mitylenæi, qui præcipuam eſſe in republica vim literarum animadvertentes, quos populos bello devicerant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, niſi ut ne liberos ſuos literas edocerent; ſciebant videlicet eas tantum civitates florere in quibus literarum ſtudia vigerent. quam veritatem reſpublica præ ceteris Veneta, et in primis intellexit BERNARDVS Navagerius Italus, eques, et ſenator Venetus, vir humaniorum præſertim literarum, et reipublicæ gerendæ ſcientia inſignis; ut nonnulla ipſius carmina, et orationes ab ipſo conſcriptæ, Patavii, et aliarum civitatum prætura, legationeſque complures , quas magna ſemper cum gloria ad magnos principes, præcipue vero ad Franciſcum II. Gallorum regem, et apud Paullum Quartum Pontificem obivit; ſatis aperte declarant. A Pio IV. is in ſecunda 18. Cardinalium ordinatione anno 1561. pontificatus ſecundo, 4. Kal. Martii, diaconus Cardinalis; poſt presbyter tituli ſancti Pancratii; mox tituli ſancti Nicolai inter Imagines; ultimo tituli ſanctæ Suſannæ creatus; ſequenti epiſcopatum Veronenſem, maximo cum omnium applauſu, adminiſtrandum ſuſcepit. Anno vero 1563. ad Concilium Tridentinum; non in Seripandi Cardinalis et legati mortui, ut fere omnes affirmant; ſed in Marci Sittici Cardinalis Altempſii loco, de latere legatus miſſus; 4. Kal. Maji Tridentum ingreſſus eſt. cui Concilio impoſito fine, Veronam venit, ubi in corrigendis ſacerdotum moribus, diſciplinaque eccleſiaſtica reſtituenda non parum elaboravit, majoraque quotidie feciſset, ni ſubita oculorum cæcitate oppreſſus, ipſius regimen relinquere coactus fuiſſet. Coadjutore igitur ex permiſſione Summi Pontificis ſibi facto, cum futura ſucceſſione, Auguſtino Valerio patricio Veneto ſororis filio, quem vitæ integritate, ac literarum cognitione celeberrimum Gregorius XIII. merito in purpuratorum patrum numerum adſcivit; ipſe ſubita correptus morte, Veronæ pridie Kal. Iunii anno 1565. pontificatus VI. die Iovis obdormivit in Domino; cujus corpus ibi in pavimento eccleſiæ cathedralis ante chorum ſepulturæ traditum, marmoreo lapide in quo inſculptum legitur ſequens epitaphium, cooperitur.

BERNARDI. NAVAGERII. CARDINALIS. PERPETVI ECCLESIAE. VERONENSIS. ADMINISTRATORIS. OSSA

PA-

PATRICIORVM
ALIQVOT VENETORVM
ORATIONES.

TRES IN PRIMIS

PETRI BARROCII,

EPISCOPI PATAVINI,

viri ſua tempeſtate doctiſſimi,

numquam antehac editæ.

ILLVSTRIVM VIRORVM DE PETRO BARROCIO, EPISCOPO PATAVINO,

probitate, et doctrina inſigni,

TESTIMONIA.

Illuſtribus Patavinæ Vrbis Prætoribus,

ANDREAE GRITTO,

ET PAVLLO PISANO,

CHRISTOPHORVS MARCELLVS

Canonicus Patavinus, doctor

S. P. D.

MOvit me, Prætores illuſtres, noſtri Antiſtitis defuncti laudum immenſa congeries, ut qui laudatiſſime vixerat, laudatiſſimo funere decoraretur, pro viribus illas publice profiteri. Quas cum ingentiſſimo luctus et gemitus ſtrepitu non omnes a me orante, præſertim veſtræ amplitudines, audire potuerint, veſtri cauſſa imprimendas curavi; ut cum aliis legentes melius ſingulas intelligatis, et earum penitus neſcii ſi qui ſunt præſules, intelligendo prius, mox ſimiles actitando conſumment. cum neque tantæ probitatis exemplar latitare condecuit. Sed id tantum moleſtum eſt, quod inepto meo dicendi ſtilo pro meritis non eluceſcant. At cum congregationis noſtræ, cujus ego puſillus ſum membrum, ipſe fuerit caput et princeps, decentius id oneris quam alieno, mihi merito videbatur injungi. Quas itaque lucubratiunculas cum edendas nutu veſtro curaverim, vobis, longe præſtantiori munere dignioribus, dedicare conſtitui, ut veſtra auctoritate graviſſima, ſiquid earum inexcultum fuerit (quod non ambigo) illud ſplendeſcere valeat et illuſtrari. Valete Venetæ reipublicæ ſidera.

CHRI-

CHRISTOPHORI MARCELLI, CANONICI PATAVINI, DOCTORIS

IN REVERENDISSIMI EPISCOPI

PETRI BARROCII FVNVS ORATIO

Paduæ publice recitata.

CVm animantium omnium imbecillitatem, ortaque cuncta occidua fore mecum ipſe conſidero, magiſtratus illuſtres, voſque ceteri viri digniſſimi, id ſummopere dumtaxat admiror, quod cunctis homo divinior, Deo Optimo ſimillimus procreatus, divina, ac perpetua ratione potitus, ſecum eamdem fragilitatis et miſeriæ ſubeat conditionem; perturbationibus agitetur aſſiduis; tanta rerum viciſſitudine obrutus, ut numquam in eodem ſtatu permaneat, huc atque illuc impulſus fluctuet, et denique quod tam præclarum tamque ſublime obtinuit, reddat, reſtituat; et exſtinctioni ſuccumbat. Illa namque divinitatis expertia ſi doleant, lugeantve, ſi moleſtiam patiantur, ſi labefactata declinent, merito hæc omnia poſſident: cum labilem penitus, et morticinam ſint conſecuta naturam; nilque in eis non fluxile, non patibile, non materiale conſiſtat. At admiranda illa hominis conſtructio cum immortalem obtineat animam, perpetuæque mentis fulgorem, tamquam peculiarem, et intimum; nil utique mirabilius, nilque ſuper ingenii humani vires ſuſpicabilius eſſe poteſt, quam quod defectioni ſubjaceat, quam cum diſſolutione mutetur: ac ſi quod illius eſt immortale, divinum, atque perpetuum, a terreno, caduco, et labili devinceretur. Vnde Mercurius vir ille divinus, grande naturæ miraculum hominem fuiſſe recte commemorat tam variæ tamque diſparis naturæ in eodem cratere commixtæ participem. Quo fit ut longe major ſit hominis quam aliorum, vitę miſeria. Quanto enim ceteris præſtantior eſt, quanto vicinior ſuperis, tanto infelicior et miſerabilior eſſe conſpicitur: ſi quæ viliſſima quæque patiuntur et infima, ceu urentes æſtus, gelidos algores, laborioſas vigilias, æſtuantem ſitim, famem intolerabilem, metus acerbitatem, mœroris acrimoniam, lætitiæ vanitatem, iracundiæ ebullitionem, libidinis incendia, avaritiæ impetum, ambitionis igniculos, tot illecebras, tot caſus, tot fortunæ pericula ſuſtinere cogatur. Vere deteſtanda noſtra hæc eſt hominum conditio, a nulloque animantium expetenda magis, ſi tam pulchrum, tam ſplendidum conſtructum opus, a proprio fine defraudatum, æque ac ignobile abrumpitur, et diſſipatur. Quid proficit homines naſci? ſi belluarum more vita defungimur, ſi propriam miſeriam intuentes, vehementius affligimur et cruciamur. Quid naturæ providentiam, ſagacitatem extollimus? ſi præſtantiſſimum vitæ theſaurum conſtruat, ut cum ignobilioribus pari ſorte perdatur. Idque ei imputandum magis eſſe videtur, quod cuipiam omni virtutum et perfectionum generę cumulatiſſimo obviet, et inte-

interimat: qualis fuit noſter hic divinus antiſtes Petrus Barrocius, quem hodie defunctum lugemus. Ad cujus explicandas laudes cum me inſtitutum inſpicio, vereor quidem ne in tam celebris, tam neceſſarii numinis perditione, incredibili dolore detentus ante orationis exordium decidam, et ab inſtituto propoſito longe deficiam. Illum enim in præſentia deſideramus qui patriæ claritate, familiæ ſplendore, vitæ ſanctimonia, morum probitate, animi ſapientia, cunctis denique virtutibus omnium præſtantiſſimus habitus eſt. Quis igitur tam ferrei, tamque adamantini cordis evaderet, qui hodie nobis exſtinctum lumen, ducem noſtrum ſingulariſſimum, paſtorem, et patrem non lugerêt, erumpentibus lacrimis non deploraret? ſine quo omnis nobis vivendi modus ſublatus eſt, ſanctitatis norma, juſtitiæ ſpecimen, probitatis exemplar, et felicitatis noſtræ ſingulare præſidium. Lugeat ergo univerſus Patavinæ urbis civium cœtus, lugeat clerus, lugeant omnifarii ſacerdotes, lugeant virgines, lugeant viduæ: mœreant pauperes et egeni, doleant literati, lacrimentur indocti, ſuſpiret univerſa Chriſti religio in tanto adverſantis fortunæ naufragio, in tam feliciſſimi numinis amiſſione. Sed quid præſulem noſtrum lugendum amplius hortor? cum ipſius laudes pro viribus explicaturus, non deploraturus, hunc ſuggeſtum aſcendi. Quas niſi tam examuſſim ut earum materia poſtulat, tamque minutim pertractavero ſingulas, dabitis veniam, patres optimi; cum et temporis anguſtia, et earum immenſitate nedum ego devincar, verum etiam Tullianæ linguæ facundia devinceretur, atque deficeret. Pauca igitur ſi de illius familia, literatura, et probitate attigero, in re magna voluiſſe ſufficiet, et denique receptui canam. Vetuſtiſſima Venetæ urbis Barrociorum familia, et quocumque temporis diſcrimine reputatiſſima fuit. Ex qua primum (ut alios omittamus) Benedictus ille Barrocius tamquam fulgentiſſimum ſidus enituit. qui cum ſupra quadraginta obierit magiſtratus, conſiliarius demum electus, niſi immature occubuiſſet, et divi Marci procurator fuiſſet, et reipublicæ princeps. Hic non minus ſobole felix, quam præclariſſimis animi dotibus, tres natos tamquam tria ſanctitatis, integritatis progenuit lumina: Ioannem, Franciſcum, Aloyſium: viros quidem omni exſpectatione majores. Namque Ioannes tanta virtutum copia, tanta probitate, diſciplinæque auctoritate conclaruit, ut religioni dicatus, in Bergomenſem epiſcopum electus ſit. qui demum increſcentibus meritis patriarchalem Venetiarum ſublimiorem ſedem obtinuit. Hic etiam Paullo II. Pontifici Maximo tam cordi fuit, ut niſi morte præventus, qui ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis inſtitutus erat, publicatus fuiſſet et habitus. Franciſcus vero non minori laudum cumulo decorandus eſt, cum ſuaviſſima dicendi facundia, ſacrarum literarum eruditione, aliiſque virtutibus ejuſdem Paulli datarius exſtitit, et Tarviſinæ diœceſis digniſſimus præſul. cujus obitus tantum unicuique diſplicuit, ut omnium fautor, et neceſſarius eſſe videretur. Aloyſius deinde præſulis noſtri pater, ſenator graviſſimus, optimus reipublicæ adminiſtrator, crebriſſimis honoribus affectus, decemvirali denique magiſtratu defunctus eſt; qui, ut ſcitis, reſerandi, claudendique reipublicæ claves, et imperium obtinet. Hic etiam ſupremum dignitatis faſtigium attigiſſet, ſi productiora vitæ ſtamina aſſecutus fuiſſet. Maternus denique noſtri Antiſtitis avus (ut præteream alios, ne in recenſendis familiæ hujus ſplendoribus totam diem conſumam) vir in republica præclariſſimus exſtitit, cum divi Marci auſpicatiſſimus procurator electus, ſummæ ariſtocratiæ fimbrias tetigit; ſed interruptus abſceſſit. Clariſſimis igitur natalibus ortus Petrus Barrocius, ab ineunte ætate ſuapte natura bonis moribus inſtitutus, talem futuræ virtutis indolem pollicebatur, ut ad tantæ dignitatis apicem merito venturus facile exiſtimari potuerit. Siquidem nativa quadam ſui propenſione religio-

gionem præſeferebat ſapientiæ junctam, et miram animi gravitatem. Non enim puerorum more conquerulus, inconſtans, volubilis; ſed in laudabili propoſito firmus et ſtabilis, quæque ſua plus quam ætas illa pateretur, agebat. Divinis ſemper audiendis officiis, ſacriſque myſteriis enarrandis ſponte ſua proclivior, quam puerilibus jocularibus oblectamentis. Hic quanto in dies adoleſceret corpore, tanto animi virtute proficiebat. Summam in parentes obſervantiam, in amicos humanitatem, affabilitatem gerebat: in ſingulis actionibus honeſtate, erubeſcentia, et plus quam dici poſſit, rationis diſcrimine utebatur: ea denique puerulus actitabat quæ circumſpectiſſimam juvenilem requirebant ętatem. Mox vero ephæbus liberalibus diſciplinis adipiſcendis traditus, prima illa grammaticę rudimenta fere ſpernere videbatur; tam facile ſingula capiebat, memorię commendabat, pluribus quam ſibi explicarentur, intelligendis idoneus. Quo facto paullo poſt rhetoricę incumbens, tam mirifice quidem profecit, ut facundiſſimus haberetur orator. His nondum contentus, ad Patavinum gymnaſium, tamquam ad diſciplinarum emporium, ſe ſe avidiſſime tranſtulit: in quo dialecticen, mathematicas, naturalem, pariterque divinam ſcientias amplecteretur. Id ſanctiſſimum Platonis ante auditorii fores inſcriptum, inſtitutum obſervans: quod nemo niſi mathematicus ad ea audienda quę ibi profiteretur, accederet. quod et Peripateticus aliis verbis explicuit. Tam ingentem igitur his diſciplinis operam navavit aſſidue, ut non tantum quę arithmeticę, muſicę, aſtronomię, geometrię dogmata tradiderint alii, breviſſimo temporis curriculo didicerit, tenaciter memorię commendaverit; verum etiam quę tot retro ſeculis numquam viſa fuerint, inveſtigaverit, invenerit, et ſtabiliſſima ratione monſtraverit. Circularis ſiquidem figurę quadrationem nemo eſt qui ad hęc uſque tempora noviſſe profeſſus ſit: non enim geometrarum Euclides, non Ptolemæus aſtronomorum, non Ariſtoteles philoſophorum principes habiti, calluerunt; quippe omnes ſcibilem, neſcitam: inveniri poſſe, nondum inventam, aſſeverant. hic vero ſolus divino ſui ingenii acumine adinvenit, ſcivit, et apertiſſime docuit. Quantum vero naturali profecerit ex eo facile conjectare poteſtis, quod ſi a ſenſibus remotiora tam mirifice calluit, ſenſualia quippe facilius, commodius aſſecutum fuiſſe conveniat. Divinam deinde ſapientiam non tantum rationibus, ſed etiam vera fide et religione ſemper excoluit, obſervavit, et prę aliis ſibi peculiarem inſtituit. Medicinę quoque humanę vitę neceſſarię ſingulariſſima præcepta concalluit, ſuaque auctoritate compoſuit. Namque præter id quod morborum fere omnium quam optima, et ſecretiſſima familiaria habuerit medicamenta; unam tamen pilularum quas *epiſcopales* appellant, quam admirabilem compoſitionem inſtituit. Quę etſi obleſionibus ſint plurimis accommodatę, duo tamen pręcipua, et memorię tenacitatem, et articularium dolorum ſedationem, mirabiliter operantur. His nondum expletus Petrus noſter, tamquam diſciplinarum abyſſus, civiles, et canonicas ſanctiones totis viribus amplexus eſt, ut ſi qua forte ex philoſophorum dogmatibus ſcrupuloſiuſcula, ſeu comprobanda minus didiciſſet, rejiceret, corrigeret, et ad ſanctę religionis inſtitutiones redigeret, accommodaret. Quibus omnibus divinus noſter Antiſtes tantum profecit, ut adhuc adoleſcens omnigenę literaturę laurea decoratus, Franciſco patruo Tarviſino epiſcopo defuncto, a Sixto Pontifice Maximo, in tantarum virtutum et diſciplinarum pręmium, inſperate Bellunenſis epiſcopus electus ſit. Namque Romam contendens, ut ſi qua patrui ſupellectilia ſupereſſent, acciperet, medio itinere pontificiam dignitatem offendit. Quam hercle cęlitus ſibi demiſſam fuiſse putamus; ceu tam celebres, tam ſublimes ab incunabulis divinitus conquiſierat animi dotes. Hanc læto animo

mo ſuſcipere conducibilius duxit, ut jam partæ ſapientiæ religionis munus injungeret, et quæ Dei eſſent contemnere non auderet. Quippe cum totus ille divinus evaderet, contemplationi dicatus, Dei cultum, ſanctæque religionis officium præ aliis non affectare non poterat. cumque quanto animus corpore præſtantior eſt, tanto illius ſit cura ſalubrior; libentius etiam ea ratione ſuſcepit: nec immerito quidem, cum nil conſultius, nilque laudabilius agere potuiſſet. namque alioquin admirabili ſua rerum agendarum dexteritate, prudentia, integritate, reipublicæ adminiſtrationem ſuſcepiſſet invitus. Quæ etſi læta videatur et felix, lætitiam tamen mobilem habet, (ut Xenocrati placuit) tumidam, fallacem, et turbulentam; jacturam vero triſtem, et mortibus mille deteriorem. Quis enim felix evadere poteſt, dum ad turbæ nutum vivit, irridetur, exploditur, quaſi ludus et fabula vulgi, concuſſus, exſibilatus, miſerabilis, et denique perditus. His reipublicæ rebus inhiavit numquam noſter Antiſtes: cum neque honorandum ſibi videbatur mutabili in populo magiſtratibus fungi. Tantis igitur ſacris initiatus Petrus noſter, ſi prius ſancte, pudice, continenter, ſapienter, et ſobrie vixerat: ſanctiſſime, pudiciſſime, continentiſſime, ſapientiſſime, et ſobriiſſime inde vivebat: crebris jejuniis, crebrioribus orationibus, flagellis ſe ſe affligebat, corpus caſtigabat, et in ſervitutem animæ redigebat. Numquam lauta uſus eſt menſa, ſæpenumero dumtaxat indecoctis oleribus veſcebatur: vini parciſſimus, ut libidinis evitaret incendia. Nullo faſtu, nullaque ſuperbiæ pompa detinebatur; cui alii (pace illorum dixerim) plurimum indulgere ſolent antiſtites: ſine fuco, ſine mendacio, ab omni prorſus ambitione ſemotus. Quantoque ſe ſe dignitate ceteris antecellere conſpiciebat, tanto humilior habebatur: neque a peculiari paſtoris officio deſiſtebat; legerat enim id evangelii ſanctiſſimum inſtitutum: recte operari non ſufficit, ſed et alios monere: quod Plato nos non ſolum nobis natos eſſe profeſſus eſt. Namque populum prædicationibus aſſiduis inſtruebat, monebat, ædificabat, et ad bene beateque vivendum cariſſime inſtituebat: quodque aliis dedecus, et vituperium haberetur, piiſſimum, et animarum cultori convenientiſſimum arbitrabatur. Prædicabat igitur ut Paullus, orabat ut Hieronymus, amabat ut Petrus, docebat ut Auguſtinus. Quantæ vero ſollicitudinis fuerit, id facile oſtendere poteſt, quod breviſſimo uteretur ſomno, putans ſopitum hominem, niſi mortuum, infelicem et miſerum; ut et Ariſtoteli placuit; neque plumarum deliciis fotus, viliſſimo, incompoſito, auſtero utebatur ſtrato: ut neque neceſſariis, quæ perexigua ſunt, frueretur natura. ſingula quaque nocte intempeſta ſurgebat, ſtatimque orationibus deditus, tamdiu perſiſtebat immobilis, ut ante ſolis ortum ab eis numquam deſiſtere viſus ſit. Quotidie ſacrificabat. Altiſſimo gratias agebat, quod homo, quod religioſus, quod mentis compos evaderet. Errores ſuos, ſi qui fuerint, humillime profitebatur, ut ſincerus, nitidus, ab omni, et adhuc minima, animi labe curatus, coram ſummo creatore ſplendeſceret. Neque eo tempore quo alii pro naturæ fomento ad animi relaxationem in confabulationibus, aliiſve non prohibitis oblectamentis utuntur, ſed in contemplationibus, et componendis operibus utebatur. Non enim tantum dum viveret, ſed et poſt occubitum aliis profeciſſe curavit. Tanta denique viri hujus innocentia fuit, tanta virtutum omnium plenitudo, ut cum præfecturæ ſuæ tertius decimus ageretur annus, in qua perpetuo degere, et vitæ ſtamina obtruncare ſtatuerat, illuſtriſſimus Venetorum ſenatus, defuncto Patavinæ urbis epiſcopo, eidem præfici auſpicatiſſime voluit. A quo die felix hactenus habereris, Patavium, cum tot annis elapſis ſimilem paſtorem deſiderare poteras; felix, inquam, niſi ſuſcepiſses mortalem, interiturum. Quod onus

Petrus noſter non ambitioſæ dignitatis, et virtutis ſemper inimicæ quærulus, tamquam magnanimus heros, ſubeundum procul dubio renuit: ſperans ita beatiorem, tranquilliorem agere vitam; auream ſemper mediocritatem precatus. Namque cum Innocentius VIII. Pontifex Maximus Ioannem illum Michaëlem, reverendiſſimum Cardinalem, eidem muneri præficiendum inſtituiſset, nondum illius inſtitutione percepta ſi quod jus (quod nullum habuiſse arbitrabatur) hac ſenatus electione obtinuiſſet, totum illud quam libentiſſime ceſſit: cum neque magis aliud affectaret, ut beatiſſime viveret. At Pontifex ſummus, cum tam ingentem animi magnitudinem et liberalitatem inſpiceret, Veneto ſemper annuente ſenatu, humanitate devictus, invitum illum tantæ urbis meritiſſimum paſtorem inſtituit. O inanis gloriæ contemtor, o mundanarum illecebrarum deriſor, quis tibi ætatis noſtræ ſimilis inveniendus eſt? Namque omnes ſi juſti, ſi temperati, ſi liberales, ſi fortes, ſi virtutibus aliis decorentur, ſola gloriæ cupiditate vexantur. Patavium igitur admotus noſter Antiſtes, altiori curæ præfectus, tam in omnibus pietatem, juſtitiam, honeſtatem, modeſtiam, humanitatem, dexteritatem exercuit; quibus tamquam divinum Apollinem venerarentur omnes, excolerent, et obſervarent. Rebus in adverſis perturbari viſus eſt numquam, neque in proſperis lætari magis, ſed, veluti Socrates, ſemper eodem ſe ſe habuit vultu, conſtantiſſimus, fortiſſimus, patientiſſimus, fortunæ ludibria ſpernens, mortalia cuncta deſpiciens, perpetuum, ſummumque animi bonum omnibus præferens, atque ingentiſſimo deſiderio ſemper exoptans. Quotiens objurgia in faciem paſſus eſt? quotiens vilipenſus, dehoneſtatus, injuria laceſſitus, ſiluit, atque pepercit? Quid de illius liberalitate, et miſericordia dicam? namque cum præter id quod ſemper pauperibus ſubvenire curaverit, anno ſuperiore tabis metu a civibus penitus deſtituto Patavio, tantam frumenti, et pecuniarum erogaverit et effuderit copiam, ut niſi munitiſſima illius ope præventi, longe plures quam morbo, inedia periiſſent. Semper miſeris ſuccurrere didicit, virgines nubere, viduas fovere, deſtitutos pupillos alere, advenas admittere, eliſos erigere, cuſtodire, protegere ſumma caritate curavit. Hic vere virtutis amator erat, vitiorum oſor, duplicitatis acerrimus inimicus; ſine dolo integer, ſine fraude gratus, ſine blanditiis fautor, ſine permutatione fidelis, ſine convicio inſtructor, ſine moleſtia reprehenſor, ſine ulla exſpectatione munificus; neque perſonarum exceptor, omnibus æquus, omnibus juſtus. pro virtutum meritis ſingulos diligebat, diſcordiæ conciliator, concordiæ verus alumnus, pacis et tranquillitatis fundator. Quid de illius tolerantia dicam? cum totiens in reviſenda diœceſi, in conſecrandis templis, et aris, in ſacris exhibendis ordinibus, in tam crebro cærimoniarum cultu, tot ardentiſſimos æſtus, tot acerbiſſima frigora, aliaſque acerrimas infeſtationes tolerantiſſime tulit: unde tot morbos, tot dolores, tot anguſtias, tot anxietates, tot manifeſta vitæ pericula paſſus eſt. quæ omnia utinam utinam non tanto innixu, tantaque cura, ſed mitius agere voluiſſes, cariſſime noſter Antiſtes, namque hodie non nobis immature ſublatus eſſes, ſed ſuperviveres; hodie noſtræ religionis theſaurum non lugeremus. Cum enim ſuperioribus diebus ſupra ducentos ſacris ordinibus per totum diem inceſſanter inſtituiſſet, moxque die noctuque ſacris myſteriis ſemper inſiſtens, ingentiſſimis torminibus afflictatus, ſuperaddita demum letali numquam deficiente febricula, præter omnia medicorum ſuffragia, naturæ conceſſit, illumque poſtremum tamdiu exoptatum finem implevit: namque mundana hæc ſibi ſemper vita diſplicuit: corporis diſſolutionem quærebat, et expoſtulabat aſſidue. Iam obtinuiſti, mi Antiſtes, quod inquirebas: jam tuum moriendi ardentiſſimum conſecutus es votum; ſed cur

nos

nos miſeros dereliquiſti ? cur deſolatos, infelices tanta ruina feciſti ? O iniquum factum! o acerrimus caſus! o jactura crudelis! non decebat tam probum, tam juſtum, tam conſummatum, tam humanæ vitæ neceſſarium hominem mori. Cui ſimilem, mihi credite cives, iterum credite, ſemper deſiderabitis, numquam invenietis. Vtinam Pythagoreorum ſomnia vera eſſent: magnum annum illum non exſpectare pigeret, quo animæ denuo corpora ingrederentur, et noſtrum deperditum Antiſtitem non perpetuo lugeremus. At cum abiit non reverſurus, cum periit non amplius nobis reſtituendus, id nos angit, affligit, cruciat, atque diſrumpit. De quo illa Ariſtotelis in Platonem ſententia vere ferenda eſt:

Qui ſolus vita, doctrina, moribus, ore
Admonuit cunctos, et monimenta dedit,
Vt virtute queant felicem ducere vitam:
Nulla ferent talem ſæcla futura virum.

Ceterum id tantæ jacturæ unicum nobis refrigerium ſupereſt, quod, ſi animus eſt immortalis, ſi apud ſuperos juſtitia colitur, ſi pro laboribus, et ærumnis ullus ſit beandi locus, ſi ad id juſte redeant unde provenerint animæ, ſi homo vere ſit anima, ut Platonici ſentiunt; divinus noſter Antiſtes ſuper æthereum illud Moſis ſeptem lampadibus illuſtratum candelabrum, ubi alata ſedent Cherubim, ubi univerſus Angelorum chorus inhabitat, ibi degat, et feliciſſime vivat. Dixi.

Bernardinus Scardeonius Patavinus epiſtola ad Marcum Vngarium præfixa Opuſculis ſacris PETRI BARROCII epiſcopi Patavini, editis Venetiis 1531. in 8.

Quare, Marce ſuaviſſime, hæc forte nacti ex multis quæ ſanctus ille vir ſcripſerat, edenda quamcelerrime cenſeo, ſi conſultum communi commodo, ſi ab injuria temporum celebre Petri Barrocii *nomen tueri velimus. Id erit et Venetæ, et Patavinæ civitati, ſummæ gloriæ, quando illa tanto cive, et hæc tali gloriatur epiſcopo. Exſtant pleraque, ſcio, et culta, et gravia opera hujus hominis; quæ magis admiror eſſe qui ea ſupprimant, aut perire permittant. Sed excitati forſan hoc exemplo et ii penes quos latent, in lucem ſubinde proferent, et exſpectantium deſiderio ſatisfacient vel ſero. Quis enim vel ex doctiſſimis quibuſque viris jamdiu opus hoc bene moriendi, cupide, et obviis, ut dicitur, ulnis non expetat, vel ex eo etiam ſolo quod legat, Marcum Antonium Sabellicum virum eruditiſſimum itidem diu ante peroptaſſe? Scribit ſiquidem in dialogo quem de latinæ linguæ reparatione confecerat, deſiderium ſuum his verbis:* Vt de aliis ſileam, quis eſt tam ſtupidi ingenii, aut ab humanarum literarum ſtudiis tam alienus, qui in Petro Barrocio Patavino Antiſtite, eodemque Veneto, utrumque dicendi genus non ſuſpiciat, et miretur? Incidi quandoque in ejus carmen: nihil gravius vidi umquam, nihil magis pium, magiſque religioni accommodatum. Cupio vehementiſſime videre opus ab eo de optimo genere moriendi, nuperrime abſolutum, in quo audio omnia divine ab eo compoſita. *Hactenus de epiſcopo noſtro, et de opere iſto Sabellicus quam honorificentiſſime.*

Idem de Antiquitate urbis Patavii, et claris civibus Patavinis, pag. 383.

PETRO. BARROCIO. BELLVNENSI. PRIMVM. ANTISTITI PONTIF. DEINDE. PATAVINO. SANCTIMONIAE. PIETAT. ERVDITIONIS. BENEFICENT. INCOMPARABIL. SENATVS VENETVS. MONVMENTVM. HOC. FACIENDVM. CVRAVIT *

Hoc porro tam inſigni elogio, et magnificentia ſepulcri, Petrus Barrocius *Antiſtes olim noſter, ex publico decreto ſenatus Veneti merito decoratus eſt. qui ob pietatem in* Deum, *et caritatem in proximum, nihil fere ſibi poſt mortem relinquendum duxerat, præter nomen bonum, et ſanctæ converſationis exemplum. Fuit is quidem in omnes munificentiſſimus, ſed in pauperes et egenos unus omnium liberaliſſimus. Sanctitate vitæ, et continentiæ virtute illius ætatis, et totius ſacerdotalis ordinis ornamentum, qui centeſimus a* D. Proſdocimo *epiſcopus circa XX. annos Patavinam eccleſiam pie ſancteque rexit: et jam plane ſenex inteſtinis tandem oppreſſus doloribus migravit ad Dominum. Verum paullo ante mortem dum a domeſticis et propinquis pertinaciter urgeretur ut conderet teſtamentum, accito ſcriba, et paratis tabulis, teſtibuſque rogatis, quando, inquit, teſtari mihi neceſſe eſt, ut meis morem geram, ſcribe:* EGO. PETRVS. BARROCIVS. EPISCOPVS. PATAVINVS. RELINQVO. ANIMAM. MEAM. DEO. CORPVS. TERRAE. FACVLTATES. VERO. QVASCVMQVE. POSSIDEBAM. SI. QVAE. RESTANT. RELINQVO. QVIBVS. DE. IVRE. DEBENTVR.

Et ita ſanctiſſimus vir notari et ſcribi voluit. Is a Pio II. Pontifice Maximo primus omnium deſtinatus fuerat Cardinalis: ſed re infecta, paucis poſt diebus ſummus et ſanctus ille Pontifex cum magna chriſtianæ eccleſiæ jactura, e vita ſublatus eſt. Præterea cum eſſet omnium liberalium artium doctiſſimus, multa ſcripſit eleganter et carmine, et ſoluta oratione: etſi nihil adhuc editum ſit, præter libellum de ratione bene moriendi, et conſolatorium *opuſculum, et ſpirituales quaſdam preces ad petendam pluviam, et ad arcendam tempeſtatem, et ad deprecandam peſtilentiam: quæ quidem omnia nos in ejus plurimum de nobis bene meriti gratiam impreſſoribus excudenda tradidimus, ut ab omnibus commode legerentur. Reliqua ejus præclara monumenta, tam ſoluta oratione, quam carmine exſtant quidem, ſed nondum in vulgus edita. Hæc de tanto epiſcopo, uti de cive Patavino, præter morem addenda cenſui.*

S. M. S

* Iacobus Salomonius Inſcriptionum Vrbis Patavinæ pag. 9. et 10.

In recens magnifice (in eccleſia cathedrali) *exſtructo ſacello S. S. Sacram. altius ad dexteram introeuntibus, monumentum nobile cum urna marmorea.*

S. M. S

PETRO. BARROCIO. PATRITIO. VENETO. PONTIF. PATA
VINO. SACRAR. Q. LITERAR. CVLTORI. EXIMIO
FIDE. RELIGIONE. AC. PIETATE. INCOMPARABILI
VT. PARES. PAVCOS
SVPERIOREM. HAB. NEMINEM
QVI. NON. SINE. MAGNA. PAVPERVM. IACTVRA
AC. TOTIVS. PATAVINAE. VRB. DOLORE
MIGRAVIT. AD. DOMINVM
ANN. CHRIST. SALVT. M. D. VII. DIE. X. IANVARII
CVM. ANN. AGERET. SVAE. AETAT. LXVI.

IO. BAPT. ROTA. PAT. PETRI. F. IIII. Q. EIVS. AVSPI
CIIS. PATAVIA. GERMANIAE. CVM. PATAVIO. ITALIAE
COMMVTANS. HIC. SEDEM. COLLOCAVERIT.
TANTAR. CELEBERRIMI. VIRI. VIRTVT. AC. PLVRIVM
IN. SE. PARENTES. Q. SVOS. MERITOR. NON. IMMEMOR
DEBITAM. EFFIGIEM. ET. LAPIDIS. INSCRIPTIONEM

PATRONO

B. M

GRATVS. APPOSVIT
ANN. A. PARTV. VIRG. M. D. LX.

Gaſpar Contarenus Cardinalis de officio Epiſcopi pag. 418. operum ejuſdem, editionis Pariſienſis anni 1571.

Vidi ego Petrum Barrocium, *epiſcopum Patavinum, virum qui numquam ſatis pro meritis laudari queat, quotidie cum primum dies illuxerat, in privato quodam ſacello miſſarum ſolemnia celebrantem eximia ſanctitate, animique intentione in Deum.*

Idem ibidem pag. 421.

Familiarium vero, cum ægrotant, magnam habeat (Epiſcopus) *curam, provideatque eo pacto illorum incolumitati, ut neque impenſæ, nec cujuſpiam incommodi ratio habita fuiſſe videatur. memini ego, dum Patavii agerem,* Petrum Barrocium, *de quo ſupra dixi, inſignem epiſcopum, conſtantiſſime hoc ſervaſſe, præterquamquod ægrotis familiaribus omnia ſuppeditarentur quibus erat opus, ne unquam medicus ſine ipſo ægrotum inviſeret. aderat ipſe et conſultationibus medicorum, et prognoſticis: hoc vero præſtabat in ſingulos ut ne poſtremos aut infimos neglexiſſe videretur. laudanda ſane caritas, vereque epiſcopo dignum officium.*

Idem

Idem ibidem pag. 429.

Nam ea videtur etiam mens fuiſſe illorum qui bona ſua legarunt eccleſiæ cui (Epiſcopus) *præſidet, ut ſcilicet municipibus egenis potius quam externis, ea erogentur.* Petrus Barrocius, *de quo ſupra quoque a nobis facta eſt mentio, diligenter hoc ſervabat, mallebatque Patavinis egenis opem ferre ex epiſcopatus redditibus, quam Venetis conſanguineis ſuis: quod diceret, eam vim agrorum, villarumque teſtamentis a Patavinis civibus epiſcopo legatam eſſe ea mente (ut quilibet conjectari facile poteſt) quo Patavinorum inopum neceſſitati ex his opibus ſubveniretur.*

Iacobus Philippus Thomaſinus de Patavino Gymnaſio pag. 397.

Barrocius *ex Bellunenſi ad hanc eccleſiam translatus eſt anno* 1488. *vir doctiſſimus, vitæ probitate, et literis celeberrimus. Scripſit* de bene moriendi ratione l. 1. de conſolatione l. 3. hymnos, et epiſtolas ad diverſos.

Iacobus Salomonius Inſcriptionum Vrbis Patavinæ pag. 32.

Mons Pietatis Patavii erectus eſt anno 1491. *ſuadente B. Bernardino Feltrenſi, et favore* Petri Barrocii *Veneti, epiſcopi Patavini.*

Idem pag. 520.

Superior epiſcopalium Patavinarum ædium aula, plane regia, a Petro Barrocio *exſtructa, ornataque imaginibus epiſcoporum anno* 1494. *ut oſtendunt inſignia octo familiæ Barrociæ, quorum bina depicta quolibet in angulo ejuſdem aulæ ſunt, prope laqueare.*

Idem pag. 521.

Aulam ubi candidatis laureæ inſignia traduntur, Petrus Barrocius *exſtruxit.*

PETRI

PETRI BARROCII
PATRICII VENETI
PRO
FRANCISCO SCLEDO
VICENTINO,

eorum qui jura Patavii dicunt Rectore, cum in magiſtratus fine Civilis et Pontificii juris inſignibus donaretur,

ORATIO.

CVm tantum virorum clariſſimorum ſilentium in me converſum video, Patres, non poſſum quin timeam, et totus pariter contremiſcam. Nam hujus in quo antehac fui numquam, loci amplitudo, ac dignitas, et rei de qua dicturus ſum magnitudo, atque præſtantia, ejuſmodi ſunt, ut non me modo, qui a gymnaſio, et umbra, atque puerili exercitatione nunc primum in pulverem campumque deſcendi, ſed optimos quoſque, et in dicendi arte exercitatiſſimos oratores merito deterrere poſſint. Quis enim, cum ſibi de Franciſci Scledi, Rectoris noſtri, viri omni virtutis genere ornatiſſimi laudibus in hoc hominum doctiſſimorum cœtu dicendum eſſe intelligat, non maxime timeat ne cum apte atque accurate plurima dixerit, et plura prætermiſiſſe, et hæc

ipſa

ipſa quæ dixerit, non pro loci dignitate dixiſſe videatur ? Et apte quidem atque accurate plurima dicere nec mearum virium eſt, nec ætatis : nedum omnia pro loci dignitate complecti. Sed unum me plane reſpirare facit, ac recreat, quod juſsu veſtro hanc me provinciam ſuſcepiſse intelligo, qui Venetiis cum eſsem, et rhetoricæ apud Petrum Parleonem Ariminenſem, virum doctiſſimum, atque integerrimum, operam darem, literis in hanc urbem veſtris accerſitus ſum, ut etiam ſi vel dignitati loci, vel rei magnitudini, vel (quod ſentio quam ſit difficile) exſpectationi veſtræ minus aliquantulum ſatisfecero, numquam tamen obtemperaſse me vobis aut pudeat, aut pœniteat. Accedit ad hæc omnium veſtrum tum ſingularis humanitas, quæ ſtudioſorum juvenum animos et patienter audiendo, et interdum etiam (ſi quid non ineptiſſime dixerint) pluſquam mediocriter laudando ad ſtudia capeſsenda exacuit : tum vero incredibilis illa in Franciſcum Scledum benivolentia, quæ de ipſius laudibus diſserentes uti ſummo ſemper ſilentio audirentur, effecit. quæ ſic a me timorem omnem depellunt, ut contraria quam paullo ante ratione, vereri incipiam ne, quod ætati aut doctrinæ noſtræ non convenit, alicui veſtrum audaculus videar. Dicam ergo ex multis ac magnis rebus quæ de viro præſtantiſſimo dici poſsunt, duas non amplius, ſicuti natura ſe offerunt: genus viri, et virum; ut cum nobiliſſimis parentibus genitum intellexerimus, quantum eos gloria ſuperaverit, deinceps intelligamus. Triſſinorum familia, unde Franciſci noſtri mater, ſi quo tempore Vincentiam commigravit, ſumſiſset initium, merito antiquiſſima judicari poſset, utpote quæ ab Othonis uſque primi eo nomine Imperatoris in Italiam adventu principium duceret. Sed cum multis ante annis inter primas Germaniæ familias fortunæ bonis, et hominum multitudine, et virtutum præſtantia fuerit, non tam antiquitatem, quæ (ſi nihil aliud inſpiciatur) plerumque etiam contemtui eſse poteſt, quam eas quæ antiquitatis cauſsa ſunt, res fortiter atque induſtrie geſtas prædicari oportet. Nam, ut familiæ ab uno ſæpe qui ſuos ipſe majores aliquo virtutis genere antecellat, incipiunt, ſemper, niſi ab his qui ex eo ſunt nati virtute ſerventur, intereunt; ſic

Triſſi-

Triſſinorum domus, quæ inter primas non urbis unius, ſed gentis nobiliſſimæ, atque populoſiſſimæ familias diutiſſime floruit, primaſque in omni virtutum genere partes habuerit, neceſse eſt. Id vero vel ex hoc uno probari poteſt, quod cum Berengario, qui tyrannidem Italiæ occupaverat, urbem Romam Ioannis adulterini Pontificis dominatione oppreſsam, et omnes circa regiones igne, ferroque vaſtante, eccleſiæ Romanæ Cardinales Othonis Saxonum ducis, qui ea tempeſtate toti Germaniæ imperabat, auxilium imploraſsent, Otho contra Berengarium ducturus exercitum, duos e familia Triſſina viros delegit, Meliorantium, et Panenſaccum, quos fide, prudentia, fortitudine, quoniam ceteris præſtare ſciebat, tantæ rei peragendæ ſocios, conſultores, adjutores haberet. Expertus erat magnanimus vir eorum induſtriam, haud ſcio an in ea potiſſimum tempora reſervatam; nihilque in tanto exercitu agi volebat quod non his auctoribus ageretur. Mirum dictu! diſciplinis quas liberales vocamus, omnibus inſudaverant, atque ita inſudaverant, ut non fruſtra laboraſse illos palam eſset; et tum ea erant rei militaris ſcientia, ut nonniſi ſoli ei ab ineunte ætate operam dediſse viderentur. Propoſuiſses laborem; numquam feſsos eſse dixiſses: ſuperveniſsent pericula; fortitudinem admiratus fuiſses: cum celeritate aliquid agi oportuiſset; non celeres, ſed celeritatem ipſam eſse juraſses. Interim vero non eos umquam ad querelas magnitudo laboris, non avaritia ad rapinas, non ad ignaviam ſucceſsus rerum; ſed pervincendi ſtudium ad victoriam, liberalitas ad munificentiam, fortunæ inconſtantia ad ſollicitudinem traxit. denique, ut ſemel dicam, nihil umquam aggreſſi ſunt in quo aut virtus induſtriæ, aut induſtria virtuti, aut virtuti et induſtriæ fortuna defuerit. Quo factum eſt, ut quacumque ducere exercitum libuiſset, vel in deditionem urbes reciperent, vel parvis copiis ingentem hoſtium multitudinem ſuperarent. tandemque deleto cum omni exercitu Berengario, pace Italiæ reſtituta, Ioanne pontificatu ſe ſe abdicare compulſo, Leo nominis hujus octavus, qui per id tempus creatus eſt Pontifex, Othonem conclamantibus una voce Romanis, et præ nimia lætitia exſultantibus, Romanorum Impera-

torem creavit. nam Caroli illius genus ſub quo a Græcis in Gallos translatum Chriſtiani orbis imperium fuerat, cui etiam ob inſignem virtutem *Magno* cognomentum fuit, Arnulphi morte defecerat. Ita cum victorem exercitum, et pro Saxonum Duce, Romanum Imperatorem Vincentiam reduxiſsent, rebus jam in tranquillo collocatis, ibi domicilium habere fortaſſis, ut Imperatoris in Germaniam profecturi partibus, ſi quid accidiſset novi, auxilio forent, ab Imperatore ſunt juſſi, et honoris ac virtutis gratia in ordinem equeſtrem recepti, valle pulcherrima, et feraciſſima, quam de familiæ nomine poſtea dixere *Triſſineam*, ab eo donati ſunt, annis abhinc ſupra quingentos. Vincentiam itaque ex eo tempore patriam habuere Dei Optimi Maximi voluntate quadam, ut quorum opera Imperatoris exercitus vincere didiciſset, urbem a victoria dictam incolerent. In ea igitur, ut victores decebat (victoriam quippe ſequitur dignitas) ſemper cum dignitate, atque amplitudine, et clariſſimorum equeſtris ordinis quaſi per manus traditi virorum multitudine floruerunt; non turpi quopiam quæſtu, uti ſolent plerique majorum gloriæ detrahentes, ſed ſummo vitæ ſplendore clariorem in dies familiam facientes: inter quos præcipuum Heldericus nomen adeptus eſt. Eum Zuphredus ut tempore ſequitur, ſic virtute præcedit, de quo melius eſt nihil dicere, quam pauca loqui. Nam cum temporis hujus anguſtia abſolvere ſemel cœptum de nobiliſſimo viro ſermonem non ſinat, et non abſolvere egregiæ virtuti forſitan injurioſum ſit, ita demum utriuſque rationem habiturum me ſpero, ſi integrum in aliud tempus ſermonem diſtulero. Quid vero de Bonifacio dicam? qui quod bona ſemper facere conſueſset, merito dici Bonifacius putabatur. Quid de Antonio? cujus ea ſemper fuit in dicendo facundia, ut a pleriſque Antonius ille crederetur quem in libris de oratore cum Craſso diſputaſse, Cicero auctor eſt. Quid de Nicolao? cui tanta ſemper fuit in pauperes liberalitas, ut divi Nicolai mores ad unguem expreſſiſse diceretur. Quid de Ludovico? quem ea vitæ integritate fuiſse accepimus, eo rei familiaris ſplendore, ut divo Ludovico ſanctitatem et regnum ſimul abſtuliſse videretur. Hæ ſunt laudes, hæ ſunt virtutes, hæc quæ

ad

ad veram pertineant gloriam. Honores noſtros ex majorum gloria habere originem pulchrum eſt, ſed ita, ſi nec ipſi ab eis ullo vitio degeneremus, et noſtra virtute majorem inſuper in dies illam reddamus: alioquin onerat nos majorum gloria, dum honorat, et non tam pulchrum eſt avorum laudibus illuſtrari, quam longe turpius vel ad eam gloriam nihil addidiſse, cum præſertim inventis addere facillimum ſit, vel, quod multo certe deterius eſt, etiam detraxiſse. Equidem, ut de his loquar quos paullo ante commemoravi, tanta eos fuiſse comperio in omni virtutis genere excellentia, ut familiarum nobiliſſimarum ſinguli merito auctores eſse potuerint. Iam vero equeſtrem ordinem, ex quo et lumen illud eloquentiæ Cicero, et alii complures egregia fama viri fuiſse leguntur, cujus Triſſinorum domus, ex quo Vincentiam cœpit incolere, nullo non tempore inſignem aliquem habuit virum; cum antea nobilitatis multum habuiſſe certum eſt, tum noſtra ætate in primis. Nam veteribus quidem hujus ordinis viris, decurionibus obtemperare mos fuit, noſtris vero jubere: illis annulorum tantum aureorum jus erat, his torquium, veſtium, et calcarium; nam annulorum quidem, quod eis promiſcue omnes utantur, uſus in pretio eſſe deſivit: illis rempublicam armis, et capitis ſui periculo defendendi officium fuit, quod cum militibus (milites autem hi proprie dicebantur qui pedibus militabant) commune fuit, his eamdem rempublicam etiam conſiliis, opibus, auctoritate tutandi eſt munus; quod cum imperatoribus habent commune: denique illi multi fuerunt, ut vel ipſo numero contemtui eſſe poſſent, hi pauci, ut ipſa etiam raritate ceteris admirationi ſint. neque vero equites eſſe temere omnibus licet, ſed his tantum qui vel de republica optime meriti ſunt, vel certe de plurimis; quod Triſſinæ genti ſemper contigiſſe, ut non dicam ex annalibus, ſaltem ex continuatis in hanc uſque diem equeſtris dignationis honoribus, liquet. Age vero, quando Franciſci noſtri matrem unde orta ſit diximus, ad patris familiam tranſeamus, et duarum inter ſe nobiliſſimarum gentium de gloria, et virtute certamen egregium videamus. Tria ſunt quæ Triſſinæ genti in primis honorifica eſſe docuimus; antiquitas generis, vallis feraciſſimæ quam de ſuo no-

mine vocaverunt donatio, et equeſtris ordinis claritas. tria item quæ de Scledorum familia dicturi ſumus; antiquitas generis, agri quem de ſuo ipſi nomine vocaverunt principatus, et juriſconſultorum multitudo. Sed in antiquitate generis eſt, quod utraque ſuperiorem ſe putet; Scledis cum Vincentiæ urbis exordio familiam ſuam cœpiſſe dicentibus: Triſſinis vero et ante Vincentiam conditam, ſuam fuiſſe aſſerentibus. ita utraque antiquior altera eſt, illa apud Germanos, hæc Vincentiæ; ſed patrii ſoli una ſe indigenam eſſe contendit, alia plane advenam aliquando fuiſse non negat. In agro quoque quem de nomine ſuo dixerunt, eſt quod utraque majorem ſe judicet. illa, quod ab Imperatore honoris ac virtutis gratia tam præſtanti donata ſit munere: hæc, quod principatum ſemper habuiſſe ſatius eſt quam habere cœpiſſe; id enim non niſi ob egregiam gentis virtutem contingere aut ſolere, aut poſſe. Porro in equeſtri et jureconſultorum ordine, cum neque illa jureconſultis, neque iſta equeſtris ordinis viris abundet, ſuum quæque ordinem magni facere nititur; illa, quod inter arma ſilere ſoleant leges: hæc, quod ad arcendam vel ulciſcendam injuriam arma jubeat capi. illa, quod armis propagentur imperia: hæc, quod parta legibus conſerventur. illa denique, quod in bello majori ſit uſui: hæc, quod in pace, cujus gratia ipſa etiam bella geruntur, emolumento ampliori. Diceremus nos forte in hac amiciſſimarum familiarum controverſia ſententiam noſtram, ſed ſtudia quibus vel ab ineunte ætate operam dedimus, vel in præſentia daturi ſumus, nos in ſuſpicionem adducunt, ut pro ſtudioſis ac literatis viris ſentire potius judicemur: quod etiam ſi faceremus, ignoſci nobis, ut putamus, deberet, quia, cui ſe rei dicavit, de ea fere quiſque ſentire optime conſuevit. Vtemur ergo Palæmonis illius Virgiliani ſententia, et dicemus:

Non noſtrum inter vos tantas componere lites.

Quamquam quid ego lites dico? concordiam dicere debuiſſem; neque enim quidquid in certamen deducitur, continuo cenſeri lis debet: ſed quemadmodum qui ſe mutuo diligunt, quo pluribus amoris ac benivolentiæ argumentis inter ſe certant, hoc ſe amplius diligunt; durare quippe vix amor poteſt,

cujus

cujus non ultrò citroque aliquis fructus exſiſtat; ita qui vel de antiquitate familiæ, vel de agri principatu, vel de ſui ordinis dignitate contendunt, ut plus ab ſe illis cum quibus contendunt, honoris eſſe percupiant, concordes ſunt; non enim ſuam, ſed eorum cum quibus certant, gloriam quærunt. Quamobrem bona venia tua, Triſſinorum domus, quando de Scledorum antiquitate, et agri principatu pauca iſta tractavi, dicere de jureconſultis deinceps aggrediar; non quidem omnibus, ne me auditorum patientia forſitan quiſpiam abuti putet, ſed illis dumtaxat qui vel in præſentia ſuperſtites ſunt, vel non multo ante fuerunt. inter quos primo ſe mihi loco offert Vincentius, qui tantum bonarum artium ſtudio, atque doctrina profecit, ut cum adhuc juri civili dans operam, diſcipulis annumerari mallet, doctiſſimorum quorumcumque judicio inter doctores eſſe cogeretur. Hunc ſequitur Matthæus, qui ejuſmodi genti ſplendorem adjecit, ut facile dictu non ſit quam brevi tempore totam ferme Italiam Scledorum fama percurrerit. Quid Paſius ille? quem Galbæ juriſconſulto ſæpius et collatum, et antelatum audivimus. Quid Vincentius Franciſci noſtri avus? cujus ea erat et probitatis, et doctrinæ opinio, ut Mediolanenſium duci, qui tum urbis Vincentiæ potiebatur, familiarior fuerit nemo: cujus, cum quid agendum foret, conſilium veluti oraculum Dei, et expetebatur, et ipſis rerum eventis utile honeſtumque probabatur. Miſſus eſt aliquando legatus ad Martinum Pontificem Maximum, ob rem grandem, arduam, perdifficilem, quam ceteri plane, quod impetrari non poſſe arbitrarentur, detrectabant. Eam ipſe (homini homo tantum præſtat) ut parvam, ut humilem, ut facillimam impetravit, idque tanta celeritate, ut perveniſſe ad Pontificem eum, et omnia ex ſententia geſſiſſe, unus idemque tabellarius nuntiaret. Ingenium hominis requiris? nihil acutius: doctrinam poſcis? nihil eruditius: prudentiam petis? nihil circumſpectius: eloquentiam quæris? nihil diſertius. atque, ut ſemel dicam, quæ virtutes ſingulæ unicuique pluſquam mediocri ornamento fuiſſent, eas ipſe omnes unus perquam egregias acquiſierat. Extollat mihi nunc majores noſtros antiquitas, et veneratione quadam temporis anteacti inflata,

nemi-

neminem hac ætate ſimilem inveniri affirmet; cum ex una tantum familia tot egregia fama jureconſulti claruerint, cum unum virum tot ſimul ornatum virtutibus viderint. Equidem Sextum Cæcilium jureconſultum fuiſſe intelligo, cauſſam egiſſe aliquando non intelligo: Scævolam legum apprime peritum, numquam tamen deſcendiſſe in forum; ſed Vincentium Scledum, præter acutiſſimum ingenium, præter prudentiam ſingularem, præter multas et magnas virtutes, ita in utroque genere verſatum, ut ſua ætate omnium oratorum jureconſultiſſimus, et jureconſultorum eloquentiſſimus haberetur. Alius porro ejuſdem nominis vir eſt Franciſci noſtri patruus, quem ob egregiam cum juris utriuſque ſcientiam, tum vero probitatem, Veronenſis prætor vicarium ſibi accivit, et ubi difficilius quippiam incidit, non aſſeſſorem modo, verum et collegam. cujus tanta eſt in dicendo jure moderatio, ut (quantum ex Veronenſibus qui ſtudiorum cauſſa iſtic ſunt, intelligere potui) in ea urbe nemo ſit prorſus qui non perpetuum illi optet magiſtratum eum. Res dictu mira, ſed mirabilior factu, cum in maximis quibuſque civitatibus maximus itidem ſemper facinoroſorum hominum numerus ſit, quos ſimul ut boni fiant, ſimul uti bonis ne noceant, puniri quotidie neceſſe eſt, ita te gerere, ut ne illis quidem quos die noctuque perſequaris, odioſus exſiſtas; quandoquidem ipſi etiam rei inter acerbiſſimos cruciatus atque tormenta, pejora ſe meritos fateantur, et ubi quid remiſſius agitur, clementiam judicis laudent, ubi vero intenſius, ſemetipſos ultro incuſent. Hoc autem vicariorum munus ut paci populorum neceſſarium, ſic eis a quibus geritur, honorificentiſſimum eſt. nam et patribus his qui regendis urbibus ſenatuſconſulto præficiuntur, pari eſt auctoritate fere; et cum nihil illi abſque horum conſilio gerant, juris dicendi ſummam, quæ apud eos eſt nomine, re ipſa vicarius potius vindicat. Quo in munere Ioannes Franciſci noſtri pater, ipſe quoque jureconſultus egregius, dignitatis et auctoritatis apud patricios noſtros plurimum eſt aſſecutus. Nam bis Tarviſii, bis Forojulii, ſemel atque iterum Veronæ, ſemel Patavii, ampliſſimi territorii civitatibus, vicarium geſſit; ea integritate atque juſtitia, ut nullum umquam

quam verbum, nedum opprobrium, quod viri famam violaret, exauditum ſit. Magnum probitatis ac juſtitiæ argumentum, in eo præſertim qui in jure ſententiaque dicenda multos objurget, coërceat, notet, ſæpeque capitis damnet. Noſti tu, prætor juſtiſſime, difficultatem rei; nam etſi pro juſtitia et ſenatus dignitate, prudentiſſime ac ſapientiſſime omnia geras, experiris tamen quotidie, vix comprimi eorum linguas poſse qui male mulctati cum fuerint, auctorem mali, quem juſtum negare non poſsunt (quod fere alienæ quam ſuæ quiſque domui juſtitiam malit) ſi poſsunt, veris; ſin id minus licet, falſis criminationibus inſectantur. Noſti tu quoque, præfecte magnanime, quam ſit res ardua, in ſummo imperio cunctis pariter morem geſſiſse, qui ſi bonis obſequaris, quod juſte judicas, malis ob hanc ipſam cauſsam gerere morem vix poſſis. Quamobrem Ioanni Scledo, cum utrumque ſeu felicitate, ſive (quod potius credo) naturali quadam rerum gerendarum peritia, conſecutus fuerit, laus jure optimo ſingularis debetur. Longum eſset enumerare, qua fide, conſtantia, fortitudine fuerit; quali prudentia, affabilitate, ſolertia uſus ſit; quo pacto ſeveritatem clementia, clementiam ſeveritate miſcuerit; quam in reperiendo conſilio acutus et celer, in componendo gravis et vehemens, in conficiendo fortis et magnanimus fuerit, ut neque minis umquam a ſeveritate juſtitiæ deturbatus ſit, neque precibus ad miſericordiam motus. Plena ſunt omnia rerum ab eo integre ac ſapienter geſtarum. teſtis eſt Vincentia, quæ nobiliſſimis civibus referta cum ſit, nullo plus hodie homine gloriatur: teſtes Tarviſini, qui tanti in jure dicendo ampliſſimi viri ſententiam faciebant, ut quod ille cenſuiſset, id etiam hi adverſum quos cenſuerat, juſtum eſse contenderent: teſtes Forojulienſes, qui inter vetuſtiſſimas ac veluti per manus traditas factiones, neſcio quo regionis infortunio, educati, nullum hactenus vicarium habuerunt quem ſic altera civitatis pars coleret, ut altera non odiſset: teſtes Veronenſes, qui fama viri laudes prædicante, cum ſumma de illo omnia concepiſsent, vicarium prætoris experti, viciſse illum facile exſpectationem dixerunt: teſtes vos omnes, qui eo in hac urbe vicarium prætoris gerente, cum ſingularem viri juſtitiam

tiam omnibus admirationi eſse ſciretis, alumnum eum veſtrum fuiſse, exſultabatis. Quocirca recenſere ſingulatim omnia minus fortaſse neceſsarium eſt; et nos, quando Franciſci noſtri genus ſatis pro brevitate temporis expoſuimus, ad ipſum Franciſcum tranſire, orationis ordo depoſcit. Natus eſt Franciſcus noſter patre in Foro Iulii patriarchæ vicarium gerente, auſpiciis (quantum ex hoc conjectare licet) felicibus. Cum enim qui eum magiſtratum gerit, pro patriarcha juriſdictionem exerceat, pro eo, inquam, patriarcha cui de ſacerdotibus, deque non ſacerdotibus judicare jus eſt, vel ſolus hic natalis territorii locus eum univerſitatis hujus in qua mixtim ſacerdotes, atque non ſacerdotes plurimi ſunt, rectorem fore, monſtrabat. Educatus autem ibi eſt magna parentum cura, majore adeo quam ceteri hujuſcemodi infantes conſuevere, quod egregiam eo etiam tempore quo vagiebat, de ſe polliceri ſpem videbatur. Vt enim ſatum in terra bona et bene culta ſemen, cum primum emergit, quamdam incrementi futuri ſpem præbet, ita de parentibus optimis atque nobiliſſimis ortus Franciſcus, cum primum eſt natus, optimam et nobiliſſimam præ ſe indolem tulit. Nihil ergo morati parentes, cum, ut loqui ſcivit, immo vero etiam antequam recte loqui ſciret, præceptori, apud quem prima literarum rudimenta ſuſciperet, tradunt. Fuit autem ea in perdiſcendis elementis bonitate ingenii, ut ipſi quoque præceptori admirationem afferret; ea in præceptorem pietate, ut brevi eum plus etiam quam ſuos ipſius liberos, præceptor diligeret. neque enim cum præceptorem videret, parentum ſe deſiderio teneri dicebat; quæ certe verba ſi quis attentius ſpectet, ſenſatiora quam ut a puero, atque infante pæne, dici poſſint, intelliget. Primis itaque apud eum literarum rudimentis imbutus, Omnibonum Leonicenum virum optimum, atque inter noſtri temporis rhetores facile principem, bene dicendi ſimul et faciendi præceptorem ſuſcepit; exiſtimans, quoniam M. Tullio auctore, orator eſt vir bonus dicendi peritus, non ſe aliter in ea facultate evadere ſummum poſse, quam ſi et cum peritia dicendi vitæ innocentiam, et cum innocentia vitæ dicendi peritiam conjunxiſset. Et quidem utrumque partim bonitate ingenii, ſtudio,

exer-

exercitationeque, partim vero continentiæ præceptoris imitatione, et inſita menti verecundia, brevi tempore conſecutus eſt; ita ut eum condiſcipuli et dicendi peritorum optimum, et eorum qui optimi haberentur, dicendi peritiſſimum prædicarent. In quo quid prius, quid poſterius dicam? ſcio quippe, dicendi peritiam aſsequi non omnes velle, cum tamen in qua re ceteris animalibus homines præferuntur, in ea re ceteris anteferri hominibus, non minus utile quam honorificum ſit. Scio etiam, eos qui dicendi peritiam aſsequi volunt, non omnes continuo poſse, quoniam ad ſtudium exercitationemque niſi vis quædam naturæ, ac cæleſte, ut ita dixerim, donum acceſserit, opera haud dubium, et impenſa omnis perdatur. Scio denique, in ea ætate bonam hominum partem voluptatibus magis quam literis operam dare, præſertim quibus parentes aut nulli ſunt, aut negligentes. At Franciſcus noſter et dicendi peritiam aſsequi voluit, et, quoniam ad eam optime a natura inſtitutus fuerat, potuit. Et cum utroque parente admodum juvenis orbatus fuiſset, temperantia tamen, religione, et continentia ſic voluptatibus omnibus imperavit, ut non adoleſcentibus modo, verum etiam ſenibus imitandus exſiſteret. Quod ſi quis eſt qui non ſummopere admiretur, illum ego plane, quales, et quam vehementes in ea ætate ſint corporis voluptates, aut nondum probaſse, aut oblitum eſse crediderim. Adde vero quod cum homo civile animal ſit, et convictu, ac mutua conſuetudine cum ceteræ ætates, tum vel maxime adoleſcentia gaudeat, in tanta male moratorum juvenum multitudine, cum quibus honeſte verſari poſſis deligere magnum eſt: cum malis autem verſari, et vitiis eorum veluti ſcabie mentis quadam non corripi, majus: ſed improbos arguere, et emendari nolentium conſortia devitare, atque hoc ita, ut ne in eorum quidem quos arguas, vel devites, odium incidas, maximum, atque, ut ita dicam, ſupra humanum ingenium eſt. Hæc tamen omnia (tantum poteſt generoſæ indoli diſciplina conjuncta) Franciſco noſtro parva, levia, et ludicra fuere propemodum. Quamobrem bonam jam tum de illo ſpem nemo non habuit: fore illum virum inter paucos ſummum, de quo magna omnia cum amici et conſanguinei,

tum in primis patria poſset ſperare. Cum igitur dicendi artem egregie aſsecutus, omnes fere diſciplinas attigiſset ſine quibus perfectum eſse poſse oratorem negant plerique, ad jus civile ſe contulit. Etenim cum in civilibus controverſiis, forenſibuſque diſceptationibus ſæpe, ut non dicam ſemper, in medium veniant leges, dedignatus eſt nobiliſſimus adoleſcens ab aliis mutuum accipere, quod ipſe nullo, ut ſic dicam, negotio poterat comparare. Videbat præterea nullam domum, nedum urbem, aut provinciam recte ſine legum ſcientia regi poſſe, ac ſe aliis regendis natum (quamquam ceteris eum plurimi facientibus, ſolus ipſe, quod optimum veræ, ac ſolidæ virtutis indicium eſt, ſe ſe minimi faciens) agnoſcebat. In hanc itaque civitatem, velut in quamdam diſciplinarum omnium nobiliſſimam academiam, protinus venit, ac ſe ſe juris civilis ſtudio totum dicavit. nunc jureconſultorum, imperatorumque veterum ſcita revolvens, et illorum elegantiam, horum vero gravitatem admirans: nunc præceptorum inextricabiles legum ambages explicantium documenta percipiens, et de illis cum condiſcipulis aut confragoſum, et difficile aliquid diſputans, aut jureconſultos, ut quiſque peritiſſimus habebatur, interrogans. Non illum quiſpiam, etiam feſtis diebus, priuſquam aliquid didiciſſet, ſpatiatum ducere potuit. nullus otio marceſcentem vidit; et cum multa jam nocte (quod ferme ſemper ſolebat) cubitum iret, numquam eum tamen aurora dormientem invenit. Sed etſi quibuſcum ei conſuetudo fuerit, quæras (quando, ut vulgo ajunt, Deus homines facit, ipſi ſe ſociant) ſtudioſiſſimum, et nobiliſſimum comprobabis. Quos enim ex omni jura diſcentium numero doctiſſimos, et nobiliſſimos arbitrabatur, eos amicos, ſocios, ſodaleſque ſemper intimos habuit. Et quamquam ab omnibus mirifice amaretur, numquam ſe tamen inertium, ineruditorumve, aut ignobilium conſuetudine maculavit. Ignobiles autem hoc loco intelligo non eos minus qui nihil ipſi quod ex eis eſt bonæ frugis attulerunt, quam eos qui infimo loco nati, moribuſque infimi ſunt. Nam eos qui ſummo genere orti, nihil his unde orti ſunt dignum habuere, ignobiles: et idemtidem eos qui humilibus nati parentibus, ipſi non humiles evaſere, nobiles jure optimo dixerim.

rim. Verum (uti de hoc etiam aliquid enucleatius diſseramus) illi mea quidem ſententia ignobiliſſimi ſunt, qui humilibus orti parentibus, vitiis atque ſceleribus generis turpitudinem augent: et nobiliſſimi illi, qui ſummo loco nati, virtutibus, et bonis artibus domeſticum ſplendorem illuſtrant. Nam etſi multo difficilius ſit hominem humili genere ortum, virtutibus clarum emergere, atque ob eam rem ejus qui talis emerſerit, major eſſe nobilitas videatur: et quamvis multo facilius ſit, eum qui claris eſt natalibus genitus, in virum præſtantem evadere, iccirco quod ſi talis evaſerit, minor fuiſſe probitas prædicetur; vulgo tamen cernere eſt, ad ſummam illam veramque nobilitatem neſcio quod et humilitate generis impedimentum, et domeſtica gloria additamentum afferri; propter quæ ſtudio atque induſtria comparatus hic ſplendor et in illis tamquam nube ſoli objecta, obſcurior, et in his velut luce luci appoſita clarior habeatur. Contra vero quamquam longe difficilius ſit, hominem nobili genere ortum, vitiis atque ſceleribus inquinari; et propterea ejus qui talis cum eſſet, inquinari ſuſtinuit, major fuiſse improbitas videatur: et licet longe illud facilius ut qui infimo natus eſt loco vitiis ignobilior fiat, atque ideo ſi talis fiat, minus fuiſse improbus æſtimetur; illud tamen manifeſtum eſt, infimo huic atque abjectiſſimo ignobilitatis generi et nobilitatem nonnihil obſtare, et ignobilitatem acceſſionem quamdam præbere; ut luxu atque inertia turpitudo quæſita in illis quidem, velut majorum nobilitate contecta, minus appareat: in his vero tamquam umbræ accedentibus tenebris, omni genere obſcurior fiat. Quocirca eum qui doctiſſimorum atque nobiliſſimorum virorum, quales paullo ante commemoravimus, conſuetudinem expetebat, contra vero ut quiſquam indoctiſſimus atque ignobiliſſimus habebatur, ſic eum maxime fugiebat, non ab re cum doctiſſimum, tum in primis nobiliſſimum eſse cenſueris. His ergo et artibus, et ſtudiorum ſociis cum civilis juris doctrinam optime aſsecutus, bonorum quidem inſtitutorum plenus, nondum autem ſatur foret, juri pontificio quod huic e vicino veluti conjunctum eſt, operam dedit: ut quemadmodum homo corpore atque animo conſtat, ſic illo quidem ea quæ corporis, hoc vero ea

quæ animi ſunt, in promtu haberet. Nam etſi civile jus multa quæ ad animum pertinent, doceat, et nonnulla quæ ad corpus attinent, pontificium; quia tamen illius finis eſt ut quæ ad hujus vitæ uſum neceſsaria ſunt, pro ſua quiſque conditione obtineat; iſtius vero uti quæ ad promerendam beatitudinem ſempiternam apprime utilia judicantur, acquirat; illud quidem corporis, iſtud autem animi potius eſse contendimus. Huic igitur, uti ſupra diximus, operam dedit; ſed ita dedit, ut quanto præſtantiorem hæc finem habebat, quantoque corpore animus nobilior eſt, tanto ſtudioſius, tantoque ardentius daret: et quia cum ceteræ diſciplinæ, tum in primis juris civilis ſcientia ad jus pontificium veluti aditus quidam eſt, tantum in eo, tempore perquam brevi profecit, quantum vix toto decennio alius profeciſset. Interim comitiorum tempus inſtare: de eligendo rectore colloquia fieri: curſitare huc atque illuc multi, et ne noctem quidem quietam eſse permittere: precibus, minis, muneribus in ſuam quiſque factionem quam multos poſset, allicere: de magiſtratibus his quos *conſiliarios* vocant, deque illis quos in ſequentem annum docendi locum habere, aut non habere oporteret, ſtipulationes clanculum fieri: et dum ſuarum quiſque partium hominem, aut a quo ſperare ipſe quippiam poſset, quam alienarum, et a quo ſperandum ſibi nil eſse intelligat, rectorem deligi mavult; non quid univerſis, ſed quid ſingulis utilius futurum ſit, quæri. Tota denique urbs, perinde atque ſi de ſummo imperio controverſia foret, in partes trahi. At ubi in Franciſcum Scledum oculi conjecti ſunt, ubi mores, atque doctrinam, et egregiam illam oris, ac corporis habitudinem contemplari cœperunt, major, atque adeo melior univerſitatis pars eum rectorem eſſe conclamat. Deducitur ad ſuffragia res; eligitur, ſalutatur, ſenatus literis comprobatur, nullo ei (quod in hujuſmodi re raro, atque haud ſcio an umquam, evenit) apud ſenatum quidquam objicere audente; quod certe factum (quantum ex his quæ Venetiis habitans de ſcholaſticis ambitionibus ſæpius audivi) inter magna, atque, ut ita dixerim, admiratione digna, connumerandum exiſtimo. Vbi enim a legum ſtudiis ad ambitionem, nobilium, atque ad honores et dignitates educatorum

torum juvenum cogitatio declinaverit, quod ſuccumbere, aut non quæ voluere omnia conſequi, grandem contumeliam ducant, ferociunt, ac propemodum efferantur; nec jam quid juſtum, aut non juſtum ſit, ſed quid ſemel efficiendum receperint, quærunt. neque hoc ſine ingenti quadam utilitate; quamvis enim juris utriuſque ſtudiis hoc genus occupationes impedimento non mediocri ſint, et ex his qui totos ſe illis immerſere, per quam raros doctos evaſiſse perhibeant, nos tamen quia hujuſcemodi juvenes ad honores, ac rerumpublicarum adminiſtrationes educari non ignoramus, in quibus perſæpe, quid Pomponius, aut Vlpianus cenſuerit, ſcire nil prodeſt, niſi etiam qua ratione pericula quæ in communi vita occurrunt, quotidie depelli aut declinari debeant, in promtu habeatur; iſtiuſmodi impedimentum, præſertim ſi non aſſiduum ſit, et vincendi ſtudio potius quam alicujus odio accidat, non omnino inutile arbitramur. Neque enim aliis artibus reſpublicas, et maxima quæque imperia geri crediderim, quam his quas inter ſe honoris gratia ingenioſi adoleſcentes exercent; niſi quod in rebuſpublicis, atque imperiis magna ſunt omnia, cum in his parva ſint quidem, ſed quæ parvi non fiant, unde et minore periculo prudentes evadunt, et non minore, ſi voti compotes facti ſunt, voluptate afficiuntur. Quamobrem (uti ad id unde diſceſſi, revertar) cum tales tantæque ſint generoſorum adoleſcentium perturbationes, talia ſtudia, tantus, non quæ voluere omnia conſecutos fuiſse, dolor; quod adverſus Franciſcum noſtrum ad ſenatum provocaverit nullus, nullus ei quidquam objicere auſus ſit, nullus ob eam rem Venetias navigaverit, inter magna, et, quemadmodum ſupra dixi, admiratione digna connumerandum exiſtimo. Nam illud quantæ magnitudinis, quantæque admirationis fuit, quod inito ſtatim magiſtratu, materni generis memoriam, ſicut Anchiſæ patris Aeneas, equeſtribus ludis celebrare aggreſsus, pretium victoriæ permagnificum poſuit, quo e finitimis urbibus ut quiſque fortiſſimus, aut viſendi cupidiſſimus fuit, exciti, undique Patavium, atque adeo frequentia quanta in hac civitate ante hac forte non fuerat, convenirent. Quo tempore, bone Deus, quam ſibi omnium benivolentiam comparavit? qualem conſe-

cutus

cuius eſt gloriam? quantæ apud omnes admirationi fuit? his quidem magnificentiam muneris laudantibus, illis pietatem ejus in matrem prædicantibus, aliis viri liberalitatem admirantibus, quibuſdam quod privata impenſa publicam emiſset lætitiam, extollentibus, nonnullis cum ob annuum magiſtratum hæc faceret, quæ quantaque ob perpetuum facturus fuerit, ſciſcitantibus. Iam vero ſi magiſtratum hunc quo pacto geſserit, quæras, nihil in eo non magnum, nihil non admiratione dignum invenies. nam et rei ſcholaſticæ dignitatem omnibus ſemper in rebus conſervavit, adjuvit, auxit, et eorum quibus docendi officium eſset, commoditati mirum in modum conſuluit, et ſcholaſtici ordinis viris, cum ut quam doctiſſimi omnes evaderent, tum in primis ut ne alio laborum præmia petitum irent, ſubvenit. Etenim qui ſuæ ditionis forent, eorum in alieno foro cauſam dicere temere nulli permiſit, et quos ſtudiorum gratia in hanc urbem venire ſciebat, uti importandis exportandiſque rebus vectigalium immunes forent, reclamantibus, et ſenatum appellantibus publicanis, extorſit; et locum ſuum in conventibus publicis ab nemine uſurpari permiſit; et ſeu diſputando quis ingenii atque memoriæ periculum faceret, ſive propoſitam civilis aut pontificii juris exponendo legem, laboris atque vigiliarum juriſconſultorum conventui redderet rationem, cum eo ſemper primus omnium diſputavit; atque hoc ita, ut quæ ipſe ratiocinando dixiſset, ea ille tamquam recte dicta refellere non auderet. Sed hæc, et hujuſcemodi multa ſolers prætereo, quod magna quidem, ſed ſi ejus a quo profecta ſunt ratio habeatur, minus quam mediocria cenſeri debent. Illud nullo genere præteribo quod in eorum ſalariis egit quibus docendi officium eſt. decreta enim ſingulis ex ſenatuſconſulto majora minorave pro laboris, aut virtutis merito ſalaria erant; ſed (quorum culpa, vel negligentia neſcio) nulli ſtatis temporibus pendebantur; hæc vero ipſa vel cum liberaliſſime penderentur, vix dimidiata pendi ſolebant. Ea Franciſcus (tantum apud ſenatum petendo, poſcendo, flagitando, perdurandoque potuit) uti ſingulis integre, ſuiſque temporibus penderentur, effecit. Quod ſi vobis, ſapientiſſimi patres, jucun-

cundum fuit, ut certe fuit (non enim parum eſt ab eo debitore quem cogere nequeas, debitum quando lubet poſse exigere) ipſi quoque Franciſco jucundiſſimum fuiſse intelligite, qui otio veſtro ad ſuam uſus utilitatem, doctrinæ a vobis hoc amplius hauſit, quo nullo rei familiaris impedimento urgente, vos quoque ſtudioſius docuiſtis. Nam quemadmodum equiti confectus inedia equus æquabilis eſse vector non poteſt, eodem modo diſcipulo rei familiaris inopia ſtimulatus præceptor minori ſemper uſui eſt. Fuit igitur ſibi, vobiſque jucundus, et utilis, ſed ſcholaſtici ordinis viris facile jucundiſſimus et utiliſſimus; incredibile quippe dictu eſt, quantum diſcendi cupidis obſit præceptoris perturbatus affectus, ac animus diſtractus inopia. Verum hæc quidem grandia ſunt, ſed quæ jam dicturi ſumus, majora. Inoleverat apud quoſdam non bona conſuetudo, ut quibus publice diſputandi neceſſitas eſt, ſi ad eam rem minus idonei forent, non quidem diſputarent, verum ſimulationis ritu fœdiſſimo ſpeciem diſputationis quamdam præferrent. Etenim quid contra eos dicturus quis foret, prius multo didicerant quam in campum certaturi deſcenderent. ita et auditorum eludebatur frequentia, et ab indoctis docti diſcerni nequibant: et (quod jureconſultorum collegio ignominioſiſſimum erat) de aliorum et quidem doctiſſimorum virtute, non legum modo, ſed omnium quoque bonarum artium ignari homines judicabant. Hoc noſter Franciſcus cum uti ne indoctis docti ludibrio forent, tum vel maxime uti pro ſe quiſque doctiſſimus effici niteretur, lege ex univerſitatis conſulto promulgata fieri vetuit; certoſque præfecit qui quotiens publice diſputandum eſset, non ullum prius loqui permitterent, quam jurejurando adactus, negaret ei ſe adverſus quem diſputaturus foret, colludere. Quæ res doctis quidem honorifica fuit; indoctis vero ut eo fortaſſis tempore ſubmoleſta, ſic poſtea cum ſe ſe neceſſitate compulſos doctos evaſiſse viderent, jure optimo gratiſſima et jucundiſſima. Quamobrem quod in hac univerſitate rarus jam non doctus exſiſtit, gratias Franciſco noſtro haberi et agi oportet ab illis quidem qui docti etiam antea fuerant; quia cum quibus de communibus ſtudiis loqui poſſint, plures jam habent: ab aliis vero quia docti fieri, vellent, nol-

nollent, compulſi ſunt. Atque hoc ut ſcholaſtici ordinis viris, ſic et his qui docendi provinciam ſuſcepere, honorificum eſse nemo ignorat, nemo non videt, nemo non cum quadam animi gratitudine confitetur. Nam etſi non is qui docet, auditorem doctum efficiat, quemadmodum nec is qui arat, fertilem campum (alioquin ſine delectu ille doctum, hic fertilem quem vellet efficeret) ſed ad alterutrius diligentiam cum ejus qui efficiendus eſt talis, hominis, campive naturalis bonitas quædam, tum vel maxime cæleſte munus accedat oportet; quia tamen in utroque illius qui colat diligentia pernecesſaria eſt, bene animum, campumve coluiſse, honorificum et putatur, et re vera eſt. Non minus autem illud honorificum fuit, quod ſcholaſtici ordinis viris flagitantibus, juriſconſultorum asſentiente collegio, ipſe nullius, quamvis magni atque potentis, offenſam veritus, et ſe facturum recepit, et non ſine ingenti labore tandem effecit. Cum enim vel quia pecuniæ majoribus noſtris amplius fuit, vel quia nonniſi divites, atque adeo beati, juri pontificio, civilive operam dabant, vel quia jureconſulti, et ſcholaſtici ordinis viri pauciores tunc erant quam nunc ſunt, vel denique (quod tamen adduci non posſum ut credam) quia cupidiores illi fuerunt; intra jureconſultorum collegium nullus admitteretur qui non ſumtum permagnificum faceret, fœdum, et huic urbi, nedum collegio, ignominioſum facinus accidebat, ut eorum qui hac in civitate juri operam dediſsent, quotus quiſque facere ſumtum nequiſset, laborum præmia, quando a quibus debebat non poterat, inde iret petitum ubi accipere minore poſset impenſa. Ita cura et diligentia veſtra eruditi quamplures, et in eum redacti ſtatum ut ſumma de illis omnia ſperari liceret, transfugarum more, finitimis civitatibus, hi Ferrariæ, illi Bononiæ, acceptorum inſignium gloriam relinquebant. Iſtud animadvertens Franciſcus huic civitati tum publice, tum privatim eſse damnoſum, et (quæ illi cura ab ineunte uſque pueritia uti ne fieret, fuit) ignominiæ plenum, ſumtum qui ea in re fieri conſueverat, univerſitatis conſulto temperavit: et, obſiſtentibus magnæ auctoritatis viris, ingenti labore, ſed gloria facile maxima, etiam ſenatus decreto confirmari curavit. Qua

pro-

profecto in re ita omnibus, his etiam qui temperari nolebant utilis fuit, ut nullus omnino ſit a quo ei gratiæ actæ non fuerint. Nam et rei familiaris inopia laborantibus, quos veluti adverſus fortunam certantes, ſummos fere videmus evadere, opem tulit, ut quam minimi laborum perciperent præmia, nec viarum ulla vel diſcrimina, vel impenſas ſubirent: et divitibus obfuit nihil, utpote quos hoc uti beneficio nemo invitos compelleret: et jureconſultorum collegio, illiſque ipſis qui temperari ſumtum nolebant, tum honoris plurimum attulit, quod ſuos ipſi alumnos ornarent; tum vero utilitatis non parum, quod multiplicatum totiens mediocre hoc lucrum, emolumento facile majori fuit quam magnum illud ſemel, aut rarenter proveniens. Itaque ſi ei ab omnibus gratiæ actæ ſunt, ſi jureconſultorum cœtui oppido quam carus exſiſtit, ſi eum illi etiam adverſum quos provinciam iſtam ſuſcepit, majorem in modum amant; magnum, atque, ut ita dicam, divinum cenſeri debet quod fecit. His ergo atque hujuſcemodi artibus, quas enumerare ſingulatim tempus non ſinit, magiſtratum gerens, multo ei majorem gloriam addidit quam ab eo deſignatus rector accepit. Nam de ſtaturæ magnitudine, de oris vultuſque venuſtate, de habitudine corporis, de veſtimentorum, et comitum quibus domi, foriſque ornatus inceſſit, elegantia, nihil in præſentia dicendum reor, quod et omnibus in propatulo ſint, et minora exiſtimari debeant quam ut inter innumeras illas, mirificaſque viri laudes locum ſibi vel ultimum vindicent. Functus eſt itaque magiſtratu; atque ne publicæ illi occupationes, quo minus civili, ac pontificio juri operam quam acerrimam dederit, impedimento fuiſſe putentur, eam in ampliſſimo jureconſultorum conventu, ſtudiorum, laborum, vigiliarumque ſuarum reddidit rationem, ut ab ipſis, nemine omnino diſſentiente, digniſſimus judicaretur qui et alios hæc ipſa doceret, et illis ornaretur inſignibus quibus more veteri ornari jureconſulti ſolent. Quamobrem ut gentilem tibi atque domeſticam gloriam aſſecutus, qua pietate ludis equeſtribus in matrem initio magiſtratus fuiſti, eadem pietate, docendi facultatem adeptum, in patrem finito magiſtratu fuiſſe te tum hi, tum vero per hos alii ſciant; ego, Franciſce mi, religio-

ſiſſimi antiſtitis noſtri verbis permitto ut docendi facultatem, et cetera jureconſultorum inſignia ab his qui tibi uti jureconſultus decernerere, auctores fuerunt, cum libebit accipias, ut quomodo annui magiſtratus principium ſibi vindicavit mater, eodem modo finem vindicet pater. et (quod primo ſtatim civilium Inſtitutionum ingreſsu Iuſtinianus Imperator ediſſerit) omnes tua unius cura imperatoriam majeſtatem non armis tantum materni generis decoratam, ſed juſtitia quoque paterni armatam intelligant.

PETRI BARROCII
PATRICII VENETI,

cum civili juri operam daret,

PRO

CHRISTOPHORO MAVRO,
VENETIARVM DVCE,

quo die Ioanni patruo, Bergomenſi prius Antiſtiti, poſtea Venetiarum Patriarchæ, Venetias venienti obviam cum ſenatoribus, et urbe tota profectus, eum Caſtellum uſque deduxit,

ORATIO.

SI umquam tempus ullum fuit, Patres, quo in hac urbe audientibus vobis, aut declamando, aut ex tempore multa dictando, aut orando, ingenii quantulumcumque eſt mei, vel memoriæ periculum non invitus fecerim, nunc nunc adeſt profecto, quando huic omnium veſtrum humanitati, ac religionis venerationi, qua cum ſæpe antea, tum vel maxime hodierno die, in Ioanne patruo, Bergomenſi quondam antiſtite, in præſentia vero hujus patriarcha civitatis, excipiendo uſi eſtis, ſi non parem, mediocrem certe, vel tantulam mihi gratiam referendam eſſe intelligo. Neque enim (quemadmodum aliis eadem præditis dignitate) illa ei civitatis pars,

aut illa occurrit; ſed populus fere univerſus, ſed ſenatorius ordo, ſed magiſtratus omnes, ſed ipſe dux, ſed matres et pueri, atque, ut ſemel dicam, tota reſpublica: ut nec ipſe majus amoris erga ſe veſtri argumentum petere, nec vos, ſi huic veſtro in eum officio aliquid addere contendatis, quid addi queat invenire poſſitis. Non me autem latet, complures veſtrum, hos conſanguinitatis, illos affinitatis, aliquos amicitiæ, quoſdam patriæ, nonnullos religionis, alios pontificatus ei gratia occurſuros fuiſse; quod conſanguineorum, affinium, et amicorum in hac urbe plurimum habeat, et non civis modo, ſed ſenatorii quoque ordinis ſit, ac Dei miniſter, idemque ſacerdotum atque antiſtitum hujus provinciæ, quos patres vocant, (hoc quippe patriarcha ſignificat) princeps. Sed quia non parum refert, officiorum quibus in excipiendo aliquo utimur, publicæné, an privatæ ſint cauſsæ, hodiernum officium veſtrum, quod a benivolentia publica proficiſcitur, longe mihi totique Barrociæ genti gratius fuit. Et quidem ob eam rem meo ac familiæ nomine gratias ſingulis quibuſque veſtrum habeo, atque ago magnas, ſed duci noſtro ingentes, utpote quem neque publicæ occupationes, neque navigationis longitudo, neque ſenectutis incommoda retinere potuerunt, quominus egregiam illam humanitatem, et religionis venerationem quam ab ineunte uſque pueritia didicit, Ioanni patriarchæ oſtenderet, ut civi, ut filio, ut parenti. Hoc quippe et ducem, et grandævum, et religionis apprime ſtudioſum decet; eum præſertim qui, quo majoribus a vobis honoribus affectus eſt, hoc ſemper minori erga omnes faſtu fuit, quique ceteris principibus chriſtianis torpentibus, ſolus adverſus Turcos claſsem inſtruxit, eduxit, et quantum in ipſo fuit, eos aggreſsus eſt. Sed iſta quidem communia; et quæ omnes ſacerdotes, omnes pontifices, omnes denique chriſtianos tangant: hodierna vero cum humanitas, tum in primis religionis veneratio, privata et noſtra, ut ita dixerim, eſt. Quamobrem nos quoque illi gratiam, utcumque poſsumus, hodierno die referre par eſt. quam ego patrui ac familiæ nomine, quia nihil fortunæ tuæ deeſt, optime dux, quod ſuperſit noſtræ; quoniam factis non poſsum, referam verbis, dicamque de his

quæ

quæ in te ſemper ſumma fuerunt, humanitate, ac religionis veneratione nonnulla, credens atque adeo certo ſciens, hoc genus orationem non tam tibi, qui laudum noſtrarum non indiges, quam his qui circa te dextra lævaque ſunt, patribus, quos tuis laudibus mirifice oblectari intelligo, non fore ingratam; cum præſertim et ſuum cuique judicium, quotiens in te aliquid laudatur, voluptati ſit, quod te ut civium optimum, ſibi ducem elegerint, et quia tota reſpublica unum eſt, quod unum ad ducem veluti aliquid unum, refertur, in tuis laudibus ipſi pariter laudentur. Sed undenam initium ſumam? an a pueritia? ut qua cura ſis a parentibus educatus, ante oculos ponam? at hoc neque neceſse eſt, et quia longa nimium ſeries retro foret petenda, temporis anguſtiæ non permitterent. an ab adoleſcentia? ut quo pacto cum liberalibus ſtudiis operam dares, in te nec ætati natura, nec naturæ diſciplina, neque diſciplinæ exercitatio defuerit, faciam palam? at iſtud, ut nemo aliquid dicat, his qui te talem tantumque conſpicantur, ipſa res indicat. cui enim ſumma rerum pæne omnium cognitio ineſt, in eo quæ ad aſsequendam hujuſcemodi cognitionem pertinent, univerſa fuiſse, magis notum eſt quam ut probari aliter debeat. Miſsa igitur hæc faciamus et perantiqua, et nota; juventamque inſpiciamus, in qua, ut primum per ætatem licuit, vos eum, patres conſcripti, ſuis nitentem virtutibus, veſtris uti primos quoſque magiſtratus gereret, ſuffragiis fulciebatis. Mittebatur Chriſtophorus Maurus ad præturas, præfecturaſque veſtro nomine obeundas, legationes, et bella; in quibus tantam præſeferebat humanitatem; ut ſicubi aliquem veſtri hoſtem nominis reperiſset, eum continuo ad ſe ſe diligendum allectum, vobis et amicum et ſocium faceret: at vero quoſcumque inveniſset amicos, eos non contentus in amicitia retinere, amiciſſimos reddere niteretur. neque ſe aliquid in alterutris egiſse putaret, niſi et quibus *marcida*, ut vulgo ajunt, *jocinora* forent, mentis bonam valitudinem reſtitueret, et qui ſana mente conſtarent, eos uti ne quando in ægritudinem animi laberentur, curaret. Clugia quinque et viginti ab hinc paſsuum millibus diſtans, populoſa quidem civitas eſt; ſed mari, ſtagnis, litore, hortis, paludi-

buſ-

buſque circumſepta, vini perparum, frumenti autem vix tantum colligit quantum toto menſe ſit ſatis. indigenarum pars hortorum cultui, pars ſalinis, pars rei piſcatoriæ, pars maritimæ, nonnulli mercatoriæ operam dabant; et pecuniarum quidem abunde omnibus, ſupra etiam omnium opinionem erat, quod e rebus vilibus quæſtum parvum, ſed crebrum cum facerent, grandia quoque ceterorum lucra, quæ ſemel aut raro proveniunt, facile ſuperabant: frumenti autem nihil erat fere, ut fame interdum omnes periclitarentur. Hujus prætorem gerens Chriſtophorus Maurus, rei frumentariæ curam aggreſſus, non prius deſtitit quam publica impenſa et horreum ædificaretur, et frumenti in ipſum quantum indigenis, et advenis qui plurimi quotidie illuc confluunt, anno toto ſufficeret, comportaretur. Vno eodemque hoc invento humanum ſimul incolis, ſimul advenis ſe oſtendens, et ſalis, olerum, piſcium, patriæ copiam quanta prius fuerat, immo vero etiam quanta prius non fuerat, præbens. Nam neque hortos, ut in eis frumenta ſererentur, deſtruxit, quod mari advehi cum optima tum in primis abundantiſſime poterant: et large præbitis alimentis, uti ſalinas, piſcatoriam, hortoſque ſtudioſius colerent, fecit; quorum nihil inedia homines fatigati queunt. Quod certe factum ſic illi fuit utile civitati, ſic jucundum, ut ſi quando majores eorum, Genuenſium impetus forti invictoque animo ſuſtinuerunt, et omnia digna indignaque pati maluerunt, quam ab amicitia veſtra deſciſcere; eadem profecto, atque adeo graviora et qui tunc aderant, et qui nunc ſunt, tum ſtudioſius, tum conſtantius ſubituri, paſſurique ſint. Quorum enim majores in tanta frumentariæ rei pænuria ita conſtantes fuere, eorum poſteros, qui patribus ut in patrimonio, ſic et in fide ſucceſſerunt, in tanta copia conſtantiſſimos fore dubitat nemo. Accedit vero ad hæc et aliud commodum, quod, ut majus non ſit, certe uſitatius eſt. Cum enim poſt ipſam ſtatim meſſem emta frumenta tum meliora et plura ſint, tum vero pretio quam minimo conſtent: et hæc ipſa per totum annum, ut cuique eſt opus, vendita, ſemper pluris, interdum autem etiam plurimi veneant, tantum ex ea mercatura brevi tempore civitati lucrum pervenit, ut præter pecuniam

quæ

quæ frumento in ſequentem annum emendo neceſſaria eſt, duo interdum nummum aureorum millia ſuperent, quæ ad improviſos ſumtus, quales ubi portum mare perruperit, litusve tempeſtas diuturnior perforaverit, facere neceſſe eſt, apprime neceſſaria ſunt. Nam ſi dum viritim pecunia conferatur exſpectari oporteat (quod ea res ſemper fere tardius fit) perruptis aggeribus, dirutiſque repagulorum contignationibus, latam ſibi mare in interiora ſtagna viam aperiat, quæ nec facile claudi poſſit, et niſi claudatur, civitatem ipſam prius, mox interiores inſulas omnes funditus diruat. Hæc illis dux noſter, qui jam tum ducis optimi officio fungebatur, ſuæ in eos humanitatis monumenta reliquit. Quid enim humanius quam hominem hominum, divitem pauperum, nobilem plebejorum, privatorum prætorem, ut ne fame pereant, aut inundationibus demergantur, curam habere? Sed audite aliud, quæſo, ſimilis quidem humanitatis, verum virtutis amplioris indicium. Bellunenſis civitatis deſignatus prætor, urbem inopia rei frumentariæ laborantem offendit; utpote cui, vel cum optime cederet, ægre paucorum menſium frumenta naſcerentur. Nam regio ipſa tota montoſa eſt, et pecuariæ magis rei quam agriculturæ idonea, quod et nivalis pluribus locis, et nemoroſa, ſaxoſaque vehementer: tum ſicubi plana eſt, in ea quatuor non amplius digitos humus, reliquum glarea occupat, aut paludes, quas intercluſi colliculis fontes efficiunt. Frumentum autem e finitimis regionibus neque pro incolarum numero emi, neque comportari emtum commode poterat. Nam illud partim invidia, partim rei frumentariæ inopia finitimi, hoc autem ſaxoſa, vergentiaque in præceps itinera, ſi præſertim per hiemem comportaretur, vetabant. ob eam rem qui ſteriliora regionis loca incolerent, lacte, atque radicibus carei cum aliquandiu victitaſſent, illis etiam ad extremum deficientibus, aut alio commigrabant, aut fame peribant. Hoc animadvertens Chriſtophorus Maurus, e domo quæ in ea urbe maxima eſſet, horreum fecit, collatiſque viritim pecuniis, frumento per meſſem repleri curavit: tantamque ab eo tempore civitati copiam intulit, ut cum Tarviſino, Patavinoque agro non de fertilitate ſoli, ſed de ea quæ fertilitatem ſequi conſuevit, annonæ abun-

dan-

dantia, perſæpe contenderit; unum illud non ſine grandi omnium admiratione prædicantibus advenis, panem Belluni cum majorem, tum vero meliorem, tantidem a piſtoribus vendi quam vel Tarviſii, vel Patavii. quod quemadmodum mirificam ducis noſtri erga omnes, et eos in primis qui inopia premebantur, humanitatem oſtendit, eodem modo vobis, integerrimi cives, uſui mirifico fuit, quibus ad retinendos in fide ſocios, bonos alioquin, et dignitatis veſtræ maxime ſtudioſos, nihil, præter unum hoc, deerat; ſi verum eſt quod in proverbium uſurpari conſuevit: *fame de ſilva lupum expelli*. Nam et in Genuenſium obſidione, cum majoribus noſtris annonæ pænuria laborantibus, Carolus Zenus claſſis veſtræ imperator onerariam navim quam ceperat, frumento onuſtam intra portum duxiſſet, eo et publice, et privatim gaudio ſuſceptus eſt, ut non majore, confecto bello, rebuſque ex ſententia geſtis, exciperetur. Tantum omnino civitatibus, his præſertim quæ paullo populoſiores exſiſtunt, frumentariæ rei et abundantia prodeſt, et nocet pænuria. Hoc functus magiſtratu, cum Venetias domeſticam inde gloriam portans rediiſſet, Brixiæ, cum populoſæ, tum in primis locupletis urbis, præfectus omnibus ſuffragiis deſignatur; ut civitatem vel frumenti pænuria, vel obſidionis diuturnitate laborantem, retineret in fide. Bellum per id tempus vobis cum Franciſco Sfortia Mediolanenſium duce acerrimum erat, et quemadmodum in ſingulis quibuſque certaminibus evenit, uti nunc ad hos, nunc vero ad illos victoria tranſeat, totam fere planitiem hoſtilis exercitus occupaverat: noſtri intra montes, et munitiſſima quæque loca ſe ſe recipere: ipſa circumjacentium oppidorum caput Brixia obſideri, neque pro multitudine populi alimentorum copiam vel parvam habere: inſtare civibus hinc præſens fames, inde futurarum cædium metus. Ea tamen fuit inter hæc, et alia complura mala humanitas Chriſtophori Mauri, ea in conveniendis omnibus, magnis, parvis, et mediocribus, comitas, ut de civitate dedenda ne unus quidem aliquando cogitaverit, nedum publice, aut private collocuti ſint. Maluerunt quippe tum quæ in aliarum urbium direptionibus fiunt, tum etiam quæ ob ſervatam vobis tanto tempore fidem, ab indignantibus

(ſi

(ſi ita ſuperis placuiſſet) victoribus metuebant, digna, indignaque tolerare, quam præfecti tantæ humanitati non parem gratiam referre. quemadmodum enim *neceſſe eſt multos timeat quem multi timent*, ſicut Laberiano illo carmine legitur qui medio civili bello in theatro dictus, totum in ſe populum, perinde atque ſi publici affectus emiſſa vox eſſet, convertit: eodem modo neceſse erat ut Chriſtophorum Maurum multi amarent, qui ipſe multos amabat; et humani erga illum omnes forent, qui viciſſim erga omnes humaniſſimus habebatur. Quo retinendorum in fide ſociorum modo nullus, mea quidem ſententia, eſse aut honeſtior, aut ſecurior poteſt. Quas enim foſſas, quos muros, quæ propugnacula, quas turres, quas machinas bellicas, digne cum urbicorum benivolentia comparaveris? cum et hi quos vis, metuſve parere compellit, ſi vel tantula conficiendæ rei oblata occaſio eſt, ſe ſe protinus ad rebellionem parent: et quos vel benivolentia in fide, vel humanitas retinet, neque ſi in alterius poteſtatem redigantur, odioſam pati ſervitutem diutius poſſint, et, ſi nulla rebellionis offeratur occaſio, non rebellare tamen vix queant. Quamobrem quanto præſtabiliores ſunt hæ regendorum populorum artes quam illæ, quantoque optabilior eſt voluntaria ſociorum fides quam coacta, tanto aliis quæ vel ante, vel poſt in ea urbe fuerunt, utiliorem, honeſtioremque fuiſse Chriſtophori Mauri præfecturam hanc liquet. Non prætermittam hoc loco præfecturam Caſalis Majoris, parvam ipſam quidem, ſed rebus a Chriſtophoro Mauro humane geſtis ingentem. Si enim umquam alibi, eo potiſſimum tempore quo præfectum gerebat ibi, multa, atque adeo incredibilia humanitatis argumenta præ ſe tulit. Nam cum per id bellum quod vobis adverſum Mediolanenſes erat, viros et rei militaris peritia, et hominum atque pecuniarum multitudine facile potentiſſimos, oppidum defendendum ſuſcepiſset, ac omnia fere per circuitum loca eſse in poteſtate hoſtium cerneret, ea erga indigenas, advenaſque humanitate eſt uſus, ut plus ſibi reique publicæ in illorum benivolentia præſidii collocaverit, quam in exercitu potentiſſimo alius quilibet feciſset: conclamantibus una voce indigenis, veniſse Deo ſimillimum virum, qui omnia tum armis, tum vel maxime

S hu-

humanitate, ac beneficiis vinceret. quod ſecundo bello Punico de P. Scipione Lucejus quidam Celtiberorum princeps, cui ſponſam egregia forma virginem, et inviolatam, et gratis, et cum ſatis magno auri pondere ille reddiderat, prædicaſse identidem legitur. itaque ſicuti eo tempore Lucejus, delectu clientium habito, cum mille quadringentis equitibus intra paucos dies ad Scipionem rediit; ita hi tunc collecta equitum peditumque ingenti manu, Chriſtophorum Maurum, uti hoſtilem exercitum adoriretur, ultro urgebant. tanta illis (utpote qui ab unius virtute omnes eiſdem præditos moribus opinarentur) Venetorum eſse omnium humanitas videbatur. Denique ex illo Veneta res augeri cœpit: Mediolanenſis decreſcere; donec feſſi, crebriſque noſtrorum victoriis fracti, eas demum pacis conditiones accepere quas ſenatui dare pro dignitate reipublicæ placuit. Et hoc ut nulli non gratum fuit, ita humanitati Chriſtophori Mauri in primis acceptum ferri debet; quæ vel ſocios in fide retinuit, vel præſidia quibus vires hoſtium frangerentur, omnium optima comparavit. Pace igitur facta, præfecturam Patavii, qua nullam foris aut utiliorem, aut honorificentiorem dare ſenatus poteſt, ſuſcepit: et in ea tantam præ ſe tulit humanitatem, ut quem ante id tempus ceteros, tunc etiam ſemetipſum vicıſse faterentur. Nam præterquamquod Patavinis viris et opibus, et doctrina, et habitudine corporis inter paucos ſummis, ignota ferme ante illum diem erat præfectorum noſtrorum humanitas, quod ob recentem quorumdam qui adverſus imperium conſpiraverant, vel conjurationem, vel necem, ſimultatis in ceteros (quamquam eos quidem inſontes atque ignaros) nonnihil remanſerat, quæ præfecti humanitatem, quantulacumque fuiſset, magnam videri feciſset: ſtuduit humaniſſimus vir veluti de induſtria, ut qualem eum univerſi prædicabant, talem, immo vero etiam humaniorem Patavini ſentirent, ut amare jam tandem ſolum Venetum nomen inciperent, quod ante vel ſolum timebant, vel certe una cum ſervili quodam metu amabant. Itaque tum ſe primum ſenatus urbis ejus potitum, et ſenſit, et (quod animi grati argumentum eſt) fateri cœpit. Nam animos jam, ſtudia, voluntateſque civium in poteſtatem redegerat, qui

prius

prius corporum ditionem ægre tenebat: tum primum frequentes circa præfectum cives adſtare, comitari, adeſse, ac humanitatis viciſſitudinem quantam maximam poſsent, oſtendere. Tum primum nova quædam lux omnium oculis oriri viſa eſt; et advenæ illi potiſſimum qui ſtudiorum gratia aderant, in lætitiæ partem vocari: tantaque tum publice, tum private omnium voluptas eſse, ut tota pæne civitas deſipere videretur. Nam et apud nos qui legibus ibi, vel philoſophiæ in præſentia operam damus, nihil hodie quoque vel celebrius, vel mirificentius prædicatur. Iam vero ſi legationes ad Eugenium IV. et Nicolaum V. Summos Pontifices, et in eis quo pacto ſimul dignitatis veſtræ rationem habuerit, ſimul de innata ſibi humanitate nihil imminuerit, dicere cupiam, hiſtoria mihi, non oratio, componenda eſt; tantum undique rerum ab eo humane, ac ſapienter geſtarum occurrit. Neque enim (quod pleriſque vitium ineſt) ſic uſquam dignitatis veſtræ rationem habuit, ut eos ad quos mittebatur contemſerit, ſciens ſua quemque in ditione ſibi magnum videri; nedum Summum Pontificem, qui in alienis quoque eſt magnus. Neque rurſus ſi quid ab ſenatu juberetur quod duobus effici modis poſſet, eum aliquando amplexus eſt modum quem jurgia, minæve porrigebant, potius quam eum quem laudes, pollicitationeſque dabant; ſciens, etiam ab his qui ad extrema quæque redacti ſunt, ægre jurgiis miniſve aliquid; contra vero laudibus, atque pollicitationibus etiam ab his qui multo ſuperiores exſiſtunt, facile omnia impetrari ſolere. Neque poſtremo ſi quid illi acerbius reſpondiſſent, verborum potius quam ſententiæ ſenatum certiorem fecit, aut aliquid ipſe ad negotium exaggerandum adjecit; ſciens ex hujuſcemodi cauſſis maxima interdum bella ſuccendi; et dum unum aut alterum verbum æquo animo ferri non poteſt, totam ſimul rempublicam novis ſubinde criminationum cauſſis erumpentibus, unius culpa quaſſari. Atque ob hæc ipſa tantæ apud Summos Pontifices fidei fuit, ut majoris apud ſenatum non fuerit: nihilque umquam popoſcit quod non facillime impetraret. Itaque cum ex his domeſticam gloriam, et publicam utilitatem Venetias rediens reportaret, Deus bone! quanto eum honore ſuſcipiebatis,

tis, quam ſubito, quam repente aut legatione, aut aliis magiſtratibus ornabatis! vix ab labore itineris paullulum reſpiraverat, et rurſum ei uti ſe ſe ad iter accingeret, ſenatus jubebat. Cujus ipſe juſſa (ut qui reipublicæ cauſſa nullos labores non libenter ferret, nullis incommodis ſe ſubtraheret, nulla pericula devitaret) ſummo ſtudio faceſſebat; ſemper illud Scipionis Africani dictum præſeferens : *certum eſſe in cælo ac definitum locum omnibus qui patriam conſervaverint, adjuverint, auxerint, ubi beati ævo ſempiterno fruantur* ; ut facile quivis facere conjecturam potuerit, eum poſt multos labores atque vigilias, urbis hujus ducem futurum. Age vero cum tot foris muneribus publicis fungeretur, num propterea domi civitatis curam neglexit? Minime vero: ſed conſul, cenſor, concilii princeps, ac decemvir ſæpiſſime comitiis creatus ampliſſimis, cum juſtitiam, prudentiam, et eloquentiam, tum vel maxime præcipuam illam omnium virtutum humanitatem exercuit. De quibus ſi tractari ſingulatim oporteat, vereor, patres conſcripti, ne aut mihi tempus non ſuperſit, aut veſtra benignitate plane abutar. video quippe incredibilem mihi laudandi materiam ſuppeditari, laudeſque ſic inter ſe pares, ut a qua potiſſimum principium ſumas, invenire difficillimum ſit. Quid enim? juſtitiamne laudem? quam eo ſemper temperamento exercuit, ut ab omnibus, ſeu ſontes hi forent, ſive inſontes, et ſevere clemens, et clementer ſeverus haberetur. at eam tot jam in rebus tum antea experti eſtis, tum hoc tempore experimini, ut quam res ipſa illuſtrat, noſtra oratione illuſtrari ſupervacaneum ſit. Prudentiamne admirer? qua ita ſemper ad patriæ ſalutem eſt uſus, ut optimos illos reipublicæ gubernatores, P. Lentulum dico, Q. Metellum, P. Africanum, et C. Lælium, omnium judicio facile ſuperaverit: at iſtud in hac præcipue urbe tam clarum eſt quam ſereno ſole meridies. Eloquentiam referam? qua ſic auditorum animos in quamcumque vellet partem ſemper inflexit, ut ſuavitatem Socratis, ſubtilitatem Lyſiæ, acumen Periclis, ſonitum Aeſchinis, vim Demoſthenis aſſecutus putetur: verum hæc cui ſunt nota, ſi vobis non ſunt? qui cum in graviſſimo ſenatorum conſeſſu eum de rebus maximis diſputantem audiretis, percipiebatis,

tis, ut arbitror, magno rebuſpublicis emolumento eſſe egregiam dicendi vim in viro bono collocatam. Nam ſi oratorem non tantum dicendi peritum, ſed virum quoque bonum eſſe oportet, verius Chriſtophorum Maurum oratorem dicemus, quam aut Piſiſtratum, aut Periclem, aut Hegeſiam Cyrenaicum, quorum duo ad rempublicam occupandam abuſi eloquentia ſua ſunt, tertius in ſuam ipſorum necem homines concitavit. Quid dicam hoc loco, patres? extollamne Chriſtophori Mauri humanitatem, an illorum crudelitatem deteſter? illi enim ſervitutem libertati, hic libertatem non ſervituti modo, ſed omnibus etiam rebus præpoſuit: illi ad eam quam appetebant tyrannidem, hic ad privatam vitam: illi ad dominationem, hic ad rempublicam: illi denique ad necem vel ſuam ipſorum, vel alienam, et nefandiſſima quæque, hic ad ſenatuſconſulta legeſque ſervandas cunctos hortatus eſt, invitavit, coëgit. Date mihi, obſecro, veniam, Athenienſes, ut libere vel nunc dicam quæ ſentio: veſtrates tyranni aſtutia; facultate dicendi, ſucceſſibus etiam rerum, ſi vultis, illuſtres fuere, ſed ita ut Chriſtophoro Mauro comparari poſſint nequaquam; nam neque libertati ſervitutem recte quiſpiam comparaverit, et ſi libertatem omnes, ſervitutem prorſus expetit nemo, Chriſtophorum Maurum profecto omnes, tyrannos autem veſtros rite laudaverit nullus. Eſt igitur, ut video, aliquid, æqualitatem amare, mediocritatem virtutis amicam ſequi. Et quemadmodum in conſtructione parietum architecti, lateres, uti ne unus pluſquam alius exſtet, curare conſueverunt; alioquin gibboſa cavernoſave ſtructura appareat; eodem modo in adminiſtratione reipublicæ ſenatores civium, uti ne ante alium ſe ſe alius ponat, rationem habere (alioquin in paucorum potentiam, vel tyrannidem degeneraſſe reſpublica videatur) eſt profecto et quidem tale ac tantum, ut neque reipublicæ ſit quidquam utilius, neque his qui ſic animati ſunt, honorificentius aliquid inveniatur. Nam quo ſe quiſque ad ceterorum æqualitatem redigit magis, hoc eum ceteri, velut in pariete ſummo coronam, exſtare amplius cogunt. Delectus eſt itaque eccleſiæ divi Marci procurator, qui ſupremo proximus in urbe noſtra magiſtratus eſt; in quo tantum præ ſe tulit humanitatis, ut ſi

cu-

curam, ſtudium, diligentiam, quam erga omnes, præcipue autem inopes ſuſtentandos, exercuit, ſingulatim narrare aggrediar, finem profecto dicendi facturus non ſim. Ea quippe rerum ab illo humane ac manſuete geſtarum multitudo ſe offert, ut ornate de illis et copioſe dicendo permulta, laſsari quilibet vel exercitatiſſimus poſſit; finem autem videre nullus poſſit omnino. Et vos longiorem me forſitan quam tempus patitur, arbitramini; ſed ignoſcite, quæſo, patres, ignoſcite. non dicam enim quo pacto teſtamentorum vel ſenatus, vel teſtatorum voluntate ſuæ fidei commiſsorum bona tractaverit, nec dicam quam ſancte cum pauperum, qui maximis quibuſque in civitatibus plurimi ſemper inveniuntur, tum in primis virginum, ut ne quia ſe ſe indotatas aſpicerent, de proſtituenda pudicitia cogitarent, curam ſuſceperit: præteribo illam quam in ſacerdotes, eos præſertim quibus eccleſiæ cujus erat procurator credita fuerant miniſteria, ſemper exercuit liberalitatem mirificam: tacebo et illam quam utilitatis publicæ ſtudioſus in impetranda ab Summo Pontifice toti populo venia peccatorum, adhibuit diligentiam ſingularem; ſed hoc ſolum dicam, tantam illi in dando vultus hilaritatem fuiſse, ut ſi quos ad accipiendum verecundiores offendiſset (quod iis evenire ſolet fere qui ſummo loco nati, non multo ante ad inopiam devenerunt) eos ultro etiam ad petendum alliceret, utpote cum non minoris eam ſe quiſque vel hilaritatem, vel humanitatem facere prædicaret, qua in dando uti ſolebat, etiamſi pauperrimus, etiamſi ab omni urbanitate alieniſſimus foret, quam illud ipſum quod daretur munus. ita prorſus non quid, ſed quonam pacto daretur, cogitare ſumma ſemper illis omnibus voluptas fuit. Quod ſi apud majores noſtros liberalitatis atque humanitatis famam ſenatus populuſque Romanus ideo conſecutus eſt, quia C. Fabricii, Cn. Scipionis, et Manii Curii, civium optime de republica meritorum filias, quibus in parentum bonis nihil eſset ferme, viris dote locaverunt publica; cur non Chriſtophorum Maurum hoc liberalitatis atque humanitatis genere unum Romanis omnibus merito antetulerim? illi enim omnes tribus, non amplius, auxilio fuerunt: hic una cum duobus, quos ei collegas ſenatus adjunxerat,

rat, ut parum dicam, centum. illi nobilibus atque ingenuis: hic plebejis atque humili genere ortis, illi denique ut viris optime de ſe meritis gratiam qualemcumque poſsent, referrent: hic ut innatam ſibi liberalitatem atque humanitatem cum plurimorum commodo exerceret. Et dubitabimus adhuc eum cunctis mortalibus anteponere? cum tot ab eo res liberaliter atque humane geſtas inſpiciamus, tot domi foriſque præclara facinora, tot hujus in quo nunc eſt, Venetæ urbis ducatus argumenta certiſſima. Prodeant nunc Romani, ſi audent, ac oſtendant quem de tot ac tantis viris quos vel ſtatuis vel libris immortales factos dixere, potiſſimum laudent. Romulum dicent, quippe quem urbis habeant conditorem: at hic et ſicarius, et virginum raptor, et quod deterrimum eſt, fratris proprii parricida fuit. Iunium Brutum afferent, nam eo auctore ejecti ſunt reges: verum hic et cum dementiam ſimularet, reipublicæ fuit inutilis, et deſignatus conſul eo in Aruntem Tarquinium animo irruit, ut ſui protegendi corporis, dum hoſtem vulneraret, oblitus, eodem tempore quo hoſtem transfixit, transfixus et ipſe, liberatore urbem privaret. Cajum Cæſarem adducent, cujus virtute Romanæ ditionis factus eſt orbis: ſed Cæſarem dominandi libido, non patriæ pietas bellis immiſcuit. Quanto igitur raptores et parricidæ juſtis ac piis, dementiam ſimulantes et parum cauti ſapientibus atque prudentibus, tyrannidis et dominationis affectatores, reipublicæ libertatiſque ſtudioſis inferiores habentur; tanto Romulo, Bruto, et Cæſare Chriſtophorus Maurus ſuperior et habetur, et revera eſt. Sed quibus ego hæc dico? nempe vobis, qui harum rerum cum teſtes eſsetis, jampridem ſummam ei reipublicæ mandaſsetis, niſi Paſchalis Maripetri, viri inter primores urbis noſtræ facile maximi, vita pacis et quietis plena, ſic fuiſset unicuique veſtrum jucunda, ut quamquam Chriſtophoro Mauro ſumma omnia deberi ſciretis, mutare tamen interim ducem, e re communi eſse non cenſeretis. Deus autem Optimus Maximus, quem cum cetera bona, tum ea in primis quæ pro ſalute multorum geruntur, oblectant, illum quidem ut laborum atque vigiliarum pro ſalute patriæ ſuſceptarum præmium caperet, ad ſuperos tranſtulit: vobis autem

uti

uti hunc habere ducem poſſetis, facultatem dedit. Electus eſt itaque in demortui locum dux Chriſtophorus Maurus ingenti ſenatorum conſenſu, mira patriciorum alacritate, incredibili omnium ordinum ſtudio, celeritate autem tanta, quantam nulla in hujuſcemodi rebus ante hunc diem vidit electio. Neque (ſi me interroget quiſpiam) dicere facile poſſum, plusne mors Paſchalis Maripetri, mœroris, an Chriſtophori Mauri electio, lætitiæ civitati attulerit. quamquam ſcio, complures quibus cum eccleſiæ divi Marci procuratorem gereres, optime dux, tua vel liberalitas, vel humanitas perutilis fuit, ſic de tua electione lætatos, ut idemtidem quod majoribus occupatus negotiis ſibi ultra operam daturus non eſſes, dolerent. Sed licetne mihi hoc loco pauca de patriarcha noſtro dicere? quidni liceat, cum ea in te, omnibuſque ſenatoribus tuis humanitas ſit, ut vel id agere recuſantem ultro coacturi ſitis. Dicam igitur non invitus: tu mihi tantum, patriarcha ſanctiſſime, ne, oro, ſuccenſe, ſi a ducis noſtri laudibus tantiſper, dum de te pauca loquor, diverto; per eum quippe mihi id licet. auſculta igitur quid de te ſentiant Bergomenſes tui. Quo primum die nuntius Bergomum allatus eſt, te Paulli II. Pontificis Maximi voluntate, patriæ tuæ patriarcham deſignatum fuiſſe, tantus continuo patrum, plebis, et ruſticorum tota urbe, ſuburbiis, agroque Bergomenſi mœror ſubortus eſt, tanta lætitia, ut utrum majus foret, ægre diſcerni potuerit. Mœrebant quippe ab ſe te longius abfuturum: dolebant, tuis monitis, tuo aſpectu, tuo patrocinio ſe ſe veluti privatos eſſe: triſtabantur, ſibi te, vel cum optime cederet, de parente patronum, de proprio effici alienum. Contra vero gaudebant, dignum te virtutibus tuis præmium aſſecutum eſſe: lætabantur, pro urbe ſocia caput imperii tibi demandatum fuiſſe: gratulabantur, ex Gallia in Venetiam, ex ea unde oriundus non eſſes urbe, in patriam mitti, ex antiſtite fieri patriarcham. Videbatur mihi (aderam enim forte fortuna) tota civitas triſtis lætitiæ, lætæque triſtitiæ perinde plena atque ſi cum grandi ſuorum ſtrage, victoriæ foret compos effecta. Et quamquam, ſicuti paullo ante dixi, utrum majus fuerit, vix eſſet diſcernere, mihi tamen major triſtitia appare-

re-

rebat, utpote cum nos quoque, quos ob domeſticam gloriam aliter affectos eſse oportebat, quod ab his qui gentem Barrociam plurimi facerent divelli noluiſsemus, in partem triſtitiæ tranſiremus. Sed quorſum hæc? dicat aliquis. quorſum? ut quemadmodum Bergomenſium de epiſcopi ad patriarchatum vocati electione dolor, bene geſti ab eo epiſcopatus argumentum eſt; eodem modo illa quorumdam de tua electione triſtitia, bene geſtum abs te, optime dux, procuratorium magiſtratum probaret. quamquam tibi quidem hæc, ut multo ante, ſic et honorificentius contigere. Cum enim tua te virtus ad eum quem numquam affectaveras, urbis noſtræ ducatum extuliſset, muſsare continuo pauperes, flere pupilli, virgines gemere, viduæ ſe ſe deſtitutas dolere, quidquid poſtremo urbe tota calamitoſum fuit, ſuam vicem plorare: et idemtidem tamen hi omnes vel tua, vel reipublicæ cauſsa lætari majorem in modum. Cum itaque inter hanc eorum et lætitiam, et dolorem, imperii gubernacula ſuſcepiſses, conveniretque tum civium, tum ſociorum multitudo pergrandis, qui tibi ſuo, vel ſuarum urbium nomine gratularentur, parere pollicerentur, ſe ſuaque commendarent; tum tum maxime cernere fuit quanta in te foret humanitas: excipiebas enim eos non ut ducem, aut principem æquum erat, ſed ut fratrem, aut parentem decebat. Gratulabantur; ſibi potius gratularentur dicebas; tibi enim privatam vitam magis placere: parere pollicebantur; non niſi quod e re omnium foret imperaturum te reſpondebas: ſe ſuaque commendabant; tu porro ſingulos in tuam fidem mente oppido quam læta recipiebas, et illis te quantus quantus fores totum dedebas; quippe cum non tibi, ſed aliis natum eſse te diceres. Quid multa? qui tecum ſemel congreſſi fuiſsent, omnes uno ore dicere affabiliorem, manſuetiorem, humaniorem ducem ne ab immortali quidem Deo ſperari, aut optari poſse, nedum eligi ab hominibus potuiſse. Ob eamque rem hi ludis equeſtribus, illi choreis, nonnulli venationibus, alii aliis rebus conceptam lætitiam declarare; totius poſtremo imperii gaudium unum idemque maximum eſse. Verum fortuna humanæ ſecuritatis impatiens, quæ nullum hominibus bonum diu plenum eſse permittit,

belli ſemina quæ jampridem ſata fuerant, erumpere ſub ipſum pæne ducatus tui principium fecit; volens quidem ipſa fortaſſis de innata tibi humanitate, ſi poſset, aliquantulum imminuere, ſed eam (quia et ignem interdum ſi quis aqua reſperſerit, ardere vehementius facit) hac ipſa ratione augens majorem in modum. Cum enim ob inſitas vicinis atque finitimis fere omnibus inimicitias, Tergeſtum, ac Iuſtinopolis de frumenti, deque ceterarum mercium quæ ex Germania veherentur, importatione diſceptarent; illis viam ad ſe pertinere, his contra, mercatores liberos eſse oportere contendentibus; ac novis ſubinde cum mercatores Germani, tum vero amiciſſima tibi civitas afficerentur injuriis, ut ſenatus dignitate ſervata bellum ultra differri non poſset; tu qui omnibus in rebus pacem (quæ tamen ſine publica contumelia foret) ſervandam eſse decreveras, e ſenatuſconſulto literas Tergeſtum mittis, uti ne frumentum, merceſve quas ex Germania mercatores afferrent, quo minus Iuſtinopolim comportarentur, prohiberent. meminiſsent non Caſtellum modo Novum, quod ad cuſtodiendam viam conſtruxerant, ſed ipſam quoque Tergeſtum ad ſenatum Venetum pertinere: neque obliteratam veteris proditionis injuriam (quod non ſine ſuo damno facere poterant) renovarent; alioquin ad ferendam obſidionem ſe ſe tantiſper inſtruerent, dum urbem olim noſtram tuæ rurſus poteſtatis feciſsent. Illi infelices, ut qui ſuis plus quam æquum erat viribus fiderent, inſolenter, atque adeo barbare, nil ſibi tecum eſse negotii reſpondere, ſuis finibus tutandis ſatis ſibi et virium, et armorum eſse, bellum non timere, et, ubi aliter nequeant, ultro etiam inferre audere : obſidionem tanti facere quanti quæ minimi; ſi quis eam tamen attuliſset caſus, pati animis invictis poſse : illis proinde per tuas literas minarere qui meticuloſi eſsent: ſe ſe nec verbis terreri, nec factis vinci conſueſse; et aliis hujuſcemodi, quæ nullius non patientiam irritaſsent. Tu tamen, humaniſſime dux, bellumne illis indiceres dubitabas adhuc: et ne quid manſuetudine tua indignum admitteres, ignorantiæ, atque inſaniæ veniam dabas. Verum illi veluti arrogantia eis ſua profuiſset, magis magiſque audaces fieri, et noſtris in dies eſse magis infenſi. Tum vero

Deum

Deum hominesque teſtatus, te quominus tuis auxilio fores, differre ultra non poſse, ac ipſos ſibi bellum iſtud quæſiſse, Vitalem Landum cum ingenti exercitu terra marique urbem obſidere, ac niſi tertio, quartove ad ſummum die juſsa faceſſant, oppugnare totis viribus jubes. Tuam hoc loco humanitatem, an eorum pertinaciam magis admirer, incertus ſum. Quidquid extra urbem quod aſportari poſset inventum eſt, militibus noſtris in prædam conceſserat: quæ non potuerant aſportari, ferro, igneque vaſtabantur. Vrbs quaquavorſum erat obſeſsa: rei frumentariæ intra eam caritas tanta, ut equos, mures, poſtremo etiam ſcutis detractas pelles plerique comederent. Muri machinis atque tormentis perforabantur, dejiciebantur, ſolo æquabantur: raræ intra eos ædes ruinæ quam injecta noctu ſaxa faciebant, immunes erant. illi tamen Saguntinorum more magis magiſque obſtinata in malum ſuum mente perſtabant. Cum tu interim, manſuetiſſime dux, non illorum inſaniæ, ſed humanitatis tuæ rationem habens, urbem tibi, ſenatuique infeſtiſſimam, poſcentibus, atque adeo flagitantibus iſtud militibus tuis, diripi paſsus non es; ut quod beneficium ſociis noſtris rogati numquam dediſsent, id abs te præter ſpem, præter opinionem, præter meritum, præter etiam voluntatem acciperent. eam quippe apud Deum hominesque victoriam minimum invidiæ habituram ſciebas, quæ humanitatis plurimum habuiſset. Tandem Caſtello-Novo in poteſtatem redacto, deſtructis ſalinis, omnibus fame, belloque conſumtis, cum ſe ſe, urbemque dedere vellent, Pii II. Pontificis Maximi literis exoratus, liberos eſse juſſiſti. irent, rurſumque ſibi deformem ruinis civitatem exſtruerent, ac eam mutato nomine in facti hujus memoriam, *Quatergeſtum* vocarent. Quid mihi nunc aut Romani Q. Metellum, aut Piſiſtratum Athenienſes commemorant? quorum alter, ut ne Terrogeni qui ad eum transfugerat, moleſtus foret, a Centobricæ urbis obſidione diſceſſit: alter, uti Athenienſibus, contra quam Solon volebat, facilius imperaret, Traſippi temulenti convicia modeſtè tulit. quanto utrumque tu, dux humaniſſime, antecellis? quem non ullius bene de te merentis auctoritas, non tyrannidis, a qua ſemper abhorruiſti, libido, ſed religio, ſed humanitas, ſed

communis tibi cum ceteris hominibus naturæ miſeratio, ab infeſtiſſimæ urbis direptione prohibuit. O admirabilem humanitatem, o manſuetudinem ſingularem! in hoſtes Veneti nominis infenſiſſimos, qui nos atque urbem noſtram parvi ſemper feciſsent, ſociis noſtris infenſi fuiſsent, inſidias ſenatui non ſemel, aut raro ſtruxiſsent, nobiliſſimas virgines, perinde atque olim Romani Sabinas, clam portum ingreſſi rapere auſi eſſent; in hos, inquam, hoſtes ſe ſe talem præbere, qualem in filios dicto non audientes vix bonus paterfamilias præbuiſset. Quem tu putas erga ſocios, amicos, cives ſe ſe ille præbebit qui eum ſe præbuit erga hoſtes? qui reos mallet nihil peccaſſe; qui peccatorum ita ſupplicium ſumit, ut crimina perſequatur, non homines; qui cum, et quia ita imperant leges, et quia unius pœna deterreri ſolent permulti, quempiam punire compellitur, lacrimas continere vix poteſt; qui ſi in altero delinquendum eſt, miſericordiæ potius quam crudelitatis reus cupit cenſeri. Quod ſi C. Cæſaris vel humanitatem, vel magnitudinem animi ob hoc in primis facinus memorabilem arbitramur, quod nullius rei facilius quam injuriarum obliviſci ſoleret, cum tamen, ut alia multa, ſic iſtud etiam, quo rempublicam facilius occuparet, ab eo per ſimulationem fieri ſuſpicari poſſimus; multo certe amplius tuam et humanitatem, et magnitudinem animi admirari debemus, Chriſtophore dux, qui neque te ſimulas injuriarum oblitum, et inter ipſas injurias, his etiam a quibus læderis facere bene non ceſsas, quod optimum, atque, ut ita dicam, divinum ultionis eſt genus. Nam injurias quidem obliviſci, vel memoriæ defectus eſt, vel non atroces eas fuiſse oſtendit: at vero et meminiſse, et his etiam qui te graviter læſerint, ultro veniam dare, ac benefacere, miſerentis, ignoſcentis, iraſci neſcientis, atque, ut ſemel dicam, ſe ſe majorem eſse quam ut ab quopiam lædi potuerit, exiſtimantis eſt. Sed quid ego hæc longe, atque aliunde quæſita commemoro? quaſi non ad probandam humanitatem tuam ſatis ſuperque ſit hodiernum officium quod in oculis, quod in ore, quod inter manus eſt. Quanta enim, per immortalem Deum, fuit humanitas, te hac ætate, his occupationibus, hoc reipublicæ principatu, hoc poſtremo anni tempore,

pore, ad uſque Sancti Spiritus fanum cum præclariſſimis ſenatoribus patriarchæ obviam ire? et qui tibi per ætatem filius eſſe potuerat, per pontificale officium ſecundus eſt, per natale ſolum ſubditus erat, eum tamquam parentem, tamquam primum, tamquam dominum venerari, amplecti, deoſculari, Caſtellum uſque deducere? Pruſiæ regi Bithyniæ Romam venienti P. Cornelium Scipionem quæſtorem ab ſenatu populoque Romano obviam miſſum: et legatis Romanorum Pyrrhum Epirotarum regem honoris gratia extra portam occurriſſe, accepimus. At non tam parva hodierna humanitas tua; ſiquidem et quæſtorem duci, ei præſertim ad quem ſumma referatur imperii, recte comparaverit nemo: et plurimum intereſt, ab ſenatu obviam mitti, atque ab duce ſenatum, ac totam ſimul civitatem obviam duci. Iam vero regi quæſtorem occurrere, hoc eſt quod paſſim fieri conſuevit, quod omnes faciunt, quod non facere grandis eſt culpa; qui enim, niſi minores, majoribus excipiendis mittuntur? at patriarchæ ut dux cum ſenatu ac tota ſimul civitate obviam eat, neque paſſim fit, neque ab omnibus uſurpatur, neque non facere culpa eſt ulla; quippe cum minori majores occurrere conſuetudo non ſit. Quod porro legatis Romanorum Pyrrhus occurrerit (quamquam ille quidem lucri captandi gratia iſtud fecit) minus eſt quam ut hodiernæ humanitati tuæ mereatur conferri; utpote cum ille in caſtris conſtitutus hoc fecerit, ubi omnia in procinctu, omnia tumultuaria, omnia ad profectionem parata: tu in urbe maximis ſemper occupatus in rebus, ubi omnia tranquilla, omnia ordinata, omnia ſtata, atque ſtabilia. Vt autem horum ſit nihil; nonne hoc, quod hac ætate obviam ei progreſſus es, cum illi in medio juventutis flore id egerint, multo te illis humaniorem oſtendit? nam juvenes etiam ſi ab nemine mittantur, ſpatiatum ire, et quidem ſæpe, ac perlibenter conſueverunt: ſenibus vero, qualis tu es, domo egredi, ut tormentum nullum ſit, certe voluptas perexigua eſt. Neque nego (quamquam hoc quidem libentius prætermitterem, videor quippe mihi de memet ipſo loqui, cum de patruo loquor) tamen quoniam id ita inter dicendum occurrit, non, inquam, nego, patriarcham tuum, meum, immo vero veſtrum, mul-

tis

tis et magnis laboribus pro patriæ, proque chriſtianæ fidei dignitate ſuſceptis, fortaſſe promeritum ut vel tantulam ei gratiam haberetis. Nam et in eo bello quod adverſus Franciſcum Sfortiam Mediolani ducem gerebamus, neque conſiliis, neque pecuniæ umquam pepercit, quo minus Bergomenſibus omnium ſociorum noſtrorum fidiſſimis auxilio foret; et ſuperiore anno cum in Turcos, Veneti, atque adeo totius nominis chriſtiani acerrimos hoſtes, claſsem inſtrueremus, tum impenſæ, tum vel maxime omnium ſimul belli, ſimul maris periculorum ſe ſocium obtulit. Sed tanta plane fuit humanitas tua, ut gratiam ei quam habuiſse ſat erat, etiam retuliſse te cumulatiſſime videamus. Quocirca æquum erat, tibi me meo, ac familiæ nomine gratias quantas homo gratiſſimus, et beneficiorum acceptorum maxime memor optime de ſe merenti viro poteſt, habere, atque agere: referre vero neque nos poteramus, neque tu, cujus, uti ſupra dixi, fortunæ nihil deeſt quod ſuperſit noſtræ, hujuſcemodi viciſſitudinis indigebas. quia tamen non, ſi quis quantas debet, referre non poteſt, continuo et referre nullas debet: ejus quam poteram (uti orationis initio pollicitus ſum) prædicatione humanitatis qua omnes omnino homines antecellis, hactenus dimidium retuli; quod ſupereſt dimidium, prædicatione venerationis religionis, quæ in te non minor eſt, deinceps referre aggrediar. Vos interim, patres conſcripti, humanitatem partim veſtram ſecuti, partim Chriſtophori ducis imitati, attentas mihi aures præbeatis velim, et quem virum cum ob reliquas virtutes, tum vel maxime ob religionis venerationem mirificam, vobis ducem elegiſtis, eum virum a me laudari æquo animo permittatis, ut idemtidem et judicium de ipſo veſtrum laudetur, et a me gratiæ, quam ſolam poſsum, dimidium ei alterum referatur. Omittam autem, ut ne quis longiorem me fore ſuſpicetur, quo pacto adhuc puer ad venerationem religionis fuerit animatus, et cum eccleſias, earumque miniſtros ſacerdotes, tum in primis ſeptuaginta illas ſanctorum corporum reliquias ex barbaris nationibus in hanc urbem a majoribus noſtris advectas, veneratus ſit. Non dicam quam aſſidue jam grandior factus, vel divinis officiis in eccleſia interfuerit, vel ea ipſe domi

ma-

manens more ſacerdotis optimi dixerit. Prætermittam etiam; ubi de rebus ad Dei cultum pertinentibus vel in ſenatu, vel in foro quippiam diſputatum eſt, quam ſancte, atque intrepide res divinas defenderit: tacebo, quo erga infirmos animo, qua in redimendis captivis mente, quo denique erga omnes eſurientes, ſitientes, nudos, et peregrinos ſtudio fuerit; ut Trajano, Gratianove, qui hoc miſerationis genere omnes retro Imperatores vicerunt, inferior judicari non debeat. Ab illo incipiam quod ſimul ingentem in eo religionis venerationem fuiſse oſtendit, ſimul ducatus ei omen certiſſimum fuit. Cum enim beati Iob fanum, et quod fano adjacet monaſterium, ob ſummam quæ fratribus ibi miniſtrantibus erat omnium rerum inopiam, neque conſtrui, ſicut par erat, neque, ſi non conſtrueretur, commodum præbere fratribus domicilium poſset: ut quæ calamitas beati Iob domui cum in terris eſset, acciderat, eadem fere in cælo poſito accidiſse denuo videretur: tu, Chriſtophore pientiſſime, rationem iniſti qua cum ingenti omnium utilitate, ſumma repente rerum abundantia potirentur. Literas quippe a Pio II. Pontifice Maximo impetraſti, quibus omnes qui certo anni tempore peccatis pœnitudine atque confeſſione deletis, fanum, quantum quiſque ad eam rem poſset pecuniæ collaturi, ingrederentur, pœnam quam pro illis luituri fuerant, ſibi condonatam iri, facti ſunt certiores. quod liberalitatis genus non niſi a Pontifice Maximo, neque ab eo ſæpe, aut in quoſcumque, vel quacumque de cauſſa exercetur. Vt primum igitur certi de hac re nuntii perlati ſunt, atque tantus repente, non eorum modo qui urbem, et circumjacentes inſulas habitant, indigenarum, advenarumque, verum omnium circa regionum ab uſque Ancone, Bononia, Mediolanoque Venetias commeantium concurſus eſt factus; tanta conferendi quantum quiſque poſset aviditas; tantus brevi tempore donorum pretioſiſſimorum theſaurus, ut neque majorem in eum uſque diem urbs hæc frequentiam viderit, et (quod in Exodo antea factum legimus) artifices venire compulſi, præfectis operis dixerint: *Plus offert populus quam neceſſarium eſt*. Ita veluti tranſacta ærumna priore, duplicia beato Iob omnia contigerunt; ſeu templum, ſeu monaſterium,

ſeu

ſeu veſtes ſacras, ſive miniſtrantium in eis fratrum numerum ſpectes. quod, ob ædificationem ornatumque ſimul templi, ſimul etiam monaſterii, an vero ob eam quam tot hominum millia conſecuti ſunt veniam peccatorum, venerari te magis religionem oſtendat, necdum ſtatui: utrumque certe hujus rei argumentum optimum eſt. Nam templorum atque monaſteriorum curam habere non niſi religionis apprime ſtudioſi ſolent: curam vero ut a Deo in gratiam tot hominum millia recipiantur, gerere, ut majus non ſit, certe religionis veneratione non caret. Sed inter hæc propemodum dicere oblitus eram hoc quod ducatus tibi omen fuiſſe, ſuperius dixi. nam cum in his de quibus paullo ante mentionem feci, Summi Pontificis literis ſcriberetur, hoc eum te ut fieret interpellante feciſſe; ubi ad te ventum eſt, *Nobilem* appellavit, qua nobilitatis dignatione nonniſi principes proſequi Summus Pontifex conſuevit; ut jam tum fore te urbis noſtræ ducem, qui hunc Summi Pontificis morem noſsent, vaticinari inciperent. Verum uti ad id unde digreſsus ſum redeam, ſi Marinum Maurum, qui ſanctiſſimum divæ Helenæ corpus in hanc urbem advexit, et xenodochium ingenti donatum pecunia, Miſericordiæ conſecravit, majores noſtri, quod religionem mirifice veneraretur, admirati ſunt, et eſse inter urbis noſtræ optimates facile principem cenſuerunt; quid cauſsæ eſt cur de te qui ejus veſtigia proſecutus, beatiſſimi Iob non corpus, ſed veluti domum, atque adeo cum fortunis, et domeſtica ſupellectili familiam totam in hanc urbem duxiſti, non idem nos et ſentiamus, et cum quadam animi gratitudine prædicemus? cum præſertim plus tu in aliena pecunia conquirenda liberalitatis exercueris, quam impendenda ſua ille. ſiquidem quæ animis comparantur bona, qualia per te comparata ſunt, corporis et fortunæ bonis longe præſtabiliora exſiſtunt. Nam Romulum, et Marcellum hoc munificentiæ genere tibi ne comparandos quidem crediderim; quamquam alter ſub ipſa urbis initia ſupremæ internecionis metu, templum Iovi Statori voviſse: alter quintum conſulatum gerens Honori atque Virtuti templum quod voverat exſtructurus, pontificum monitu duo conſtruxiſse templa dicatur. Multum quippe intereſt, metu, quemadmodum Romulus,

an,

an, quemadmodum tu, amore aliquid faciam: rurſumque ob acceptum e cælo beneficium quamdam veluti gratiam ſuperis referam, an nullo (quod quidem egregium, et non commune omnibus videatur) beneficio accepto, ipſos tamen quodam veluti beneficio provocem: denique voti reus, an liber id agam. Sed ne iſtud quidem non religioſiſſimum fuit quod cum divo Bernardino, inter eos quos *Minores* appellant *Fratres* religionem profeſſo, magno alioquin et præſtanti viro, tanta tibi familiaritas fuit, ut major cum nullo alio mortalium fuerit. Quem virum, bone Deus, ita ſemper beneficiis proſecutus es, ut ſeu quod eam in te mentis integritatem aſpiceret, quam ad ducatum aſcendere oporteret, ſive quod gratiam eo tibi præſagio referendam putaret (quemadmodum et a compluribus audivi, et literis ipſe mandatum legi) tibi non per ænigmata, aut verborum involucra, ſed aperte, atque ita ut ab omnibus intelligi poſſet, te urbis tuæ ducem fore prædixerit. cui tu inter ſanctos poſtea collocato, in hoc de quo paullo ante locuti ſumus templo, aram exſtrui curaſti, uti communicato conſilio ipſe ac beatiſſimus Iob pro te quotidie communem precarentur Deum. Prædixit ille, Deus omen firmavit. Chriſtiani principes, quod quo tempore fidei chriſtianæ ab Turcis grande timeretur bellum, dux religioſiſſimus creatus foret, omnes per literas gratulati ſunt: Senæ, Luca, Peruſium, Ancon, Florentia, Bononia: tum Iacobus Armeniæ rex, Bohemiæ rex Georgius, rex Siciliæ Ferdinandus, Matthias Pannoniæ rex, multi denique alii literas ad te humanitatis, atque officii plenas dedere. denique et ſacer ille Cardinalium ſenatus, cui tota chriſtianæ religionis cura incumbit, per epiſtolas, quas ſinguli quique ſcripſere, majorem in modum gratulatus eſt. tanta prorſus de ea quæ in te ferebatur religionis veneratione, opinio omnium animos occupaverat. Nam Venetos, cum ante Apoſtolicæ ſedis, et religionis chriſtianæ propugnatores fuiſſe Sebaſtiano Ziano duce Fredericus Imperator cognomento *Barbaroſſa*, et Petro Lauredano claſſis noſtræ præfecto Cyris Ottomannus Turcorum tyrannus, victi, fugatique teſtimonio fuerunt; tum vel maxime, Chriſtophoro Mauro duce, fore, ſimul Mahomethes Turcorum tyrannus timebat, ſi-

mul Pius II. Pontifex Summus ſperabat. Nam et ille quæ ad defenſionem neceſsaria forent ingenti ſtudio comparabat, et hic per ternas literas prius, deinde (quæ res in eum uſque diem audita non fuerat) per Theodorum Feltrenſem, et Ludovicum Donatum Bellunenſem pontifices, Apoſtolicæ ſedis legatos, conteſtatus eſt, cum alias Turcorum delendorum ſpem in Venetorum claſse collocatam fuiſse, tum in primis Chriſtophoro Mauro duce: quem eo nomine Deus Optimus Maximus appellari voluiſset, quod partim ob mirificam religionis venerationem, partim ob animum Turcorum cladibus natum, Chriſtum humeris laturus eſset: multo ipſe quidem ſanctius, multoque laudabilius eo quem ſubiiſse humeris confectum ætate parentem, Virgilius auctor eſt. Neque vero ſe fruſtra de te ſibi talia promiſiſse quiſpiam doluit. Flagrabant jam tum bellorum incendia: Turci, dum quæ ad defenſionem neceſsaria ſunt omni ſtudio comparant, bellum chriſtianis velle inferre videbantur; fieri enim ſolet fere ut qui alteri damnum illaturus eſt, quia ut ne ſibi ille viciſſim damnum inferat, timet, ſe ſuaque prius diligentiſſime muniat. Ab quo autem chriſtianorum inciperent, non videbatur. Venetos tantum, atque Pannonios, quod alteri mari, alteri terra potentiſſimi eſſent, non niſi cum eorum qui virium minus haberent, potiti forent, invaſuri judicabantur. Ecce tibi autem Pannoniæ citerioris regem perfidorum fidei ſe ſe credentem incautius, per proditionem captum cum exercitu circumducunt; caſtella, civitates, et munitiſſima quæque regionis loca tyranno tradere cogunt. Stephani ducis Myſiæ filius novarum ſtudio rerum tranſiſſe nuntiatur ad Turcos. Epidaurum præ nimio adventantis jam jamque exercitus metu, ante ſonum tubæ, pacis conditionem accipit. Ipſi fortuna ſecunda uſi, Iadram urbem inter nominis Veneti ſtudioſas facile principem oppugnaturi, haud procul ab ea caſtra metantur. Agricolæ fugere, uxores, liberos, pecus intra urbem agere: fama chriſtianis internecionem minari. Quid tu ad hæc autem, quid, rogo, egiſti? Num te Turcorum vel fama, vel recentes grandeſque victoriæ terruerunt? num cum ceteris conſternatum, aut conſilii civitas inopem vidit? num (quod in ſummis reipublicæ calamitatibus evenit) majorum quiſ-

quiſpiam, quaſi ad tantum apparatum minus idonei præſentes forent, deſideratus eſt? O religioſam principis mentem! o animum ducis invictum! tantum abfuit ut terrereris, uti tum primum adeſſe dixeris tempus quo de Turcorum exitio ſperari optime poſset: ſiquidem ante vel patriæ amor, vel religionis cura, vel (ut hæc ita ſe habuerint) utrumque: nunc vero etiam cervicibus imminens gladius fortes atque audentes nos faceret, neceſse eſse, minimoque periculo vincere qui et terga dare neſcirent, et deſperatione proxima nullum periculum formidarent. Mittuntur itaque ex ſenatuſconſulto qui Iadram muniant, et Turcis ad nos terra acceſsum vetent. Tum Ludovico Lauredano cum quinque et triginta navibus longis in Achajam trajiciendi, Iſthmique muro firmandi, ac hoſtibus in Peloponneſum tranſitum claudendi cura mandatur. Ad hæc Bertholdum Eſtenſem cum ingenti peditum atque equitum manu in Peloponneſum navigare, ac Tegeen, Spartam, Argos, Corinthum, omnes poſtremo quas in peninſula Turci occupaſsent urbes, oppugnare jubes: tam conſulte, tam cito, ut neque in conſilio conficiendi celeritatem, neque in celeritate conficiendi conſilium quiſquam deſideraverit. Denique crebris eorum qui in Peloponneſi urbibus obſidebantur, oppugnabantur, expugnabantur, literis, nuntiiſque revocatus ille, citerioris Pannoniæ, atque Epidauri victor Mahomethes, Iadram re infecta dimiſit, et magnis itineribus, multis ſuorum amiſſis, in Aſiam reverſus eſt; ut non præclarius P. Scipionis Africani (quamquam illum quidem defendat antiquitas) fuerit factum, cum trajecto in Africam exercitu, igne, ferroque agrum Carthaginienſium depopulatus, revocari Hannibalem compulit. Quandoquidem et Scipionem patriæ amor, te vero etiam religionis, quam ea ratione ſervari ſciebas, veneratio, hoc inire conſilium fecit; et deleta multis cladibus Italia, ille utili quidem ſed ſero, tu autem nullo tuorum amiſso, opportuno ac tempori in primis accomodato conſilio uſus es: cui fortuna, quæ in bellis plurimum poteſt, ſic affuit, ut ad victoriam, prædamque, non ad bellum trajectus exercitus videretur. Teſtes ſunt Argi, potentiſſima quondam civitas, ſolo æquata; teſtis Arcadia, quæ fidei noſtræ ſe credidit; teſtis Lemnos, quæ Lu-

dovici Lauredani ductu, Turcis Aegæo mari immerſis, imperio Veneto adjuncta eſt; teſtis Lesbos, et Mitylene, quas, Vrſato Iuſtiniano tuæ claſſis præfecto, noſtri diripiendas accepere; teſtes Spartani, quos Sigiſmundus Malateſta terreſtris exercitus ductor, in poteſtatem redegit; teſtes mille Turcorum duces, mille cunei, mille exercitus terra marique ſuperati, profligati deleti, et capri. Dic nunc Ionium tentent, dic ab Euxino in Aegæum navigent, dic triremibus noſtris ſe oſtendant: næ illi ſi vexilla tantum veſtra conſpexerint, pavore conſternati ſe ſe abſcondent: tantus omnes fortitudinis, atque prudentiæ Chriſtophori ducis terror invaſit. Quid enim? non timeant pavidæ atque imbelles pecudes validum et audentem leonem? divum Marcum dico, qui ut myſtice leonis forma depingitur, ſic in urbis noſtræ contra hoſtes barbaros defenſione ſe ſe leonem, et quidem alatum, oſtendit, Chriſtophoro Mauro duce potiſſimum, qui et templi ejus curam procurator geſſit, ut gratiam ei ob diligenter adminiſtratum principatum referri hoc etiam modo oporteat, et religionis veneratione, quam ſemper maximam habuit, optime non de divo Marco tantum, ſed de omnibus etiam ſuperis meritus eſt. Et quidem leoni huic noſtro beato Marco Evangeliſtæ Chriſtophorus Maurus, tamquam leo alius et ipſe noſter, in gerendis rebus adjungitur: tanto ſe ſe animo periculis ingerit, tam terga dare vel in ſummo diſcrimine ignominioſum putat: parcere ſubjectis, et debellare ſuperbos ſic novit. Neque enim vel apud Athenienſes Iphicratem, vel apud Romanos P. Scipionem, vel apud Epirotas Pyrrhum, quos gerendis rebus præſtantiſſimos fuiſse commemorant, præſtantiores fuiſse crediderim, quam apud Venetos eſt Chriſtophorus Maurus; cujus in principatu illud Chabriæ Athenienſis dictum multis et magnis in rebus verum eſse compertum eſt: *Plus poſſe in bello cervorum exercitum duce leone, quam leonum cervo ductore*. Neque vero ſi me interroget quiſpiam, Turcos armis tantum fugatos crediderim; quamquam hæc quidem in bello inſtrumenta præcipua ſint: neque rurſus viribus tantum; quamquam iis maxime victoria reportetur: neque conſiliis ſolum; quamquam totius in eis belli ſumma conſiſtat: neque poſtremo his omni-

omnibus ſimul; quamquam hoc amplius proſint, quo magis inter ſe juncta ſunt: ſed Deum Optimum Maximum, cui tam boni placent quam diſplicent mali, pro cujus eccleſia bellum hoc tanto ſtudio ſuſceptum fuit, Deum, inquam, Optimum Maximum cauſsæ ſuæ affuiſse putaverim. Venetis quippe (quod ipſe potius in Turcos convertat) Dalmatia expulſis, quod ultra vel religionis domicilium, vel fidei ſcutum, vel eccleſiæ Romanæ propugnaculum in terris foret? Irent profecto Turci quacumque ferret voluntas, cæde, flammis, ruinis vaſtarent Italiam, pontificium ordinem peſsumdarent, aras, monaſteria, et templa deſtruerent, ſacerdotes cum reliquis templorum miniſtris jugularent, vaſa Deo ſacra diriperent, ſanctorum reliquias de ſepulcris marmoreis in cloacas et ſterquilinia jacerent, dicatas Deo virgines violarent, crucem, Chriſtumque negare chriſtianos compellerent: nihil poſtremo reperiretur tam fœdum quod non in nos noſtraque auderent. Hæc illos facturos Deus Optimus Maximus averſatus, ſuam tutatus eſt cauſsam, et armis, viribus, atque conſiliis tuis ſe ſe ita conjunxit, ut ex his quæ hactenus geſta ſunt conjecturam facere liceat, eos non Europa ſolum, ſed tota prorſus Aſia tuo ductu pellendos. Quid enim putas ſenatoribus tuis animi eſt, cum tu et ſenex, et emeritus talem te in eos oſtendas? Pius II. Pontifex Maximus bellum jam pridem eis indicturum ſe voverat: tu voti memor eſſet, hortabaris. pecuniam comparabat; tu claſſem inſtruebas. magna pollicebatur; tu re ipſa, non verbis, quanti rempublicam chriſtianam faceres, oſtendebas. Quid multa? principes, duces, reges oppidorum, civitatum, provinciarum, terra, marive in Turcos hi ſe ſe ituros pollicebantur, illi exercitum miſſuros, alii pecuniam daturos: ſolus tu, parva cum pollicerere, factis pollicitationes omnium ſuperaſti. illis quippe triremes, iſtis pecuniam, annonam aliis, quibuſdam dabas trajectum: denique, cum omnibus omnia ſupra etiam quam petiſsent, dediſses, nequid tuæ huic vel liberalitati, vel religionis venerationi deeſset, inſuper et temetipſum dediſti. Literis quippe Summi Pontificis invitatus uti navigationi, belloque intereſses, non ætatem cauſsatus es, non negotia, quæ plurima tibi quotidie, utpote in quo rerum ſumma

ma verſatur, ſcaturiunt; non maris, aut tempeſtatum repentinos caſus, non laborem, non ſumtum; quo minus Anconem Piceni urbem cum ingenti longarum navium apparatu trajiceres; inde acceptis cum Pontifice Cardinalibus ſoluturus in Turcos. Verum (ut ſunt rerum humanarum caſus incerti) Pium Pontificem Maximum (erat quippe et valetudinarius, et ſenex) mortuum offendiſti. Neque tamen, quamquam ſurrogandi in demortui locum Pontificis cura Cardinales urgeret, minus ab eis honorifice ſuſceptus es: ſed qui tecum erant ſenatores, equis purpura inſtratis, tu aſturcone candido, quod victoriæ ſimul præteritæ præmium, ſimul futuræ oſtentum fuit, oſtro inſtrato, habenis, frenoque aureo, inter duos Cardinales medius cum ingenti procerum, abbatum, protonotariorum, epiſcoporum, archiepiſcoporum comitatu in conſiſtorium honorificentiſſime deductus es: ubi cum ſenatus in defendenda Chriſti religione ſtudium, et belli quod adverſum Turcos inſtruebatur, ineundi rationem, gravi ornataque oratione expoſuiſses, ab Cardinalibus, qui primum omnium gratias tibi eccleſiæ Romanæ verbis egere, laudatus, cunctis quæ forte aderant, biremibus uti erant inſtructis, honoris gratia donatus es. Tantumque omnibus (etiam ſi quos bellorum a majoribus noſtris geſtorum invidia ſtimulabat) fuit jucundum officium tuum, ut dicere audeam, ex multis magniſque cauſſis quæ Cardinales ad id peragendum movebant, hanc unam fuiſse, uti ex urbe tua potiſſimum ex ordine ſenatorio, ex optimatibus civitatis, Petrum Barbum, Cardinalem ſancti Marci, qui poſtea Paullus II. vocatus eſt, Pontificem Summum deligerent; virum alioquin optimum, et omni virtutis genere præditum. Cum itaque ad portum deductus, tu aſcendiſses biremem, illi Romam deligendi Pontificis gratia rediiſsent, novum tibi conſilium repente ineundum fuit. Quos enim Pontifex in Turcos navigare compulerat, ii, ablato e vivis Pontifice, ſolutos ſe ſponſione putare: nonnulli qui ſimulata mente, ſi tu navigaſses, ſe ſe navigaturos promiſerant (neque enim fieri poſse arbitrabantur, ut hac ætate navigares) poſtquam te claſsem aſcendiſse reſciverunt, alias tandem excuſationes confingere, totum denique belli pondus, quod omnibus ſimul chriſtianis videbatur grave,

in

in tuis unius humeris ſini. Sed enim ea in te ſemper veneratio religionis fuit, ut graviſſima quæque pro chriſtiana religione ſubeuntem vita citius deſeruiſset quam fides. Vtpote cum et antea oſtendiſses, Venetos pluris facere religionem quam ſalutem, et eo tempore diceres, amiſsa religione, homini vitam nihil prodeſse. Subiiſti ergo, totumque belli pondus recta cervice portaſti; et Turcos qui paullo ante ſuis finibus non contenti, alienos invaſerant, ita intra Aſiam concluſiſti, ut dicere inter ſe ſe potuerint, chriſtianos omnes vicimus, a Chriſtophoro Mauro victi ſumus. Quis enim labantem Chriſti fidem firmavit? Chriſtophorus. quis dejectas Pontificum mentes erexit? Chriſtophorus. quis terra, mari, pace, bello, domi, foriſque religionem adjuvit? Chriſtophorus. cujus hoc ſemper laudabilius et Deo gratius officium fuit, quo periculoſius atque laborioſius. Verum enimvero cum et a bello Turcis inferendo ceteri, quemadmodum paullo ſuperius dixi, retraxiſſent pedem; et ipſe quæ ad id neceſſaria erant, mira celeritate paraſſes, Venetias exſpectatus et quidem vehementer reverteris, ut inde tantiſper dum Pontifex novus eligitur, ſi quid in Italia accidiſſet novi, velut ex quadam imperii arce, toti potius reipublicæ, vel religioni, quam huic, illive ejus parti adeſſes; et religionis venerationem, quæ tecum ab infantia creverat, tuos potiſſimum cives doceres. Etenim ejus quem omnium ora, oculique contuentur, vita religioſa, populis religioſe vivendi documentum eſt quoddam. Quid porro egeris, quæ venerationis religionis exempla edideris, quam innocenter, quam pie, quam ſancte vixeris, ſingulatim exponere neque hujus temporis eſt, neque loci. Et me finem dicendi facere vel ſola omnium veſtrum attentio, qua ſatis ſuperque hactenus abuſus ſum, cogit. Quocirca hæc quæ in medio ſunt, quodam veluti ſaltu tranſiliens, ad eam qua hodie in patriarcha excipiendo es uſus, venerationem religionis accedo. Neque enim ſi hoc ipſum ſupra humanitati tuæ tribuimus, continuo venerationi religionis idem tribui nefas eſt: cum præſertim et proxima humanitati religionis veneratio ſit, et eadem ſæpe res, quemadmodum ſolis ſplendor, ſic ab uno vindicetur tota, ut plurium idemtidem tota eſſe

non

non deſinat. Quid te autem ut patriarchæ occurreres, fecit? Nempe ſi quod minori major obviam profectus es, ſpectem, humanitati ſoli tribuendum crediderim: ſin vero quod majori minor, ipſe quidem ſoli religioni hoc factum adſcripſerim. Sed contrahent fortaſſis frontem nonnulli, et minorem patriarcha ducem nullo genere dici patientur. Audiant ergo, ſi quos hoc movet, quomodo patriarcha ducem minorem intelligam. Omnis bene inſtitutæ reipublicæ gubernatio bifariam dividi ſolet. et quemadmodum anima et corpore ſinguli quique conſtamus, eodem modo peculiarem, una animarum, alia corporum curam gerit. animas porro corporibus præſtantiores, rurſuſque patriarchæ animarum, duci corporum curam eſſe, magis notum eſt quam ut multis probari oporteat. Qui ergo hæc mente pertractans patriarchæ obviam proficiſcitur, non jam honores, aut ætatem, aut divitias, aut poteſtatem, quæ bona fortunæ ſunt, intuetur; ſed facta, ſed dicta, ſed cogitata prava, rectave, quæ animam vel pauperem facere ſolent, vel divitem. et quia nullus in hac vita, præcipue autem imperio præditus, peccatorum eorum ſaltem quæ quotidiana, et venialia vocant, ita ſe novit expertem, ut (contra quam monet Ioannes Apoſtolus) dicere de ſe audeat, quod peccatum non habet: hæc autem ipſa peccata ſacerdoti fatenda, et pro ipſis Deo ſacerdotis arbitrio ſatisfaciendum intelligit, conſequens eſt ut patriarchæ qui ſacerdotum princeps et dicitur, et revera eſt, non minorem modo, ſed et ſubditum ſe ſe agnoſcat, quiſquis ejuſmodi eſt. Hoc autem non hominis gratia fieri manifeſtum eſt, ſed Dei, cujus ille locum tenet in terris. quod ſi Dei: ergo ad religionis venerationem referendum eſſe jam ſcimus, quod fit. Si quis autem eum, quod mirificam ſemper innocentiæ curam habuerit, etiam quotidianis et venialibus expertem contenderit; ut ne hoc illi negemus, aut putaſſe Chriſtophorum Maurum dico, ſe hoc genus peccatis teneri, quod culpam timere ubi culpa nulla ſit, bonæ mentis vir conſueverit, aut ſi hoc quoque in controverſiam deducatur, voluiſſe, Deum, cujus religionem ſemper mirifice veneratus eſt, in patriarcha ejus excipere. Si enim verum eſt quod apud Evangeliſtam Lucam diſcipulis ſuis dixit homo

Deus:

Deus: *qui vos ſpernit, me ſpernit, et qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit*, ut certe verum eſt, conſequens etiam videtur ut qui patriarcham ex eorum qui diſcipulis ſucceſſere numero unum honorat, hominem Deum honoret, et qui hominem Deum honorat, illum quoque honoret a quo miſſus eſt, omnipotentem hominis Dei Patrem. Itaque ſeu hoc genus peccatis obnoxium ducem noſtrum dicamus, ſive immunem, ſeu falſo ſe illis obvolutum putaſſe, ſive non; ex hodierno in patriarcham officio ſatis ſuperque notum eſt, eum religionis venerationem quam ab ineunte uſque pueritia didicit, hoc potiſſimum argumento maximam atque mirificam oſtendiſse. Neque inficias eo, eſse item alia, et hæc ad venerationem religionis pertinentia, quæ ipſum uti patriarchæ obviam iret, invitare potuerunt. Nam Bergomum quo tanto tempore bellum cum Franciſco Sfortia Mediolanenſium duce gerebamus, antiſtes tutatus eſt; cum dictis atque conſiliis, nonnumquam vero et ſumtu, tum vel maxime precibus, ut non aliter in ejus domo de ſalute reipublicæ conſilia a prætore præfectoque, et primis quibuſque civitatis inirentur, quam ſi apud eum imperii ſumma fuiſset. Pace autem facta, ſic ad urbem ornandam animum adjecit, ut et forum coctis conſtratum lateribus, et porticus, quæ nulla diei hora non obſcuriſſimæ erant, dirutæ, et ædes ſimul publicæ, ſimul privatæ, illæ potiſſimum ubi Pontificis domicilium fuit, in cælum erectæ, et templa partim vetera, partim ruinoſa, ea elegantia conſtructa, ut neque ornatum in eis deſideres, neque commoditatem, eo auctore fuerunt. inter hæc, ipſo ſingulos quoſque ex ornatu civitatis, ut Paullus Apoſtolus Hebræis ait, non permanentis, quem admirabantur, ad futuræ, quæ longe admirabilior eſt, deſiderandum ornatum, animante; quod utrum animabus, an corporibus utilius fuerit, vos videritis. Et qui ob hæc vel omnia vel ſingula honore aliquem afficit, quomodo Chriſtophorus dux hodie patriarcham affecit, religionis venerationem, haud dubium, præ ſe fert ſingularem. Sed hæc, et alia hoc genus plurima temporis excluſus anguſtiis in alium diem reſervare compellor. Ideoque te, Chriſtophore dux, qui ut omnium Venetorum primus

es, ita in lætitia quam ex Ioannis patriarchæ adventu tota ſenſit reſpublica, nulli ſecundus exſiſtis, interim oratum velim ut patriarcham tuum, univerſamque Barrociorum gentem, quemadmodum cœpiſti, ames. Nos enim cum ob merita in rempublicam tua, venerationemque religionis mirificam, tum ob humanitatem hodiernam, nihil aut tam arduum inveniemus, ut difficile; aut tam humile, ut minus dignum nobis putemus, dum rem tibi, tuiſve gratam, honorificamve faciamus.



PE-

PETRI BARROCII
PATRICII VENETI,
IN FVNERE
ANTONII ROICELLI,
ARETINI,
Iuriſconſulti doctiſſimi, et in Patavino Gymnaſio publici Eccleſiaſticarum Legum interpretis,

ORATIO.

VALDE vereor, Patres, ne quantum mihi hodierno die Antonii Roicelli doctiſſimi ac nobiliſſimi viri virtus, et magnitudo ad dicendum præſidii affert, tantum quem ex ejus morte percepi, dolor et gemitus detrahat. Quamvis enim neque viri ætas, neque mortis genus ejuſmodi ſint, ut quempiam quod vel immature, vel non inter ſuos mortuus fuerit, commovere gravius debeant; me tamen eximia ſimul hominis virtus, et magnitudo, ſimul pietas in eum mea, et juris perdiſcendi cupiditas ſic ſtringunt, ſic commovent, ut ſapientiæ illius lumen quod in ultima ſenecta, veluti lucernæ cum ſine oleo eſt, exſtinctum ſcio, celerius omnium voluntate ſubtractum exiſtimem. Neque plane intelligo, utrum gymnaſio noſtro multis doctiſſimorum jureconſultorum funeribus

deformato funeſtius accidere quidquam potuerit, quam cujus viri doctrina, et dignitas ceterorum famam offuſcatam, atque deletam illuſtrare, inſtaurareque ſola potuiſſet, eum virum in feretro ante conſpectum noſtrum jacentem aſpicere. Quocumque oculos verto, nihil video niſi gemitus, niſi ſingultus, niſi ſuſpiria, niſi lacrimas: nullumque tantæ civitatis locum eſſe doloris expertem, ſimul pompa iſta funebris, ſimul virorum, ac feminarum promiſcuus mœror indicio eſt. Cum in ædibus iſtis prius eſſemus, luctus, et lacrimarum omnia plena erant: ubi elatum eſt funus, ululatibus reſonare atrium cœpit: inter eundum ſingultus, ſuſpiria, gemitus audiebantur: ut vero ad divi Antonii templum pervenimus, atque tantus continuo planctus, et ululatus exortus eſt, ut mihi quidem non templum modo, ſed ipſum quoque cælum ruere videretur. Commovit me uſque adeo, fateor; partim viri a quo amatus mirifice fueram, deſiderium, partim funeſtus et luctuoſus hic comitatus, partim virorum ac feminarum acerbiſſimus planctus, ut lacrimas continere vix poſſim. Heu miſeram atque infelicem Academiam noſtram, quæ tantum virum amiſit. Heu mortem funeſtam, quæ duo gymnaſii noſtri lumina uno anno exſtinxit. Ioannem Pratum dico, quem noſtris humeris autumno ſuperiore extulimus, et Antonium Roicellum omnium qui ſunt fueruntve jureconſultorum facile principem; qui et nobilitate generis, et juris utriuſque peritia, et rerum præclare ac ſapienter geſtarum multitudine, non Roicellam modo familiam, ſed præſtantiſſimam Etruriæ urbem Aretium, Italiam totam, omnes barbaras nationes, totum denique terrarum orbem illuſtravit: cujus tanta fuit cum omnium rerum ſcientia, tum in primis probitas, atque humanitas, ut neque ullum umquam defendendum ſuſceperit qui non omnibus ſententiis abſolutus ſit: neque, ſi quem injuſte litigare compererat, ullis ad eum defendendum præmiis adduci potuerit. cui ea ſemper fuit partim liberalitas, partim vero animi magnitudo, ut pauperum quidem, quos adverſariorum potentia premeret, curam tanto animo ſumſerit, quanto ditiſſimi cujuſque cauſſam alius nemo ſumſiſset: divitibus autem ſic auxilio fuerit, ut in nullius eorum cauſſa, præmii potius quam juſtitiæ gratia laborave-

raverit. quem tanta ſontibus accuſandis, et defendendis inſontibus dignitate fuiſse comperimus, ut judices, contra quemcumque ipſe diſputare cœpiſset, eum continuo et condemnandum putarent: pro quocumque autem verba facere aggreſſus eſset, eum non abſolvere idemtidem piaculum ducerent. a quo juris utriuſque ſcientiam quiſquis doceri audivit, gravitatem, et eloquentiam admiratus, unum ſe ex veteribus jureconſultis audire putavit. Quæ ſi vobis, viri doctiſſimi, memoratu pulcra ſunt, quid tandem putatis illis fuiſse qui viderunt? quid Antonio Roicello qui fecit? Equidem cum mecum ipſe hæc cogito, magis magiſque admiror tot in homine uno ſimul bona fuiſse. Cum vero de his mihi in hac totius civitatis frequentia dicendum eſse intelligo, vereor majorem in modum ne aut cum Roicellorum injuria multa prætermittam, aut ſingula quæque dicturo neque vox, neque latera, neque tempus iſtud ſufficiat: et cum omnium veſtrum, qui eundo redeundoque ſatis jam defatigati eſtis, tum in primis eorum qui totam noctem non vigilavere modo, ſed et luxere, rationem habere me vergens in occaſum dies compellit. Quamobrem ex multis ac pæne innumerabilibus rebus quas de viro præſtantiſſimo dicere alius majore vel otio, vel eloquentia poſset, duas mihi hoc tempore tractandas delegi. Et primum quidem de Roicellorum familia, deinde vero de ipſo Antonio verba facere ſtatui. quæ quo poſſim facilius, attentas mihi aures præbetote omnes, et luctum ejus cauſſa ſuſceptum tantiſper compeſcitote, dum Antonium Roicellum admiratione dignum, et quia inter beatos collocatus jam eſt, minime ab amicis lugendum eſse, videatis. futurum enim confido ut quomodo vehementiorem imbrem ſerenitas, eodem modo communem hunc luctum lætitia non mediocris ſequatur. Etruriam cum ceterarum provinciarum, tum in primis Italiæ florem eſſe, partim literæ quibus Romani pueri, ut poſtea græcis, ita olim etruſcis vulgo erudiri ſolebant: partim virorum ingenia, et vernaculi ſermonis elegantia: partim aëris temperies, et regionis ſitus: partim denique frumenti, ac pecoris, et omnium copia rerum indicio ſunt. Hæc ſimul propinquitate agri, ſimul hominum multitudine, tantum Romanis

ter-

terrorem injecit, ut non eſset ea tempeſtate gens alia cujus ſecundum Gallicos tumultus arma terribiliora viderentur. Nam et Sutrium, quæ urbs ſocia Romanis velut clauſtra Etruriæ erat, oppugnare aggreſſi, et non armorum aut militum multitudine, ſed rei militaris, qua plurimum Romani excellebant, peritia victi, ter, quaterque magnis opibus, majoribuſque ſemper animis, contra Aemilium, contra Q. Fabium conſules, contra L. Papirium dictatorem, et D. Iunium Bubulcum, magiſtrum equitum, bellum tanta moriendi obſtinatione inſtaurarunt, ut victores fere prius quam victi pugnandi facerent finem: et non cum Etruſcis totiens victis, ſed cum aliqua nova gente Romanis videretur dimicatio eſse. Horum populorum per id tempus Peruſia, Croton, atque Aretium capita fuere; ſed Aretium optimo ac fertiliſſimo ſolo condita, quinque et viginti paſsuum millibus a Tranſimeno lacu, nobili illa pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clade famoſo, ubi quindecim millia Romanorum in acie cæſa ſunt, in illis principatum diutiſſime vindicavit. Nam et Romana urbe antiquior fuit, et ritus moreſque ſacrorum omnibus circa regionibus dedit: nec ulla ferme regio eſt ubi priſcæ illius religionis veſtigia plura ſit cernere; utpote cum rura etiam nunc quædam, deorum quos antiqui venerabantur vocabulis nominentur. Quam ego rem ad ejus qua in verum Deum ſunt probationem pietatis arbitror pertinere; nam quos ſuopte ingenio ad religionem inclinatos fuiſse monumenta iſta declarant, eos non errandi ſtudio, ſed veritatis ignoratione olim Deos non veros coluiſse; et idemtidem chriſtiana fide ſuſcepta, mente oppido quam religioſa Deum verum colere cœpiſse crediderim. Sed enim quia evenire ſolet fere, ut qui paullo religioſiores ſunt (quod alia ferme omnia ut vana, ut vilia, ut paullo poſt peritura contemnant) idemtidem aut indocti, aut elingues evadant; illud in Aretinorum compluribus mirabile fuit, quod ita religionem a majoribus ſuis traditam ſervavere, ut, quia eloquentiæ quoque, atque doctrinæ juxta operam dederant, Italiæ Græciæque totius judicio et religioſorum diſertiſſimi, et diſertorum religioſiſſimi haberentur. Cujus rei non pauca, neque contemnenda nobis teſti-

ſtimonia erunt, ſi quæ Leonardus, quæ Ioannes, quæ Carolus, quæ Franciſcus, quæ poſtremo alii plurimi, partim componendo, partim e græco in latinum vertendo noſtris hominibus reliquerunt, contemplari velimus. Etenim Leonardus (quod quidem ego ſciam) ethica, politica, et œconomica Ariſtotelis; Baſilii Magni de poëtarum oratorumque lectione; Xenophontis de tyrannide; præclaram inter Hieronem tyrannum, et poëtam Simonidem diſceptationem, ſoluta oratione; et Ariſtophanis comœdiam primam comico verſu interpretatus eſt. idemque hic Ariſtotelis, atque Demoſthenis, ſummorum alterius philoſophi, alterius oratoris vitam, et Gothorum bella quatuor libris deſcripſit, tanto ſtudio, tantaque diligentia, ut in his quidem quæ interpretatus eſt, cum illis ipſis auctoribus de gravitate dicendi, deque orationis elegantia contendiſſe videatur: in illis autem quæ compoſuit, Salluſtio, Livioque merito comparandus ſit. Ioannes vero cognomento Tortellius, Romuli, atque Athanaſii maximorum illius quidem regis, hujus vero antiſtitis vitam interpretatus eſt: et de ratione diſſerendi, deque artis dialecticæ præceptis, duodecim, de orthographia vero dictionum a græcis tractarum quatuor et viginti libros reliquit. Carolus porro, quod poëtis magis oblectabatur, verſus multos atque elegantiſſimos edidit. Et Franciſcus Phalaridis Agrigentinorum tyranni epiſtolas, ſententiarum tum elegantia, tum gravitate inſignes, ſumma diligentia in latinum convertit. Et alii alia vel compoſuere, vel interpretati ſunt: de quibus, quoniam et magis noti habentur quam ut a me nominandi ſint, et brevitatis rationem habere me hora ipſa compellit, ſingulatim verba facere nec libet, nec licet. hoc ſolum dico, quomodo in Arabia illud telluris proprium eſt ut omnia ſupra quam ceteræ regiones odorata producat: eodem modo in Aretio proprium ſemper urbis fuiſſe, ut viros et religione, et eloquentia, et omnium bonarum artium diſciplinis inſignes proferret. Quod ita ſe habere vel Roicellorum familia ſola, antiquitate generis, et cum rei militaris, tum juris utriuſque ſcientia facile nobiliſſima, docet: de cujus laudibus pro rei dignitate tractare cupienti non diei hanc partem, quæ perexigua eſt, ſed integrum diem brevem

pu-

putarem. Quamobrem, ut ne, quod orationis initio vereri me dixi, aut cum Roicellorum injuria multa prætercam, aut ſingula quæque dicturum, vox, latera, ipſum denique tempus deſtituat; hoc, ſi vobis videtur, temperamento utemur, ut de aliis quidem per otium plura, nunc vero de his qui Antonii propinqui ſunt magis, pauca dicere aggrediamur; et a Roicello ejus abavo potiſſimum incipiamus. Fuit hic, uti ex multis utriuſque epiſtolis cernere eſt, Accurſii in perdiſcendo civili jure diſcipulus, ingenio atque memoria pari, ſtudio autem tanto, ut brevi tempore omnium judicio ipſi quoque præceptor compararetur. nec plane ſcio, utrum ex multis ac innumerabilibus pæne juris civilis diſcipulis, qui ad tanti præceptoris famam ex toto, ut ita dixerim, terrarum orbe convenerant, ullum aut Accurſius magis dilexerit, aut omnis ea multitudo fecerit pluris. Arbitrabantur enim, quando moriendum homini ſemel eſt, ille quidem, quandocumque moreretur, in Roicello diſcipulo ſe ſe ſuperſtitem fore: hi vero, non ſe prorſus præceptore doctiſſimo privatum iri, cujus in Roicello, doctrinæ, ingenii, atque memoriæ expreſſam eſſe imaginem cernerent. neque ullum ſane ſua fefellit opinio. Cum enim in hac ipſa urbe centum et decem ante hanc diem annis juris utriuſque inſignibus more veteri honeſtatus fuiſſet, Florentini eum ſummis propoſitis præmiis uti civile apud ſe jus doceret, accerſierunt; ubi tantam brevi tempore docendo famam conſecutus eſt, ut nihilo præceptore inferior putaretur, et civitate, multiſque ac magnis honoribus publice donaretur. Denique et Bononienſes frequentiſſimis electum comitiis, per literas, quarum ego exemplum legi, eum in ſua gymnaſia trahere conati ſunt: et civitas iſta uti doctrinam quam apud ſe didicerat, juris civilis ſtudioſis qui per id tempus hic morabantur, reſtitueret, jure ſuo quodam accivit: et mille potentiſſimorum principum atque nobiliſſimorum populorum judicia decretis ampliſſimis honeſtarunt. quæ ut ne ſingulatim exponam, brevitatis ratio facit. Hujus filii duo fuerunt, Franciſcus, et Vannes: quorum Franciſcus quidem jureconſultus facile maximus, idemque (quod in homine ſtudiis dedito haud temere inveniri poteſt) eques fortiſſimus, poſt factioſam Petramalorum

rum

rum familiam Aretio ejectam, veluti Brutus quidam, aut Publicola, ad patriæ gubernacula accitus fuit. Vannes autem fratre Petramalorum conſpiratione imperio expulſo quod popularis, et civibus majorem in modum gratioſus foret, neque vi civitate excluſus eſt, ut Tarquinii, neque precibus uti L. Tarquinius Collatinus emiſſus, ſed (quod mirentur fortaſſe nonnulli) ſic in civitate remanſit, ut de priſtina hominis dignitate nihil quiſquam imminutum videret. et hoc certe in ea civitate quæ inteſtinarum inimicitiarum ſit plena; atque ob eam rem non quid ſinguli cujuſque virtus mereretur, ſed quid principibus factionis libet, inſpiciat; nemo niſi et egregia virtute, et prudentia ſingulari vir aſsequi potuit. Vannis filii quatuor indole præſtanti fuere; ſed ex his duo inter optimates Etruriæ facile maximi: Roicellus videlicet, qui Piſis, quæ urbs ea tempeſtate florentiſſima erat, pro Romano Imperatore imperii ſummam adminiſtravit: et Rodolfinus, cujus cum plurima et domi, et foris exſtent monumenta virtutis, nullum tamen aut præſtantius, aut terrarum orbi utilius fuit, quam quod Roicellum Antonii hujus patrem, virum inter paucos ſummum, genuit, qui et liberorum egregia indole, et præſtantia doctrinæ, et multarum civitatum decretis ampliſſimis, non Roicellæ modo familiæ, aut Aretinæ urbi, ſed provinciis maximis, atque adeo Italiæ toti ſplendorem incredibilem attulit. Omitto Ioannem Lombardum, atque Rainaldum cives Aretii ſpectatiſſimos: de Franciſco, et Guidone juris utriuſque conſultiſſimis nihil dico. Baptiſtam præterire non poſsum, a quo te, Ioannes Baptiſta, ſummo ingenio, ſumma probitate, ſumma juris utriuſque peritia hominem genitum ſcimus; qui ſic Aretinis tuis, unde originem ducis, ſic Patavinis; apud quos civile jus doces, carus ſemper fuiſti, ut ſæpius et illi civem repetere, et iſti honorificentiſſimis cum decretis, tum vero ſalariis magiſtrum retinere contenderint. Fuimus tamen ſuperiores nos hactenus, atque ut in futurum ſimus, quando id e re noſtra eſt, omni ſtudio laborabimus. Difficile quidem videtur ita de homine ullo benemereri, ut patriam, cujus unicuique perdulcis eſt amor, et eam in primis patriam quæ ſimul præſtantiſſima ſit, ſimul te plurimi faciat, obliviſcaris.

Sed aut me civitatis hujus, in qua nunc civile jus doces, amor fallit, aut Aretio (quamquam ipſa quidem nobiliſſima ſit) Patavium multo nobilius eſt: ſtudia porro cum civitatis, tum in primis univerſitatis noſtræ in te hujuſmodi ſunt, ut Aretinorum majora eſſe non poſſint. Quod et antea expertus es ſæpe, et ut in dies magis magiſque experiare ſinguli quique noſtrum, tota univerſitas, tota denique civitas ſe ſe curaturam ſuſcepit. Habeant ſibi cives tui alios jureconſultos, alios optimates, alios bonarum artium magiſtros: ſinant te noſtrum eſſe; ac laude publica, quæ certe vulgaris non eſt, cum ſtudiorum et diſciplinarum omnium alumna Patavium ex ea ſibi præceptores acceſſit, contenti; doctrinæ quæ ex te proficiſcitur utilitatem nobis relinquant. Quod tibi quoque ut non honorificentius, certe tutius, et jureconſulti inſtituto accommodatius eſſe videbitur, ſi ad Bernardum patruum, et fratrem patruelem Roicellum animum revocaveris. Præfectus enim ab Vrbini duce Federico Foroſempronii, quæ non longe ab Vrbino civitas munitiſſima eſt, Bernardus patruus tuus, cum per proditionem civitas caperetur (ut fortiſſimum atque fideliſſimum duci ſuo comitem decuit) tantiſper exercitus impetum acerrime pugnando ſuſtinuit, dum multitudine hoſtium ſuperatus trucidaretur. at vero filius ejus Roicellus, qui ab alia civitatis parte fortiſſime dimicabat, cum patrem laborantem audiviſſet, per medios hoſtes, qua denſiſſimum erat agmen irrumpens, ut mortuum vidit, atque in eum a quo interfectus fuerat impetu facto, proturbantibus hinc atque hinc cominus hoſtibus, ipſe nihil territus clamantem, et auxilium ſibi ferri poſtulantem interfecit: mox humo cadaver ſepeliundum cum tolleret, glomeratis circa ſe hoſtibus, eorum prius plurimis interemtis, ipſe juxta, viri fortiſſimi, et pientiſſimi filii officio perfunctus, occubuit. Quem certe ut Lauſo, et Scipioni ei qui ob Africam populo Romano ſubactam Africanus poſtea vocatus eſt, merito antetulerim; quod longe præclarius, et pietatis multo majoris eſt, parentem occiſum cum capitis ulciſci periculo, quam vulneratum ne interficiatur defendere; ſic tibi, Ioannes Baptiſta, quotiens facti hujus in mentem venit, perſuadere exiſtimo, ut non honorificentius, certe tutius, et inſti-

inſtituto jureconſulti accommodatius eſſe, ut quæ civitas ſimul te plurimi facit, ſimul Veneti ſenatus beneficio pacatiſſima eſt, eam tu civitatem Aretio, ubi omnia pacata non eſse, domeſtica quoque calamitas docere te poteſt, facile anteponas. Sed jam quando de Roicellorum familia pro temporis anguſtia pauca iſta perſtrinximus, deinceps de ipſo Antonio verba facere aggrediamur. Neque enim de familia ideo locuti ſumus, quod viro laudatiſſimo aliunde mutuari laudes oportuerit, ſed quod illis vel qui mortui ſunt, vel qui adhuc vivunt injuriam facere noluimus: quam haud dubium feciſſemus, ſi in hoc ſpectatiſſimorum virorum conventu nullas ipſi partes haberent. quibus cum alia multa, tum iſtud in primis laudi eſſe debet quod Antonium Roicellum, virum toto orbe clariſſimum, aut genuere, aut his a quibus genitus eſt conjuncti fuere. Nam ipſe quidem ita majores ſuos omni virtutis genere ſuperavit, ut multo plus illis ornamenti reddiderit, quam ab eis acceperit; quod in ea familia in qua omnia ſumma ſunt, factu oppido quam grave eſt. Inventis enim addere, ſi modo ſunt parva, ſi levia, ſi tenuja, facile eſt: at vero, ſi maxima ſunt, ſi graviſſima, ſi ampliſſima, eis vel tantulum addere difficillimum; multum porro adjeciſse, admirandum, et propemodum divinum eſt. Quomodo autem ſuperaverit, quid ornamenti reddiderit, quantum partæ ab illis gloriæ per ipſum acceſserit, ex hoc intueri licet, quod vix dum ex ephœbis exceſserat, cum protinus ad ſcribendum ſe contulit, et legitimationum libellum (*is quippe eſt operis titulus*) edidit, utilitate atque elegantia pari; quem ſic optimus quiſque juriſconſultorum probavit, ut, quod rari poſt mortem aſsecuti ſunt, eo etiam vivente legeretur. Nervam filium decimoſeptimo ætatis ſuæ anno de jure publice reſpondiſse non ſine admiratione ſcientiæ quadam, Vlpianus auctor eſt. Quid Nerva minus fecit Antonius? qui non huic, aut illi tantum rei quæ veniſset in controverſiam, ſed omnibus prorſus quæ ad minus legitime natos pertinent ita reſpondit, ut neque copioſius, neque conſultius, neque elegantius, neque verius in ea re dici, aut cogitari quidquam potuerit. Scævola nullius ſibi rei cognitionem faciliorem videri dicebat, quam juris civilis; ſeu quod re-

vera ſic eſset, ſive quod ita credi, homo glor
cupidior, vellet. At Antonius Roicellus, quamqu
quidem hoc diceret, ea in reſpondendo alacritate
ut quiſquis eum ſemel conſuluiſset, nihil cuiquam
affirmaverit, quam ei de jure publice reſpondere
Scævolæ frater dicere conſueverat: nihil illum po
viſi ſine dicendi copia, neque ſe amicorum cauſ
ſtaſſe quam civile jus didiciſset. Sed Antonius R
jus civile doceret, ſeu de jure publice reſponder
diſciplina egregium aliquid, et poſteris mandar
neret, ita docebat, ita reſpondebat, ita con
(quod noſtra ætate rariſſimum eſt) omnium e
rum eloquentiſſimus, et eloquentium jureconſul
retur. Denique ſub ipſum fere juventæ princip iu
pore admirationi eſſe debuerat ſi vel ſolis jurec
ſignibus honeſtari meruiſset, tantam præ ſe d
cendo, conſulendo, ſcribendo, juris ſcientiam
modo apud Romanos *catus Aelius Sextus*, eodo
ſuos ipſe, *egregie cordatus homo* vocaretur:
nus vel utilitatis, vel ornamenti afferret, qu
moniis Chilo, aut Romanis Cato, aut Ath
ac Plato. At in qua diſciplina hoc? in e
cum veterum jureconſultorum, tum Imper
tificum ſententias, et ſuper eis jureconſul
tim gloſsas, partim expoſitiones, obſcuriſſima, et laboris pæne infiniti nunc eſt. Vt enim volet quiſque accipiat, ego veteres jureconſultos, ſive illi a Numa, ſive ab Athenienſibus, ſive ab aliis quibuſcumque didicerint, peritos fuiſse non nego: ſed eam diſciplinam, ſi umquam fuit, noſtra ætate difficillimam ſcio; ſimul quod jus imperatorium iſtud quod ab Iuſtiniano compoſitum eſt, veteres non habebant: ſimul quod pontificii quo nunc utimur, juris ſcientia, illis nulla erat: ſimul quod alio, et quidem longe meliore modo reſponſa ſua priſci illi jureconſulti exponebant quam a noſtri temporis jureconſultis mutilata nunc exponantur et manca: ſimul quod multa priſci illi dixerunt quæ, ſuccedente paullatim latinitati barbarie, a novis jureconſultis ne intelligunttur quidem: ſimul quod, contra quam Impe-

perator edixit; tot jureconſultorum novorum volumina priſcis exponendis edita ſunt, tamque inter eos diverſæ, immo vero etiam contrariæ ſententiæ, ut eas etiam percurrere laborioſiſſimum ſit, nedum in unum colligere, aut quæ cui præferenda ſit, internoſcere. Quo fit ut qui nunc civilis juris ſcientia vel mediocris evaſerit, eum doctiſſimo cuique priſcorum comparari poſse exiſtimem: qui porro ſummus, eum non Nervæ, aut Scævolæ, aut Craſso tantum, ſed omnibus prorſus qui a veteribus magni habiti ſunt, jureconſultis præferri debere affirmem. nam et vehementiore ſtudio, et acutiore ingenio, et memoria promtiore præditum fuiſse oportet qui ejuſmodi ſit. Si enim inter liberales diſciplinas ulla eſt quæ hominem totum depoſcat, juris civilis diſciplina profecto ea eſt hac ætate, ut non hominem totum modo, ſed duorum, ſi fieri poſſet, hominum vitam quam longa depoſcat. Quo magis Antonium Roicellum admirari ſoleo, cui, cum primo quoque tempore jureconſultus ſummus evaſiſset, rarum et poſt hominum memoriam maximum aſsecutum eſſe ornamentum ſatis non fuit, niſi et eloquentiæ, quæ illi e vicino conjuncta eſt, operam daret, inque ea tantum brevi tempore ſtudio, et exercitatione proficeret, ut eloquentiſſimo cuique par foret. Audiſſes in doctiſſimorum jureconſultorum cœtu publice de jure diſputantem; diſtinguendi, ratiocinandi, atque diffiniendi modum admiratus fuiſſes: vidiſses de maximis rebus reſponſa ſcribentem; ingenium, atque elegantiam mirandum in modum laudaſses: auſcultaſses docentem; nihil aut apertius, aut verius, aut magis memoriter dici poſse affirmaſses: ſenſiſses pro innocente, aut contra eum qui nocens foret, judicium ſubeuntem; utrobique vehementiæ tantum tribuiſses, ut neque illum qui defenderetur, condemnari, neque illum cui dies dictus fuiſset, abſolvi poſse putares: affuiſses cum de uno quolibet noſtrum qui propoſitam juris civilis, aut pontificii expoſitionem, diſputationem, concluſionem vel in jureconſultorum collegio, vel in univerſitatis conventu, docte atque acute expoſuiſset, verba facere incepiſset; de illo non optime ſentire, nullo genere potuiſses. quod ſi te forſitan ad forenſes deambulationes, aut familiarem ſermonem contuliſses; locorum, temporum, perſona-

ſonarumque ſic ei rationem conſtare vidiſses, ut cum inter loquendum feſtiviſſimus foret, ab eo tamen neque jocus magnitudine rei, neque gravitas facetiis minueretur: ſed plane (quod Cæſaris olim proprium ajunt fuiſse) ſic in rebus triſtibus remiſsus, in ſeveris hilaris eſset, ut ſi quando in ignotum quis caſu incideret, de natali ejus ſolo dubitaret, ac Siculum, Rhodium, Byzantium, aut Atticum, quæ loca ſermonibus hominum facetis abundant, crederet eſse tantiſper, dum ab his qui circa eum ſemper plurimi verſabantur, Aretinum eſse didiciſset. ita eum omnino cavillationis, joci, dicacitatis, et ſalis genus nullum latebat: nullum non opportuniſſime, et cum ipſa propemodum re quæ in manibus erat, natum dicebatur. Sed pluribus de his loqui quæ ab oratione funebri maxime aliena ſunt, res ipſa nos prohibet. Memoriam autem viri quiſquis inſpexit, non Simonidem Chium, quem apud Scopam fortunatum hominem memoriæ artem reperiſse affirmant: non Themiſtoclem, a quo non tam memoriæ quam oblivionis artem deſideratam narrant: non Carneadem, aut Sceptium Metrodorum, qui non ſecus imaginibus, quam literis alii, quæ vellent ſcribere crediti ſunt: non alios denique præſtanti memoria viros illi comparandos putavit. Quantum eſt enim, mille civium cum quibus maxime verſeris quotidie, nomina memoriter pronuntiaſse, aut ignota tibi verba memoriæ mandare potuiſse, ad incredibilem illam Antonii Roicelli memoriam? qui in tanta civilis, ac pontificii juris librorum, gloſsarum, interpretum multitudine, ſimilitudine, varietate, nullum jureconſulti, Imperatoris, Pontificis, gloſsatoris, interpretis librum, nullam legem, nullam interpretationem, nullam ſententiam, nullum poſtremo (quod quidem elegantiuſculum foret) verbum non in memoria tamquam in theſauro quodam reconditum habuit, unde ad primum ſtatim congreſſum ab his qui eum ſequebantur, deducebant, auſcultabant, diſcipulis interrogatus, perinde atque alius paullo ante lectum, depromeret, ac ita depromeret, ut quid quis in ea re contrarium, ſimile, aut diverſum dixiſset, quæ communis opinio foret, quæ illis qui non ita ſenſiſsent, errandi cauſa, tam facile explicaret, quam qui non memoriter pronuntiaret iſta, ſed lege-

legeret. Quamobrem cum ingens apud omnes, eos præcipuè qui de ingeniis aliquid judicare valebant, Antonii Roicelli fama eſset, magnum nomen, opinio grandis; Martinus eum Pontifex Maximus, qui difficillimo rei eccleſiaſticæ tempore pontificatum adminiſtrandum ſuſceperat, ut Xenophontem Cyrus, ut Diogenem Alexander, ad ſe maximis propoſitis præmiis accerſivit, ut eſset ſecum, ubi difficilius aliquid incidiſset, curarum ſuarum pondus divideret, conſilia iniret, graviora omnia partiretur. Quo poſtquam pervenit, tantum ſibi brevi tempore benivolentiæ conciliavit, tantum honoris atque ornamenti adeptus eſt, tantum apud ſingulos quoſque auctoritatis promeruit, ut in urbe cum alias, tum eo in primis tempore doctiſſimorum virorum plena, pauciſſimos pares, majorem habuerit neminem. Denique in ea cauſsa quæ potentiſſimo Poloniæ regi Ladislao adverſus Romanum Imperatorem Sigiſmundum fuit, in qua, quoniam major toto orbe ullus non erat, a Pontifice Maximo ſententiam ferri oportebat, in multis ac innumerabilibus viris doctiſſimis ſolus Antonius Roicellus inventus eſt cujus fidei ſuas fortunas, ſuum regnum, ſuam poſtremo vitam Ladislaus committeret. quod in regis Dejotari cauſsa cum Ciceroni eloquentiæ merito contigiſset, haud ſcio an ulli deinde præterquam Antonio Roicello contigerit. Quamquam ſi temporis, ac perſonarum habeas rationem, multo difficiliorem Antonius Roicellus provinciam ſuſcepit quam Cicero. nam Antonius quidem Ladislaum adverſus Imperatorem: Cicero Dejotarum contra privatos defendit. ipſi Imperatoris auctoritas invidiam faciebat: Ciceroni cum a nepote avum, a ſervo dominum accuſatum defenderet, facile in utrumque fuit invidiam retorquere. ipſe denique apud Pontificem, virum integerrimum, atque juſtiſſimum, cui nullæ uti aliquem timeret cauſsæ erant: Cicero apud Cæſarem defendebat, quem (cum ſimulatione clementiæ ſervituti cives paullatim aſſuefeciſset) quo minus in aliquem ſeverior foret, dominandi cupiditas prohibebat. Et tamen felicitate longe maxima provinciam ſuſceptam defendit; nam regi quidem quod receperat, ut ſalva illi forent vita, regnum, fortunæ, effecit: Imperatori autem tantum abfuit ut defenſione regis fieret inimicus, ut

tum

tum ei potiſſimum intimus eſse inciperet; quod viri ſtudium, diligentiam, fidem, is etiam contra quem exercebantur, non amplecti non poterat. Summo autem Pontifici tantum placuit hæc hominis moderatio, ut Roicellum fratris filium, quem ipſe jureconſultorum inſignibus honeſtaverat, ad Ladislaum Poloniæ, et Carolum Galliæ reges, de maximis atque graviſſimis rebus legatum mitteret: ut jam quanti Antonium Roicellum vir maximus faceret, ignorare poſset nemo qui alios etiam ejus gratia tanti fieri cerneret. Suffectus Martino eſt Eugenius eo nomine IV. atque, ut in hujuſcemodi rebus fieri ſolet, nova in urbe Roma facta ſunt omnia. Qui apud Martinum maximi fuerant, aut urbe excedere, aut privatos agere: qui contra auctoritate ne mediocri quidem erant, maximi fieri; et novis hominibus tota repente civitas compleri, novus denique ibi mundus videri. Sed enim ſpectata jampridem maximis in rebus Antonii Roicelli virtus dignitatem ſuam retinuit, atque adeo, ut quod certiſſime contigit dicam, majorem in modum auxit. Erant per id tempus inter Eugenium Summum Pontificem, et Sigiſmundum Romanorum Imperatorem, ſimultates non leves: ſuccendebantur odia: ad arma paullatim ac bellum ventura res videbatur. et dum ſuis quiſque principibus favere ſtudet, de pace atque concordia loquebatur nemo; jamque parum aberat ut in ingentem flammam ignis ille erumperet. Quæritur qui tantæ rei eccleſiaſticæ, immo vero totius orbis terrarum cladi occurrat, ignem exſtinguat, pacis inter eos auctor fiat. Muſſare omnes, quod ad nationem barbaram ſuopte ingenio, et Imperatoris indigna, ut ipſi arbitrabantur, patientis injuria ſtimulatam, proficiſci tutum non erat, atque, ut tutum fuiſſet, a Pontificis dignitate alienum videbatur in Germania potius quam in Italia negotium confici: nec deerant qui affirmarent, quod libera de ſumma negotii tractatio in Germania, obſtrepentibus circumquaque barbaris, futura non eſset; ac Imperator dum ex nuntiorum miſſione metui ſe a Pontifice ſuſpicatur, difficiliorem ſe præbiturus foret. nullo genere confici negotium poſse: una tamen erat omnium ſententia, ſi ab ullo confici poſset, ab Antonio Roicello poſse. Verum enimvero, cum quo minus

nus mitterent, ſimul quæ illi cum Ladislao rege Poloniæ pervetus neceſſitudo erat, prohibebantur, ſimul quod læſum ab illo nonnihil Imperatorem, et ob eam rem minus eum libenter de conditionibus pacis auditurum putabant. Ea tamen apud omnes de incredibili, ac divina pæne Antonii Roicelli prudentia opinio fuit, ut illum potiſſimum ex multis ampliſſimis viris deligerent cui provinciam iſtam mandarent. Miſſus itaque ad Imperatorem, tanta eum protinus virtutis admiratione affecit, ut ſummis ornatus laudibus, cum ingenti componendi negotii ſpe ad Pontificem remitteretur. Quem cum Pontifex denuo (ſic enim rei exigebat ſtatus) ad Imperatorem miſiſset, ille ab ſe ſe non prius dimiſit quam et Palatii comitem, qui apud Germanos honor eſt magnus, crearet, et equitum atque tabellionum creandorum, nothorum perinde ac legitime nati ſi forent, ad hereditatem patris admittendorum ei facultatem daret, ac liberorum emancipationibus quas judice auctore fieri leges jubent, auctorem eſse permitteret. Quem cum tertio Pontifex ad Imperatorem miſiſset, confecto tandem negotio redeuntem ſumma Vrbis lætitia optimus quiſque excepit. Neque plane minus ei honorificus hic reditus fuit, quam ille Agrippæ cum reconciliatam patribus plebem e ſacro monte in urbem reduxit: ſiquidem plebem et patriæ deſiderium, et rerum ſumma pænuria, patribus, cum quibus longa et magna illis conſuetudo fuerat, popularis hominis interventu conciliare facile potuit: at Imperatorem, et tot cum eo barbaras nationes, divitiis et omnis generis apparatu abundantes, quibus nihil umquam fuiſset commune cum noſtris, conciliare poſſe Pontifici nulla ne vehemens quidem neceſſitas videbatur. Mitto iracundiam quæ illius feræ gentis propria eſt: mitto odium quo in omnes Italos ſunt: omitto cupiditatem, quam tum demum expleri poſse rebantur cum rerum in Italia potiti forent: omitto multitudinem, atque ferocitatem, quibus ut potiri poſsent plurimum confidebant: mitto quod beato Silveſtro Pontifici Maximo a Conſtantino Magno urbis Romæ imperium cum traditum dicant, id agunt ut ſummo Pontifici Romanum Imperatorem præponendum oſtendant: omitto denique alia multa quæ conficiendæ rei ſpem omnem loco tam

arcto concluſerant, ut nullus fere exitus foret. Quo major mihi videtur Antonii Roicelli et prudentia, et auctoritas, et magnitudo animi, et felicitas, et gloria poſtremo fuiſse, quam Agrippæ fuit. Eo autem tempore cum nullæ illi foris occupationes forent (nam domi aut cauſſis agendis, aut reſponſis faciendis ſemper vacabat) præclaram illam, et inter pauca laudatam *monarchiam* compoſuit: in qua utrumque aſsecutus eſt et ut juris utriuſque peritiſſimus haberetur, et ut rebuſpublicis, optimatibus, regibus conſtituendis, moderandiſque natus videretur. Mirum in Catone ajunt diſcendi ſtudium fuiſſe, ob eamque rem ſic illum minimi cujuſque temporis rationem habuiſse, ut neque tantiſper dum ſenatus cogeretur otioſus eſse voluerit, ſed libros latinos, græcoſque lectitaverit. non improbanda illa quidem ſtudioſiſſimi hominis diligentia; ſed Antonii Roicelli diligentiæ minime comparanda, qui inter ipſos pæne ſtrepitus fori et raucas litigantium voces, non diſcendi (quid enim diſceret homo diſciplinis omnibus praeditus?) ſed docendi ſtudio, opus elegantiſſimum, et poſt homines natos paci omnium accommodatiſſimum edidit. Quod quidem opus ſimul Eugenio Summo Pontifici, ſimul collegio Cardinalium placuit ita, ut cum ſub idem tempus tota cum rege ſuo Gallia quibuſdam inteſtinarum inimicitiarum veluti turbinibus agitata tumultuaretur, a Summo Pontifice ad ſedandos eos motus, regi, cunctiſque regni proceribus legatus decerneretur. Quam legationem ea et ſedis Apoſtolicæ dignitate, et regis, ac procerum benivolentia geſſit, ut a Pontifice quidem etiam abſens majorem in modum laudaretur, a rege autem fortitudinis ac ſapientiæ merito ſimul eques crearetur, ſimul in optimatum quos in omnibus negotiis gravioribus ſententiam rogari mos eſt, numero conſcriberetur. Cui cum pro inſtituto majorum, equeſtris ordinis ornamenta darentur, is qui in Sicilia nunc regnum tenet, qui ea tempeſtate Barrenſium, atque Lothoringiæ ducem gerebat, Renatus, vir fortiſſimus, et tota Gallia nominatiſſimus, pedibus calcaria, et lateri gladium cinxit. quod mihi quidem ita præclarum videtur, ut incertus pæne ſim, utri ſtudium fuerit majus; Antonio Roicello rebus diligenter tractandis, an vero regi gratiis ampliſ-
ſime

ſime referendis. Nam, ut equeſtris ordinis ornamenta præteream (quamquam a tanto rege decreta, et per eum data miniſtrum, præteriri ſine injuria nequeant) hominem privatum, alienigenam, Italum, numquam ante id tempus viſum, regni toto orbe clariſſimi moderatorem arceſſi, et conſiliorum ſapientiſſimi regis conſoium fieri, et in omnibus difficilioribus rebus ſententiam rogari, quid, oro, eſt aliud quam in regni partem vocari? Quod ſicut incredibilis, ac divina pæne viri virtus apud omnes etiam barbaras nationes, ad quas proficiſcebatur, obtinuit, ſic Italis ut eum apud ſe retinerent, cupiditatem non vulgarem injecit. Itaque cum Romam rediſset, Apuliæ de maxima et graviſſima re apud Summum Pontificem litigantis patronus arceſſitur: tum conſiſtorii Cardinalium, poſtremo etiam pauperum, quæ ſuprema in eo ordine dignitas eſt, advocatus eligitur. Quæ munera tanto ſtudio, cura, diligentia ſubiit, ut et præmia poſt hominum memoriam maxima conſequeretur, et honoribus ampliſſimis afficeretur, et cum vita functus fuiſset, in cælum recta conſcenſurus crederetur. Nam et quorum cauſsas agendas receperat, hos ei gratiam quantam maximam poſsent referre, ſolertia hominis compellebat, et Cardinalium conſiſtorium, apud quos de rebus difficillimis diſputabat, ut omni honore dignum apud eos haberi ſe ſciret, ſedulo operam dabant: et pro pauperibus quorum præcipua illi cura ut ne indefenſi forent fuerat ſemper, gratiam ei Deus, cum exceſſiſset e vivis, relaturus ampliſſimam putabatur. Si enim ei qui potum aquæ frigidæ in diſcipuli nomine minimo cuiquam dediſset, ſalvam fore ſuam mercedem homo Deus ſpopondit, multo magis Antonio Roicello, qui res fortunaſque pauperum, et vitam poſtremo ipſam defendendam receperat, ſalvam, et laboris ac diligentiæ merito, maximam præparaſse putandus eſt. Itaque (quod nulli forſitan, aut certe pauciſſimis mortalium obtigit, ut cum divitiarum, atque honorum præſentis vitæ plurimum habuiſsent, futuræ præmia ſperare idemtidem poſsent) id Antonio Roicello tanta utrimque abundantia contigit, ut in eo exornando certaſse cum ſuperis homines videantur. Neque hoc ideo dixi quod præſentis vitæ præmia quantacumque minimo futuræ

bono comparari poſse exiſtimem, ſed quod homines quidem quanta poterant dederint, majora daturi ſi potuiſsent: ſuperi autem cum parvis facile ſuperare potuerint, maxima tamen et ipſi dare maluerunt. Poſsem de liberis ejus Ioanne homine religioſiſſimo, Guidantonio jureconſulto eloquentiſſimo, Franciſco integerrimo viro, Proſpero bonæ indolis adoleſcente: ad hæc et de filiabus honeſtiſſimis et pudiciſſimis feminis afferre in medium plurima; ſed partim quia temporis excludor anguſtiis, partim vero quia nihil in domo, familia, civitate, Italia, orbe denique toto, Antonio Roicello majus invenio, de ipſo verba facere malo, cum præſertim ad me meoſque pertinere vel tantulum poſſit quod dicam. Nam Eugenius IV. (is de quo ſupra mentionem feci) Pontifex Maximus ex urbe noſtra, optima Condolmariorum familia oriundus, aviæ meæ paternæ avunculus, cum et Antonio Roicello laborum pro rei eccleſiaſticæ dignitate, Romæ, Florentiæ, Ferrariæ, ad hæc in Germania, in Gallia, in toto denique chriſtiano orbe ſuſceptorum, gratiam referre, et patriæ, in quam pietate ſemper incredibili fuit, ſui amoris monumentum relinquere aliquod vellet, id per literas egit ut quingentis in annos ſingulos aureis nummis Venetis ex ſenatuſconſulto decretis in hanc urbem arceſſiretur; futurum ratus, ſi homini placuiſſet conditio, ut illius quidem ſenectuti præſidium aliquod, ſuis autem civibus, qui plurimi ſtudiorum gratia iſtuc confluunt, pontificii juris ab eo diſcendi utilitas longe maxima pararetur: et idemtidem, quoniam tanti viri famam ſecuturi plurimi forent, urbi ſimul publice, ſimul private honoris atque emolumenti non parum accederet. Accepit conditionem, quod obeundis toto orbe legationibus defatigatus jam erat, et ſenatus Veneti auctoritatem nullo non tempore magnifecerat. Et (ut ex patrimonio ſeu quod habuerat, ſive quod agendis cauſſis reſponſiſque faciendis acquiſierat, vivere honeſte poſſet) dulcius ei videbatur, diſputando, componendo, docendo, quamplurimos ſimiles ſui relinquere. Huc itaque cum omni domo ſua exſpectatiſſimus commigravit, et octo ac viginti annos totos pontificium jus incredibili auditorum frequentia docuit: nullo non anno publice de rebus difficillimis diſputavit: multis, atque

adeo

adeo univerſis pæne qui civilis aut pontificii juris inſignibus ex decreto collegii perornandi forent, inſignia contulit. Senatus in graviſſimis, ac periculoſiſſimis reipublicæ negotiis conſultor, adjutor, et propugnator fuit: libros elegantiſſimos, et juris pontificii diſciplinæ accommodatiſſimos edidit: nec umquam, decrepitus etiam, domi niſi in bibliotheca repertus eſt: ut in eodem pæne lecto, velut alius Terentius Varro, aut Sophocles alius, et ſpiritum emiſerit, et egregiorum operum ſtudium intermiſerit. Mortuus inter ſuos eſt: funus clariſſimorum virorum, et pudiciſſimarum feminarum frequentia poſt hominum in hac urbe memoriam maxima elatum: ſepulcrum e Pario marmore permagnificum in ſanctiſſimo beati Antonii fano conſtructum: ſacerdotum tota civitate pro eo preces ex inſtituto eccleſiæ fuſæ: nihil denique prætermiſſum quod ad corpus, ad animam, ad memoriam hominis quam diutiſſime celebrandam, ad eorum denique qui ſuperſtites ei ſunt, conſolationem pertinere potuerit. Hæc cum ſingula, tum vel maxime univerſa intuentibus, audientibus, cogitantibus, dolorem minuere majorem in modum poſſunt. vivere quippe atque incolumem eſſe autumant, quem tot, et tam magnifica ordinum univerſorum officia ſingulis quibuſque noſtrum, qui circa hæc occupati ſumus, vivere vel faciunt, vel oſtendunt. At vero illa quæ ſuperius expoſuimus, quod clariſſimis ortus majoribus omnium ſplendorem, gloriam, famamque ſuperaverit; quod legitimationum libellum, quod *monarchiam*, quod civilis ac pontificii juris libros complures et adoleſcens, et decrepitus, et forenſibus negotiis occupatus, ediderit; quod Poloniæ regem, quod Apuliam, quod pauperrimum quemque defenderit; quod legatione ad Romanum Imperatorem, ad Galliæ regem, ad omnes regni ejus proceres honorificentiſſime perfunctus, et plurimis a Summo Pontifice, a Romano Imperatore, a Cardinalibus, a ſenatu denique Veneto præmiis affectus ſit; quod poſtremo docendo pontificio jure maximum diſcipulorum numerum meliorem effecerit (ſcire enim quid facto ſit opus, innocentis vitæ principium quoddam eſt) hæc, inquam, quæ ſuperius expoſuimus, quidquid reliquum doloris fuit in admirationem convertunt: et (quod eum qui ſic vixit, ſic mortuus

eſt,

eſt, inter beatos collocatum fuiſse oportet) ab admiratione in lætitiam transferunt. Nam ſi omnibus qui patriam conſervaverint, adjuverint, auxerint, certus in cælo eſt ac definitus locus, ubi beati ſempiterno ævo fruuntur: ſi nihil eſt illi principi Deo qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia, cœtuſque hominum jure ſociati, quæ civitates appellantur: ſi earum rectores, conſervatoreſque profecti ex cælo revertuntur in cælum, ut apud Tullium Ciceronem Africanus Scipio auctor eſt; Antonio Roicello profecto, qui non urbem modo unam, ſed multas, et grandes provincias incredibili ſapientia conſervavit, adjuvit, auxit: qui concilia, cœtuſque hominum inter ſe diſſidentes juris utriuſque ſcientia, qua nulli erat ſecundus, benivolentia mirifica ſociavit: qui rectoribus, atque conſervatoribus eorum uti quam optime regerent conſervarentque, nullo non tempore conſilium atque auxilium tulit; certus ac definitus in cælo eſt locus, ubi beatus ſempiterno ævo perfruitur. Quæ nos, ſi eum amamus, ut certe facimus, partim lætitia non mediocri afficere, partim vero quo eo frui poſſimus aliquando, ad imitandum debent impellere.

PAVL-

PAVLLI BARBI
PATRICII VENETI,

duorum Summorum Pontificum conſanguinei;

utpote qui EVGENII quidem IV. ſororis filius, PAVLLI vero II. germanus frater fuerit;

AD LVDOVICVM XI.

Caroli Victoris filium, Galliæ regem

ORATIO

Habita Turoni, Venetæ Reipublicæ mandato, VI. Idus Decembris, anno a partu Virginis MCCCCLXI.

adhuc inedita.

CRedo te fortaſſis admiraturum, Ludovice Chriſtianiſſime, ac Maxime Rex, voſque Reverendiſſimi Patres, Illuſtres Domini, ceterique omnes præſtantiſſimi viri qui adſtatis, quod ego potius dicere incipio, qui ætate inferior ſum collega meo ornatiſſimo & præſtantiſſimo viro, mihique propterea nimium arrogare videor. Quibus velim, tibique in primis, Sereniſſime Rex, Illuſtriſſimi Senatus noſtri diu ſervatam, laudabilemque conſuetudinem notam eſſe. mos enim vetus eſt ſenatus noſtri publicis in magiſtratibus, ſicut ætate majores quoſcumque ætate minores quacumque etiam dignitate præditos anteire, ita ætate minoribus tum vel maxime exponendarum

lega-

legationum onus injungere. Quod mihi, cui juſsa capeſsere fas eſt, eo magis lætandum eſse video, quo ſingulari ſapientia, et eloquentia præditus inſignis vir Bernardus Iuſtinianus collega meus, omiſsa per me, ſua præſtanti virtute facile adimplere, et ſubminiſtrare poterit. Exſuſcitat etiam animum meum, et majorem ad dicendum facit, eximia atque incredibilis humanitas et clementia tua in omnes, chriſtianiſſime rex, et in primis erga ſenatum noſtrum; et ſenatus noſtri in te tuoſque clariſſimos progenitores perpetua obſervantia, atque invicem ſingularis benivolentia, mutua et præcipua caritas. Legatio præterea talis eſt, in qua oratio nemini deeſse poſſit. Quamquam a me dicendi imperito numquam, a nobis vero utriſque compoſite ornateque dictum iri hoc tempore minime exſpectandum ſit. Nam diverſa penitus ac maxime contraria ſenatus noſtri perturbatione commoti, non ſatis diſerte orationem componere aut expolire poſsemus: dolentes enim, gaudenteſque nomine ſenatus noſtri, de obitu clariſſimi patris tui mœrorem ingentem, de tua in regnum ſucceſſione immenſam lætitiam, poſtremoque etiam in hac ſublimi regii culminis majeſtatis tuæ celebritate honorem tibi exhibituri venimus. Etenim, ornatiſſime rex, cum primum ſenatus noſter de obitu ſereniſſimi patris tui certior factus eſt, non mediocri ægritudine ac mœrore confectus, veterem progenitorum tuorum, et tuam erga ſe benivolentiam et amorem, et ſuam pariter in illos, et in te perpetuam obſervantiam reminiſcens, gravem animi dolorem moleſtiamque concepit, vicemque illius perinde ac debuit moleſte graviterque tulit, communemque ejus interitus calamitatem ſibi fore exiſtimavit. Qui ſane, ſi non longe abfuiſset, univerſuſque ad te ire potuiſset, quam lubentiſſime veniſset, coramque ſuum dolorem tibi declaraſset. quod cum minime facere potuerit, ut officio ſuo in parentem optimum, et benemeritum fungeretur, nos ad te oratores ex ordine ſuo, vices eorum acturos dimiſerunt. Dolet enim et vehementer angitur ſenatus noſter, et nos ſane pariter cum illo, talem ac tantum principem e vita ſublatum, cujus ſapientiam, prudentiam, memoriam in providendis rebus; fortitudinem, conſtantiam, magnanimitatem in aggrediendis, et per-

et perficiendis; modeſtiam, gravitatemque in gerendis, et administrandis; juſtitiam, fidem, caritatem, clementiam, magnificentiam in tractandis, et diſtribuendis; denique vitam, mores, inſtituta, et præcipuam religionem, quaſi quoddam refugium et receptaculum univerſi chriſtiani nominis fore opinabantur. Ad illum principes, nationes, reges de dubiis rebus, et communibus infortuniis conſulturi, de periculis opem laturi, undique tamquam ad quoddam oraculum, et communem parentem, patronumve confluebant. Quorum alios conſilio, aut ope juvabat, alios benignitate et clementia fovebat, nonnullos calamitate et miſeria levabat, neminem denique a ſe triſtem dimittebat. Sed, ut ceteras ejus præclariſſimas res geſtas, et ſingularia facinora omittam, ac divinam potius quam humanam ejus benignitatem et clementiam, quibus in omnes uſus eſt; regnum nonne hoc celeberrimum, ſeu temporum malignitate, ſeu alia quacumque ratione jam pridem attritum, ac penitus proſtratum, non minus humanitate et clementia, quam armis ad priſtinam gloriam dignitatemque reſtituit, et non modo reſtituit, ſed ad cælum uſque perduxit? ut a Carolo illo Magno, a Carolo, inquam, illo hujus ferme regni primo auctore, et non ſolum hujus regni, ſed multorum quoque regnorum domitore et domino, et demum imperii Romani jam pæne prolapſi et jacentis reſtitutore, et Romanæ eccleſiæ acerrimo tutore, ab illo, inquam, Carolo Magno, nemo illuſtriſſimorum progenitorum tuorum major, aut potentior, non modo meo, ſed multorum quoque judicio, Carolo patre tuo haberi, aut cenſeri debeat. Verum hæc, ſereniſſime rex, etſi tanta ſunt quanta humana ratio vix conſiderare queat, tamen minora longe exiſtimantur his quæ pro ſalute chriſtiani nominis ardore quodam et zelo religionis ſæpius geſsit, et meditatus eſt; quæ pro infidelium, Turcorum maxime, impugnatione, et expugnatione proſecutus eſt. Quæ ſane quanto communiora bona fuerunt, et ad chriſtianam religionem ſpectantia, tanto ampliora, pretioſiora, et illuſtriora merito ſunt exiſtimanda. Eugenium IV. Pontificem Maximum, avunculum meum, perpetuo ardore ſpurciſsimæ ſectæ nefandiſsimi Machometi delendæ, ac funditus ex univerſo orbe

tollendæ flagrantem; nonne ſæpius oratoribus ad illum miſsis non ſolum conſiliis, et auctoritate juvit, ſed auxiliis quoque impulit, irritavit, accendit? cujus ſane rei nos quoque teſtes ſumus. Nonne Nicolaum optimum illum quidem ſed mitem Pontificem, ſegnem torpentemque excitavit? Nonne Calliſtum Pontificem, ingentis ſpiritus virum, per ſe in ruinam Turcorum proclivem, ardentem, ac pæne præcipitem fecit? Quid illa quæ hac ferme tempeſtate Mantuæ per oratores ſuos univerſo orbe adſtante in conſpectu Pii Maximi Pontificis pollicitus eſt, ſi cetera obſcura eſsent, nonne luce meridiana clariora ſunt? Quid quod non minus, dum hoc apud Pontifices gereret, ceteros quoque chriſtianos principes, nationes, civitates, reges legationibus ſollicitavit, invitavit, induxit, provocavit, accendit, aut requiſitus facile obſecutus eſt? O admirabilem animi magnitudinem! o excelſum, ac pæne divinum animum! o ingentem fidei, ac chriſtianæ religionis ardorem! o chriſtianiſsimum principem! cujus ſane cognominis excellentiam ſi antehac illuſtriſsimorum progenitorum ſuorum ſeries propter illuſtria et præclara pro eccleſia, et chriſtiano nomine facinora non promeruiſset, hic ſane, hic, inquam, Carolus pater tuus mereri debuerat. Sed me dicendi impetus in vaſtum, et in immenſum pelagus rerum geſtarum illuſtriſsimi, et chriſtianiſsimi patris tui rapuit, et a cauſsis, et rationibus doloris et ægritudinis ſenatus noſtri ad univerſi pæne orbis rationem deduxit. ſtringam igitur, ſtringam orationem meam, et ad noſtra ſermonem convertam. Quanta erga ſenatum noſtrum, quanta ſemper humanitate et benivolentia uſus ſit, quantoque honore et dignatione eum proſecutus fuerit, non facile explicari poſset. Quamquam hæc non magis patris tui propria, quam multorum quoque progenitorum tuorum, et tui ipſius, ſereniſſime rex, communia ſunt. ſed de genitore tuo nunc ſermo eſt. Teſtis eſt dominus Ioannes de Mancii, qui ad nos orator miſsus pro rebus quibuſdam declarandis, quæ patris tui eſset mens, et qualis animus erga ſenatum noſtrum, patefecit. Teſtes ſunt dominus Ioannes de Ianbes, et ceteri oratores qui annos ab hinc duos legati ad nos profecti vetuſtiſſimam benivolentiam, et præcipuum amorem, qui ſemper

inter

inter chriſtianiſsimam domum tuam, et ſenatum noſtrum exſtitit, longa et luculenta oratione explicantes, amicitiam renovarunt, communicaruntque plura cum ſenatu noſtro, ex quibus quanta nos benivolentia, et dignatione proſequeretur, facile cognovimus. Teſtis eſt denique dominus Nicolaus Parvì, ſecretarius, et orator ejus; qui inter cetera ſenatum noſtrum ad reformationem chriſtianæ religionis, et Turcorum impugnationem invitavit. Hæc enim, ſereniſſime rex, maximi amoris et benivolentiæ, nec minus dignationis et honoris illuſtriſſimi patris tui erga ſenatum noſtrum ſigna fuerunt. Merito ergo ſenatus noſter, merito, inquam, mœrore ac dolore talis ac tanti defuncti regis confectus eſt; cujus interitu ipſe jacturam optimi, et ſui benivolentiſſimi principis paſſus eſt, et univerſum pæne orbem quaſi communem parentem patronumve amiſiſse cognoſcit. Quocirca, ſereniſſime rex, cum idem ſenatus noſter in hoc tuo graviſſimo et acerbiſsimo luctu, tuam majeſtatem nonnulla conſolatione * egere, ſtatueretque ſatius reticendum eſſe quam in ipſa conſolatione deficere, ne potius audacis quam benivoli et amici officio functus fuiſse argueretur; præterea cum divinam potius quam humanam ſapientiam tuam, eximiamque conſtantiam conſideraſſet, et in utramque fortunam te ſemper paratum, armatumque intelligeret, fruſtra id operis tui conſolandi a ſe, et a quoquo alio ſuſcipi arbitratus eſt, facileque tete ipſum tibi medicinam attuliſſe ſperavit; cogitaſſeque homines nos ea lege natos eſſe, ut non modo quandoque moriendum ſit, ſed etiam ut omnibus telis fortunæ propoſiti eſſemus, neque recuſare debeamus quin ea qua nati ſumus conditione vivamus, neque tam graviter eos caſus feramus quos nullo pacto vitare poſsimus, vel aliorum quoque ſimilibus caſibus conſideratis nihil novi nobis accidiſse putemus. Sed neque hæ, neque ceteræ conſolationes quæ ſolent a ſapientiſsimis viris uſurpari, memoriæve quæ literis proditæ ſunt, tantum te, chriſtianiſſime rex, conſolari potuerunt, vel poſsunt, ſenatus quoque noſtri mœrorem doloremque minuerunt, quantum quod propter præclariſſimas geſtas res, eximiaſque virtutes clariſsimi patris tui, non modo illum non exſtinctum eſse, ſed quotidie magis magiſque inter ora hominum verſatum iri

certo ſcit; ſemperque honos nomenque tuum, laudeſque manebunt, et cuicumque ſcriptorum ampliſſima copia et facultas ſuppetet divinas illius virtutes, et clariſſimas pace et bello geſtas res literis, et immortalibus monumentis mandare. Illud autem quod maxime ſenatus noſtri deſiderium patris tui, mœroremque obitus ejus non modo minuit, ſed penitus etiam ferme delevit, et non modo delevit, ſed in ſummum gaudium lætitiamque convertit, illud, inquam, fuit, chriſtianiſſime rex, quod tu in demortui patris tui locum, ut æquum et par fuerat, ſucceſseris; ſed quodammodo, etiamſi non ordine ſucceſſionis ad hoc regium culmen pervenire debuiſses, tamen univerſi ordines prælatorum, principum, et populorum hujus tui ampliſſimi regni te impulſuri, immo vi ad regnum capeſſendum attracturi fuiſse viderentur. nec injuria ſane; tanta eſt enim magnitudo tuarum illuſtrium, ac pæne divinarum virtutum, ut non modo qui te norint, ſed univerſi etiam qui te audiunt, te intueri, te cognoſcere, et quaſi parentem, vel dominum habere deſiderent. Quæ cum ita ſint, quamquam cum præclariſſimis virtutibus tuis, et maximis geſtis rebus, tum animi, et fortunæ dotibus ita inſignitus ſis, ut nihil ad tuam perfectam, cumulatamque gloriam addi poſse crediderim, peto tamen a majeſtate tua, clementiſſime princeps, ut æquo animo patiaris nonnulla ex innumerabilibus maximiſque virtutibus tuis non dico enarrare (neque enim dies ſufficeret) ſed percurrere: quæ ſi non decori et ſplendori tuo quidquam, nobis tamen ea repetentibus, tum his ampliſſimis et præſtantiſſimis viris non mediocrem voluptatem allatura ſunt. Equidem ſic exiſtimo, reverendiſſimi patres, illuſtres domini, ceterique clariſſimi viri, regem fide, innocentia, atque in primis religione præditum eſse oportere: deinde fortem, juſtum, gravem, magnanimum, liberalem, prudentem, modeſtum; quæ omnia ita ſumma eſse in hoc Ludovico ſereniſſimo rege accepimus, ut ea ab ineunte ætate, et ab ipſis incunabulis pariter cum lacte nutricis ſuxiſse appareat, atque in animo et pectore ejus, tamquam in ſacrario quodam et ornatiſſimo templo, inſidere videantur. Etenim, ut ad nos delatum eſt, quis illo integrior, aut modeſtior? quippe qui a pue-

puerilibus ludis, ac pæne teneris unguiculis excedens, effigiem ipſam innocentiæ, et gravitatis expreſſit: qui in adoleſcentia ab omnibus laſciviis, libidinibus; in reliqua ætate ab omni cupiditate, ambitione, luxu ſenſus omnes, oculos, manum, animumque retraxit. Quid dicam de excelſi animi ejus magnitudine ac robore? qui cum primum ſibi per ætatem licuit, in ipſo primordio juventæ, ne dicam adoleſcentiæ, milites cogere, ductare exercitus ſatagebat; deinde ſi quando opus eſſet, quanta prudentia, et magnanimitate hoſtem provocare, aciem ſtruere, prælium conſerere, vel receptui imperans commode pedem referre, gradum ſiſtere, locum caſtrorum deligere, metare caſtra, procurare exercitui neceſſaria, vigilando, equitando: die noctuque providere ne quod detrimentum exercitus pateretur: diſciplinam militarem coërcere, delinquentes pro delicti conditione acrius, leviuſve punire: omnia denique non ſolum imperatoris optimi, ſed ſtrenui quoque militis officia exercere. Iam vero quanta providentia conſilia hoſtium præripiebat? ut prius illum eorum commenta intellexiſse quam ferme ſe decreviſse cognoſcerent. Tua induſtria, tuis operibus, magnanime rex, ſæpius patrem tuum maximis laboribus, et graviſsimis periculis liberaſti: non injuria quidem non minus tibi quam illi in expeditionibus quas pro tutela, et inſtauratione regni ſuſcipiebat, tributum eſt. Quid in ceteris rebus animi magnitudinem tuam, prudentiam, modeſtiamve declarem? quæ etſi innumerabilia ſunt, et præclara illa quidem per ſe ſe, tamen cum his comparata minora fortaſsis viderentur. Iam vero quid de benignitate et clementia, et ceteris hujuſmodi virtutibus tuis diſſeram? quæ ſi hactenus in te dubiæ, aut obſcuræ fuiſsent, in hoc primordio regni tui ſatis declaraſti quis fueris, et qualis futurus ſis; quippe qui æmulis etiam tuis aut ultro peperciſti, aut appellatus facile gratiam reddidiſti: quam beneficus in cunctos fueris, quam benignus: ut amicos a te ſuffragia et auxilia petentes non modo calamitatibus levaris, juveris, defenderis, ſed ultro etiam pro ſingulari clementia, et animi magnitudine tua aut opem præſtiteris, aut præſtiturum pollicitus ſis. cujus ſane rei ſenatus noſter locupletiſſimus teſtis eſt. Nam bello quo adverſum nos illuſtriſ-

luſtriſſimus Franciſcus Sfortia dux Mediolani gerebat, ob vetuſtiſſimam, perpetuamque progenitorum tuorum, et tuam erga nos benivolentiam et caritatem, te in auxilium opemque noſtram cum ingenti exercitu venturum ſpopondiſti: idque nobis tuo nomine illuſtris marchio Montisferrati ſignificavit. Quæ res cum nobis quam gratiſſima fuiſset, cum primum opportunum tempus cognovimus, ad majeſtatem tuam nobiliſſimum virum Franciſcum Venerium oratorem miſimus, qui te in auxilium opemque noſtram, ut pro tua ſingulari in nos benivolentia et caritate promiſeras, invitaret. Hoc loco quibus verbis, aut qua voce, aut quo ordine humaniſſima et benivolentiſsima reſponſa tua referam, sereniſsime rex? Exſtant literæ ipſius oratoris noſtri, quibus ſenatui noſtro ſignificavit, te non minus quam patronum et parentem ejus, auxilia alias oblata obtuliſse, et tunc quoque quam lubentiſsime allaturum. O ingentis ſpiritus virum! o magnam, inauditamque clementiam! o immenſam, ac pæne divinam caritatem! Quæ quidem eo explicavi non magis ut beneficentiam, et clementiam tuam in omnes oſtenderem, quam ut ingentem amorem, et præcipuam caritatem tuam erga ſenatum noſtrum declararem, atque etiam ut ea de cauſſa nomine ſenatus noſtri tibi gratias immortales agam et habeam, perpetuoque ſenatum noſtrum tuæ majeſtati devinctum obnoxiumque futurum cognoſcas. Sed ea res tunc pace ſecuta intermiſsa eſt. Verum ut ad reliqua progrediar, quid religionem tuam maximam commemorem? intellexi quanto ardore in honorem eccleſiæ Dei, ac chriſtiani nominis ſemper ſollicitus fueris, quanto deſiderio Turcos impetendos, delendos, et ſpurciſsimam nefandiſsimi Machometi ſectam penitus exterminandam concupieris. uſque adeo ut ea quæ a patre tuo chriſtianiſsimo principe ferventer, et chriſtiane ſæpius apud Pontifices Romanos, et alios principes orbis agitata fuerant, tuo quoque conſilio, et ſuaſione vel cum ſemotus a patre, tua etiam induſtria tractata, et ſollicitata fuiſse non dubitetur. Ex qua ſane ſola re ſicut et ceteri progenitores tui, ita et tu perpetuam et immortalem gloriam conſequeris. Iure igitur ſenatus noſter obitu ſereniſſimi patris tui mœrorem doloremque conceptum non modo minuit, ſed in ſummum gaudium, et ingen-

gentem lætitiam tua aſſumtione convertit : qui te non diſſimilem illuſtriſsimis progenitoribus tuis, et patri tuo clariſſimo principi, immo longe præſtantiorem futurum confidit: qui a parentibus et virtutum imitationes, et regni potentiam, et ſingulares, ac pæne divinas proprias virtutes habeas; ut tu non minus tuæ clariſſimæ et celeberrimæ domui, quam ipſa tibi ſplendoris et gloriæ allatura eſſe videatur. Exemplis ergo tuorum præclariſsimorum progenitorum, et Caroli Magni, immo maximi, excellentiſsimis virtutibus invitatus, ſequere maxima bona tuæ præſtantiſſimæ naturæ: juſtitiam cole, pietatem, fidem, ſpem, caritatem, et ante omnia religionem, nec in hac inferior eſse velis ullis excellentiſsimis tuis progenitoribus: ſed ſicut vel pares, vel potius majores virtutes habes, et ſimiliter regni vires, ita majora facito pro nomine chriſtiano, et imitare Carolum Magnum, vel evince potius; hæc enim apud homines maximum et immortalem, apud Deum gratiſsimum efficient. Gratulamur ergo tibi, ſereniſsime rex, nomine ſenatus noſtri, de aſsumtione tua digniſsima: gratulamur regno tuo: gratulamur eccleſiæ Dei, et univerſo nomini chriſtiano. Gaudeamus ergo omnes in Domino diem feſtum celebrantes in honorem hujus Ludovici ſereniſsimi regis, de cujus aſsumtione gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei: lætitia noſtra ſit nota vobis omnibus, reverendiſsimi patres, illuſtres domini, ceterique clariſsimi viri, tibique in primis, chriſtianiſsime rex. Poſtremo ut intelligas, ſereniſsime rex, qualem erga te animum ſenatus noſter gerat, venimus ut te, quoad ejus fieri poteſt, quam maxime honore afficeremus, et ut in laudem et gloriam tuam alios quoque accenderemus pro tuis præſtantiſsimis virtutibus. Honor enim, ut a ſapientiſsimis viris diffinitur, eſt exhibitio reverentiæ in ſignum virtutis. Qua tua excellentiſsima virtute accenſi tibi honorem et venerationem nomine ſenatus noſtri afferimus, ſi quid tamen ſenatus noſter honoris et gloriæ tuæ majeſtati afferre poteſt; ſed quiſquis, aut quantuſcumque is ſit, aliorum ſit judicium: ab optimo certe, et deditiſsimo animo ſenatus noſtri erga majeſtatem tuam proficiſcitur. In calce demum orationis meæ tuæ majeſtati, humaniſsime rex, nomine ſenatus

tus noſtri tamquam tui deditiſſimi et obſervantiſſimi fortunas omnes, dominatum, et quidquid juris aut ditionis ejus eſt, qualiacumque et quantacumque illa ſint pro dignitate et amplitudine tuæ regiæ majeſtatis offerimus. Et ne aut ignari, aut ingrati omnino videamur eorum quæ per ſerenitatem tuam erga nos facta ſunt, non ab re nobis viſum eſt, magnanime rex, tuæ majeſtati gratias quantas maxime poſsumus agere pro eximiis et excellentiſſimis honoribus nomine tuo, et in gratiam tuam nobis collatis. Nam per Deum immortalem, nihil ornatius, nihil illuſtrius, nihil ſplendidius fieri potuit quam quod a majeſtate tua, et a tuis erga nos ſuſcipiendos, et ornandos factum eſt; ut facile appareat, quæcumque in nos contuliſti, non ſolum a magnificentiſſimo, et illuſtriſſimo rege profecta fuiſse, ſed ab eo rege ſane, qui ſi non eſset, facile omnium ſupremus haberetur. Itaque iterum tuæ majeſtati gratias ingentes quantas pro virili noſtra maxime poſſimus, agimus; referre tamen nequaquam valemus. quod ipſum etiam agere a nobis nullatenus fieri poſse exiſtimarem, niſi nos dignitas, et auctoritas ſenatus noſtri aliquantulum recrearet, cui hæc a ſerenitate tua per nos impenſa, et impendi cognoſcimus: qui profecto ſi non pares, ſaltem perpetuo habere, et referre gratias tuæ majeſtati poterit, et magnitudini honorum et ornamentorum tuorum in ſe collatorum, crebra gratiarum relatione aliqua ex parte reſpondere.

BER.

BERNARDI IVSTINIANI
PATRICII VENETI,
qui Laurentii viri ſanctiſsimi fratris filius fuit,

AD LVDOVICVM XI.
Caroli Victoris filium, Galliæ regem

ORATIO
Habita Turoni, anno a partu Virginis MCCCCLXII. VIII. Idus Ianuarias

FESTO DIE EPIPHANIAE DOMINI.

cum a rege, militiæ, ſeu equeſtris ordinis inſignibus ornatus eſſet.

SVſceptis a te, glorioſiſſime Rex, militaris honoris inſignibus, ſentio quam ſit officii oſtendere tibi gratitudinem animi mei, quem pietatis erga me tuæ certiſſimo teſtimonio devinxiſti. Nam cum id honoris non velut rex, ſed ut pater; non velut ſervo, ſed ut filio tribueris; quo pacto poſſum hoc commune gratiarum officium prætermittere, niſi ſummæ ingratitudinis reus et eſse velim, et haberi? Omitto enim, dignitas ipſa militiæ quanta ſit, quæ a ſacris Imperatoribus inſtituta, legibus confirmata, præcipuis inſignibus, et privilegiis donata eſt, ut in hujuſmodi munere legitimum

quoddam teſtimonium virtutis appareat: omitto præterea, tu quantus es qui detuliſti; quippe ſi regnum intueor, regum omnium maximus; ſi opes, opulentiſſimus; ſi virtutem, optimus; ſi religionem, chriſtianiſsimus; ſi denique ſimul omnia, glorioſiſsimus; adeo ut quidquid umquam ſummus Deus in terris, aut multis ſæculis in uno principe, aut multis principibus in uno ſæculo contulit, id omne in te unum vel naturæ, vel fortunæ, vel gratiæ cumulata felicitate congeſſerit; magnum profecto aliquid humano generi promittens. Omnia igitur hæc quo majora ſunt, eo plus debeo: quo plus debeo, ſane eo magis ſilere non debeo; niſi quod de omnibus excellentiſsimis tuis laudibus dicere neque hujus temporis eſt, neque loci; aliud enim eſt laudare, aliud gratias agere. diſtincta officia, diverſæ rationes. Illi qui laudant, per omnia exſpatiari debent et excurrere, ut his diebus fecit vir clariſſimus, et eloquentiſſimus Paullus Barbus collega meus, qui de tuis laudibus univerſis pro munere legationis luculentam et ampliſſimam, atque te rege dignam habuit orationem: mihi vero illud unum relictum eſt ut ea ſolum attingam quæ ſponte ſua veniant gratiarum officio reſpondentia; non velut exarata, ac longius accerſita. Quid igitur? militareſne tuas laudes exſequar, quia me militem feciſti? an potius humanitatem, facilitatem, comitatem, per quas feciſti? Nempe imperatoria tua virtus, quamquam omnium linguis, omnium literis prædicanda, æquo tamen animo patiatur neceſse eſt, ſi, ea omiſsa, de humanitate nunc loquar, cui plus ſum obligatus. Neque enim fortitudo tua me militem fecit, ſed humanitas. illa ſiquidem me nudius quintus ad hoc munus invitavit: illa cunctantem impulit: illa denique hodie ornatiorem reddidit et clariorem. Fuit enim hoc primum egregiæ humanitatis tuæ ut prævenires quem amas honoris officio, non ut peteret, exſpectares. quam pulcrum autem hoc, et vere regium! Nam ſi laus illa judicatur, conferre petenti opem; quid ſi ultro ſola virtute ductus non tam petenti quam bene merenti tribueris? Ergo, inquies tu, aut de me, aut de virtute benemeritus? non equidem id dico. utinam autem dicere poſsem. Sed de virtute dicam aliquid alio loco; et ita dicam, ut te fortaſse

mu-

muneris tui non pigeat: de te autem, optime princeps, bene mereri qui potui? privatus ego de rege maximo; deque eo quem umquam antea non vidiſsem? Ne te tamen pœniteat, dicere illud libet, clariſſimorum regum eum morem fuiſse ut rogare alios mallent ut acciperent, quam ipſi ab aliis rogarentur ut darent. Archelaus enim rex, unus ex Alexandri ducibus, cum ſolemne convivium paraviſset, ignobilis quidam poëta ſcyphum aureum quo rex utebatur, dono petivit, rex, quamquam moveretur hominis impudentia, juſſit tamen aliquid illi dari; ſcyphum autem tradidit Euripidi poëtæ nobili, qui ſeorſum ſtabat, et nihil petebat. *Accipe*, inquit, *hunc ſcyphum tu pro ingenio, et modeſtia tua*. Sapienter quidem Archelaus, et ingenue, qui regium exiſtimavit et petenti dare aliquid, et bene merentem ut peteret, non exſpectare. Sed eritne illi poculo ſua laus: honori tuo, Ludovice, non erit? et memoriam tot ſæculorum Archelai ſcyphus merebitur: Ludovici dona militaria tam clara, tam illuſtria, oblivione interire patiemur? Quid Alexander ipſe? nam cum, ut erat benigniſſimus, largiter amicos honeſtaret, queſtus Serapion amicus eſt, ſe præteriri. *Tua culpa*, inquit Alexander, *quia tu me non petis*. cum autem poſtridie pila luderet, et Serapion pilam non mitteret ad eum, *quid*, inquit Alexander, *mihi pilam non mittis? Tua culpa*, inquit Serapion, *quia tu me non petis*. Erubuit Alexander commotus hominis argutia: ultus autem nihil ultra eſt, quam ut eum ſtatim magnis honoribus afficeret. Quod ſi erubuiſse, interdum videretur tam gratum, et laudabile; quale factum tuum, Ludovice, cenſebimus, qui nihil geſſiſti quod te pœniteret? Sed tædet, amplius peregrinis exemplis uti; præſertim cum ad Carolos, Pipinos, Ludovicoſque tuos mentem animumque refero; qui omnes literas, et hiſtorias, omnem denique terrarum orbem virtutum omnium gloria repleverunt: qui non minus humanitate, comitate, munificentia, quæ propriæ videntur eſse Francorum regum nominis, et ſanguinis, non minus, inquam, his artibus, quam enſe, aut haſta imperium pæne terrarum, et æternitatem nominis conſecuti ſunt. Hos tu non æmularis, ſed vincis; non ſequeris, ſed antecellis. Teſtes citarem hanc princi-

pum multitudinem quæ te circumſtat, niſi vererer ne muneribus tuis irretiti a teſtimonio prohiberentur. quod ſi ita eſt; cauſsa noſtra victa eſt: ſi tam late patent beneficia tua, ut nemo reperiatur a tuis largitionibus immunis. At quemadmodum invitaviſti? qua oris gratia? qua ſuavitate verborum? Quam novum autem erat videre, regem orare, ſervulum deprecari! O admirabilem humanitatem! qui jubere poteſt, orat; qui parere debet, negat. et quid illud? ſuſcipere honorem. Quis hoc crederet? poteratne honore melior dari res, aut optabilior deſiderari? cur tamen ita facerem, dicam paullo poſt. Sed tu regiæ majeſtatis oblitus, paternæ pietatis memor, compellas me nomine: Cardinalium corona cinctus et principum, accedo propius: oras me: non eſt ſatis; obſecras: ne id quidem ſatis eſt. eloquarne, an ſileam quod ſupereſt? eloqui ſuppudet: ſilere nefas eſt. ſcilicet quia durior exſtiterim, te tuo merito et gloria fraudari. obteſtaris igitur per amorem tuum; biſque aperto capite in gratiam ſingularem a ſervulo tuo petiviſti. O incredibilem manſuetudinem, et vix retro ſæculis auditam! Quid tunc ego? prorſus obmutui. tu ſcis, optime rex. Atque dum aſsentiri nondum etiam bene poſsum, hæſito: dum negare amplius non audeo, cedo. Quid enim agerem? patrine, et regi, et obteſtanti, et in conſpectu tantorum principum tanto deſiderio flagitanti refragarer? Itaque viciſti, optime rex, deque ſubacto tibi animo nobilem humanitatis triumphum retuliſti. Hæc nudius quintus. quid hodie? aſpice hæc principum lumina, aſpice legationes honeſtiſſimas ex omni pæne terrarum orbe, quas omnes adeſse voluiſti: nonne hunc tuum honorem per ſe ſe clariſſimum, his tamen quaſi ſtellis illuſtriorem ſplendidioremque feciſti? Elegiſti denique, ut nihil abforet, hujus diei regalem ſanctamque lætitiam, ut vel quia *ſtellæ dies* dicitur, vel quia *regum*, vel quia *luminis*, aptior certe dies deligi nulla potuerit. Viſne autem animi tui magnitudinem brevi complectar? nam cum duo ſint dandi beneficii genera; alterum, ut petenti tribuas, alterum, ut non petenti; non petenti quidem tribuere, liberæ voluntatis videtur eſse: petenti vero, neceſſitatis. et præſertim in rege, a cujus facie Titus Veſpaſiani judicavit,

vit, neminem triſtem oportere diſcedere. perſolvit enim, non donat quod præſtare ſponte debuit: coactus precibus dedit. Illud igitur eſt regii, illud eſt magni, Francique animi (libet enim verbis ad rem accommodatis uti) illud denique eſt ſuperbæ nobiliſque virtutis proprium, porrigere ultro beneficia, conferre honores, dare dignitates, invitare, rogare, provocare omnes, et allicere gratia. O te vere regem, qui hæc facis! felicem, ſi perſeveras! Sine, inquam, ſine ut alii rogentur; tu roga: ut alii vendant; tu dona: alii denique humanas virtutes ſequantur; tu divinas æmulare; cujus bonitas ex utriuſque philoſophiæ, tam ſæcularis, quam ſacræ ſcientia, non tam in cælo, mari, montibuſque fabricandis, quam in communicandis mortalium generi naturæ donis elucet. Sed, ut debitum meum recognoſcam, libet illud quærere, pluſne, an minus tibi debeam quam ſi petiviſsem. equidem non negabo debitum, neque minuam: ſi re non poſsum, fide ſatisfaciam. Dico, et audacter dico, plus me tibi debere quam ſi rogaviſsem. Quid ita? niſi quia ſi petiiſsem, dediſses fortaſſe precibus meis, non mihi; nec tam dediſses quia dare placuiſset, quam quia quaſi coëgiſsem. Nunc autem dediſti mihi cum non rogatus tribuiſti, et ex animo dediſti tuo, non meo; et quidquid illud eſt quod feciſti, totum profectum eſt a puriſſimo judicio tuo. Sed quid notaſti, optime rex, cur ita judicares? quid noſti? Audi quot mihi ſuccurrunt, ut intelligas, ſapientiam tuam non minus aptam nobis eſse qui fruimur, quam tibi ſit qui cogitaſti. Primum, ut opinor, referre aliquid exiſtimaſti illuſtriſsimo principi noſtro. meminiſtine quid primo congreſsu noſtro gratiſſime tetigeris? veniſse nos ab Hadriatico mari ad Oceani uſque litora: hiemis inclementiam neglexiſse: præruptos Alpium ſaltus ſuperaſse: totius pæne Europæ vaſtiſſima ſpatia percurriſse; ut quam perceperat de ſuſcepto a te regno lætitiam, ſignificaret. Putaſti itaque fore aliquod amoris tui ſignum, ſi legatum ſuum honeſtares, et ornatiorem remitteres quam ad te veniſset. Quamquam, humaniſſime rex, ſi de tuis officiis loqui velimus, tantis nos honoribus ſuſcepiſti, ſic in deliciis tuis habuiſti, atque habes, ut paternus ille amor, et vera pietas, qua clariſſimi tui majores multis in rebus et

bel-

bello et pace geſtis duces noſtros proſecuti ſunt, non ſolum confirmata, verum etiam duplicata eſse videatur. Ceterum hujus temporis non eſt de his rebus gratias referre; erit aliquando fortaſse. redeo nunc ad ſapientiam tuam. Advertiſti ſecundo loco incredibilem meam erga te fidem, obſervantiam, reverentiam, devotionem: cujus gloriam et amplitudinem cum me optare, atque adeo ardere intelligeres, voluiſti ut exteriora quoque inſignia mentis habitum teſtarentur. Poſtremo, quid ſi me etiam non indignum honore judicaſti? Video equidem, me in lubrico pedem ponere; neque enim te falli, prorſus mihi dicere fas eſt ſine tui muneris injuria: et utinam præſtare poſſim eam dignitatem quam credidiſti deceptus amore. habes tamen ſervulum (hoc unum ſine invidia profiteri poſsum) amantem, virtutis aſsequentem, avidum bonorum morum, utinam bene moratum, præſtantium virorum veſtigiis vel cupide incedentem, vel incedere cupientem. cetera de me dicere pudor vetat: atque quis ſim, et ex quibus, et quid ulla ratione valeam, nec memorare volo, nec meminiſſe. Sed quia modeſtiæ ſemper appetens fui, vereor ne forte geſſiſſe me videar illiberalius, qui ſumere hæc inſignia dubitavi, quaſi contemnerem. Sed non eſt ita, non eſt. An enim, ſi ad honorem ſpectarem, majorem pæne potui conſequi, quam a tali tantoque principe ſuis inſignibus honeſtari, quem duces colunt, principes venerantur, reges honorant? Sed alia me ratio movebat, quam audias velim. eam, ut opinor, pro tua ſumma ſapientia non improbabis. Equidem, præclariſſime rex, ſemper exiſtimavi, magnis atque præſtantibus viris virtute potius et operum dignitate, quam quibuſvis aliis ornamentis, ad claritudinem nominis contendendum. Id cum priſcos illos heroas factitaſſe et legeram, et audieram, tum majores quoque meos videram idem ſenſiſſe, et præcipue Leonardum patrem, qui quamquam ſummos omnes patriæ noſtræ magiſtratus honoreſque geſſiſſet, his tamen ornamentis abſtinuit; quæ pro ſua ſumma virtute facile adeptus eſſet. Quo factum eſt ut cum legatus ad ſereniſſimum Romanorum Imperatorem proficiſcerer, atque ille princeps conſpicatus in me neſcio quid, et militiæ, et doctrinæ honore inſignire cu-

pe-

peret, recuſarem exemplo paterno, memor a ſapiente dictum: *Ne transgrediaris terminos quos patres tui poſuerunt tibi*. Idem etiam hoc triennio et ab Summo Pontifice, et ab illuſtriſſimo Siciliæ rege, legatus cum eſsem, rogatus, abnui. prorſus non ſine rubore quodam, qui tantorum principum honores mihi tam humaniter oblatos contemnere viderer; niſi quod ad alium principem me mea fata ſervabant. Ecce enim quarto nunc, benigniſſime princeps, invitatus a te, ſubſtiti primum cunctabundus; et erravi fortaſse, qui continuo non parui: ſed, ut es humaniſſimus, ignoſces petenti veniam. Quamquam profecto tu mihi quoque debes aliquid, ſi erravi. vide quouſque progreditur mea tecum loquendi libertas! niſi enim aliquantulum ſubſtitiſsem, ubi illa dulcis appellatio tua, ubi comitas illa, ubi illa vultus, oris amœnitas? profecto niſi ſubdubitaviſsem, tu tam perfectæ, gratæque virtutis opus non edidiſses. Sed, ut ad me redeam, allectus humanitate tua, non parere certe non debui. Quid enim? potuine, cum clariſſimus omnium rex, bello invictus, religione ſanctus, principis mei auctoritate pater, amore frater, ſapiens, juſtus, magnanimus, honore ſuo donare me cuperet, recuſare? potuine benigniſſimam illam appellationem, quæ paternam potius, quam regiam præſeferebat imaginem, non audire, atque ei humiliter obtemperare? potuine hanc tam claram, tam nobilem, tam illuſtrem militum ſocietatem, atque hanc coronam, aut florum inſtar, aut ſiderum, cum in eorum numerum adſcriberer, contemta ſui principis auctoritate, repudiare? Ego vero non potui, non tuli. Suſcepi venerabundus inſignia tua: geſtabo illa, et me geſtare gloriabor; non tam elatus hoc aureo enſe, aureiſque calcaribus, quæ quidem ipſa contemnenda non ſunt; quam quod a te omnium regum longe clariſſimo, et chriſtianiſſimo in militiam fortaſse aliquando aliquam pietatis religioniſque plenam ipſe quoque vocabor et accingar. neſcio an quia cupiat animus, ſic divinet: aut quia ſic divinet, ita cupiat. Sed jam arma neſcio quæ mente proſpicio, ſancta, chriſtiana, ſalutaria, in quibus ut tecum vincam vel ultimo ſpiritu depaciſcar. Quæ cum ita ſint, quid tibi rependam, optime pater, aut quid pro eximia erga me pietate tua

tibi

tibi gratiæ referam ? urbes non poſſum; non poſſum populos; non dare imperium, non augere: cetera autem minora ſunt quam ut digna reputes tua magnitudine. O fortunatum te, qui quod non poſſum, tu non deſideras! quod quia tu non deſideras, es fortunatus; contentuſque ſola benefactorum tuorum gloria, cetera negligis. Quamquam ſi velim, optime rex, debito jam ſum ſolutus. audi, ſi forte dubitas, ſapientiſſimi philoſophi ſententiam: *Reddidit beneficium qui libenter debet*. quis autem debuit umquam libentius quam ego tibi ? vellem ſic videres animum meum, quemadmodum vultum, et oculos loquentis intueris; profecto intelligeres, in te tuamque gloriam totum eſſe transfuſum. Sed ne hoc pacto eludere debitum videar, et non debere velle, debendo; certe ſi gratias referre non poſſum, habere poſſum, atque habeo et maximas, et uberrimas: hoc enim, nec ipſa quidem fortuna, quæ potentiſſima diceris, mihi potes eripere. Ecce animum meum tibi dedico, quo nihil habeo pretioſius; eum tuis mandatis addico, tuæ gloriæ præconiiſque conſecro: jam vota pro te facere incipio novus miles, quam bene, ſancte Deus, convenientia vel tuæ gloriæ, vel huic muneri, vel meæ pietati! vis ſcire quæ vota ? equidem dicam: et vide pro tua ſapientia, an alia pro te fieri poſſint gratiora Deo, optabiliora orbi terrarum, tibi, poſteriſque tuis glorioſiora. Verte, ſi libet, paullulum in Orientem oculos; videſne illam truculentam, immanemque feram, quid vaſtitatis fecerit, facturaque ſit ? videſne ut, pervagata, direptaque Aſia, quatuor regum ſpoliis onuſta, Europam repetat irarum, minarumque plena ? Tibi debetur illa victima: tuum, inquam, venabulum exſpectat. Francorum regum proprium, et quaſi fatale eſt, pro Chriſti nomine cum hujuſmodi belluis decertare. Quis enim Pipinum memorabilem fecit, niſi Longobardus hæreticus ? quis Magnum fecit Carolum, niſi Saracenus in Hiſpaniis, apud Papiam Deſiderius, in Oriente Sultanus ? Quis Gothifredum, aut Balduinum, aut Vgonem, niſi Corbonanam Perſa ? quis denique Philippum, niſi Saladinus ? qui ſi quod fecerat perfeciſſet, aurata hodie lilia ſuperbis Carrarum turribus explicata volitarent. Non injuria igitur in te omnium oculi, omnium

ora

ora converſa ſunt. canentem prophetam audiſti hodie: *Regnum in manu tua, et poteſtas, et imperium*. accipe omen, rex fortiſſime. Tibi virtus, tibi opes, tibi copiæ, equitatus invictus, ætas præterea florens, et in armis acta, auctoritas tanta quantam res tanta deſiderat. duellum hoc omnium glorioſiſſimum quæ umquam ſol vidit, Dominus noſter IESVS CHRISTVS tibi reſervavit: ut ſi gloria tangeris, quod omnes prædicant, et tu diſſimulare non potes, barbarus ille glorioſum te faciat, neceſſe eſt. Sed finis ſit, ne quid aliud nunc agere velle videar. duo modo hæc opto, ſuppliciterque Deum precor: alterum, ut prius quam moriar, vinctum illum catenatumque ante quadrigas tuas in triumphi ſpeciem deferri videam: alterum, ut poſtea quam militare hoc munus ſuſcepi, corporis ſpirituſque mei quidquid eſt, quod ipſum tenue exiguumque eſt, id omne tecum in aliqua ſancta militia, vel opera, vel conſilio, vel manu, vel lingua exponere mihi liceat.



PETRI CONTARENI,

ADORNI FILII,

PATRICII VENETI,

IN FUNERE

MARCI CORNELII,

Equitis magnanimi, et Senatoris clariſſimi, qui pater fuit Catharinæ Corneliæ Cypri Reginæ

ORATIO

Habita Venetiis in æde Sanctorum Apoſtolorum anno Salutis M. CCCC. LXXVIIII. VI. Kalendas Septembris.

LVCTVOSA dies iſta, ſereniſſime Princeps, reverende Præſul, magnifici Oratores, Patres clariſſimi, voſque mœſtiſſimi et afflictiſſimi cives, in qua equeſtre decus, ſenatorium lumen exſtinctum eſſe videmus, cujuſpiam eloquentiſſimi, et conſtantiſſimi viri ingenium deſiderare videtur, qui in laudibus celebrandis, eloquentiæ officium, et dolore tolerando, conſtantiæ cumulate præſtaret. quorum neutrum vobis audeo polliceri: non eſt enim in me ea ingenii, ea dicendi exercitatio, ut exiſtimem, tanti viri ſingulares, admirandaſque virtutes ſatis pro dignitate complecti poſſe; quæ etiam ſi eſſet, impediret illati vulneris atrocitas; ſiquidem non poſsem in illius acerbiſſimo funere quem ſemper colui et obſervavi, cujus in

in me beneficia, in patriam merita innumerabilia ſemper fuiſſe cognovi, niſi vehementer perturbari, et veriſſima certiſſimaque doloris ſigna præ me ferre; præſertim cum mihi ſit ante oculos mœſtiſſima iſta veſtrorum omnium exſpectatio. Quem enim non moveret tuus, sereniſſime princeps, mœrens aſpectus; veſtra, clariſſimi patres, afflictiſsima ora? quem non concuterent tui, Georgi fili pientiſsime, abundantiſsimi illi lacrimarum fontes? veſtra, mitiſsimi generi, et nepotes, crebra ſuſpiria? cui denique omnes dicendi vires non adimeret totius urbis luctus, et ſqualor? Non poſsem, patres optimi, (ne vobis abſcondam imbecillitatem meam) inter tot gemitus longius orando progredi, niſi me parumper colligens tacite conſiderarem, unicuique noſtrum conſolationi eſse futurum ſupremum hoc laudationis munus, quod pro majorum inſtituto, pro veſtra animi gratitudine demonſtranda, mihi ſuſcipiendum curaſtis. Leniet profecto, et aliquantulum mitigabit doloris amaritudinem dulciſsima illius laudum recordatio, quas benigne audituri huc frequentes conveniſtis. Quamobrem comprimite lacrimas, ſedate ſuſpiria, et me jam de patria, de genere, de moribus dicere aggredientem, pacato vultu intuemini, ne in dolorem veſtro gemitu revocatum, crebris ſingultibus orationem interrumpere cogatis. Incepturus a patria, poſsem multa, et omnia quidem præclara, de hujus urbis ſitu, templorum domorumque magnificentia, navalium ſuperbia, opum copia, imperii latitudine, populi virtute, ſenatorum integritate, civium concordia in medium afferre; ſed ne mihi objici poſſit, patriæ affectu longius æquo eſse provectum, unum dumtaxat perſtringere conſtitui, quod eſt ipſa religio, qua nihil ſanctius in hac urbe habetur, nihil ornatius colitur, nihil diligentius obſervatur. Teſtes ſunt frequentiſſimæ cærimoniæ, ditiſsima antiſtitum ornamenta, ſanctorum oſsa toto orbe quæſita. Sed locupletius reddunt teſtimonium graviſsima bella pro ea tutanda ſæpiſsime ſuſcepta. Repetite memoria, ut a majoribus in Syria pro ſacroſancto IESV Optimi Maximi ſepulcro fuerit acerrime pugnatum: repetite memoria, ut Federici Cæſaris impetus Alexandro Summo Pontifici inſultantis, victricibus armis fuerit repreſsus: repetite memoria, quibus

impenſis, quanto ſanguine Maumethica rabies ab univerſa Italia, et ovili dominico fuerit rejecta; ſuperiori potiſsimum bello, quod ſex et decem annis cum Maumethe Turcorum rege eſt aſperrime geſtum. Quod ſi Romani tam ſibi glorioſum putavere, quod decem principum filios tantum augendarum cærimoniarum cauſsa in ſingulas Etruriæ civitates miſere: veſtrum eſt cogitare, viri præſtantes, quæ poſsent merito de Venetis prædicari, quod in exornando non falſæ, ut illi, ſed veræ religionis cultu diligentiſsimi exſtitere; et in eo conſervando tot auri, et argenti pondo, tot ſanguinis lacus, et tam crebro profudere. Non poterat igitur fortuna majus concivi noſtro munus elargiri quam ut in tam chriſtiana republica naſceretur; quæ etiam, ut ex omni parte eſset ornatior, familiæ ſplendorem adjecit. Ea eſt Cornelia, quæ clariſsimorum virorum imaginibus ornatiſsima, nulli populo, nulli ætati umquam fuit obſcura. Equidem ſi Romanorum tempora reſpicio, candidiſsimæ, et illuſtres illæ Scipionum animæ mihi ſemper occurrunt, qui in Hiſpania pro patria oppetiere, qui Africam tributariam fecere, qui Carthaginem ſuſtulere, Numantiam delevere, qui Aſiam perdomuere, qui tribunicios ſedavere furores: ſin vero hujus urbis annales percurro, tot mihi graviſſimi ſenatores, tot fortiſsimi imperatores ante oculos verſantur, ut ſi eorum ſola ac nuda nomina, nedum virtutes, et res geſtas explicare contenderem, dies ipſe me deficeret. Sed ne videar illos meritis laudibus penitus defraudare, innominatum non omittam Marcum Cornelium ſuperiorem, qui ob ſuam continentiam, Fabricius; et ob injectas pro patria catenas, Regulus merito poteſt appellari: qui turbulento reipublicæ ſtatu urbi præfectus, patriam libertate ſervavit: qui princeps, rempublicam cum ſumma integritate adminiſtravit: cujus felicis memoriæ ſigna in ſublimi curiæ loco gratiſsimi cives poſuerunt. Non involvam etiam ſilentio Georgium Marci noſtri parentem, patriæ caritatis ſpecioſiſsimum exemplum, qui victus, non minus ſplendoris et patriæ, et familiæ ſuis calamitatibus attulit, quam alii ſoleant victores ſuis felicitatibus illuſtrare; quandoquidem poſt præclaras res geſtas, mutata fortuna, in hoſtium manus redactus, ſeptuagies pro repu-

blica graviſſimis cruciatibus affectus, ſuarum virtutum admiratione compulit inimiciſſimum principem, qui decreverat illum interficere ne tam fortem adverſus ſe imperatorem eſſet habiturus, vitæ ſuæ conſulere; quippe eum exanimem ſimulans, funere honorifice ducto, in carcerem detruſum fidiſſimis cuſtodibus tradidit ſervandum; ubi ſeptem annos pro patria commoratus, ſed tandem pientiſſimorum filiorum ſolertia inventus, frequentiſſimis patrum decretis efflagitatus, multorum captivorum commutatione recuperatus, ab univerſo ſenatu, et populo incredibili lætitia exceptus, ſpectatiorem e carcere triumphum reportavit, quam ſi devictis hoſtibus rediiſset. Magna ſunt hæc, ſereniſſime princeps, quæ de familia diximus, et digna cive clariſſimo; ſed multo majora, et digniora quæ nunc dicturi ſumus. *nam genus, et proavi, et quæ non fecimus ipſi*, alienæ ſunt laudes; noſtræ vero ſunt ipſæ virtutes quæ a nobis proficiſcuntur: quæ quales, quantæque in ipſo fuere, et ut in omni ejus ætate claruere, vos qui adeſtis non ſine magno reipublicæ decore et ornamento ſæpiſſime eſtis experti. Recordamini, quæſo, quantam in ejus pueritia indolem præ ſe tulerit, quantoque patriæ fuerit adjumento. non eſt enim res oblivione digna, unius urbis conſervatio. Mediolanenſi bello cum Brixia potentiſſimo exercitu circumſeſſa, gravi fame laboraret, deſperataque omnibus inveniendi commeatus ratio videretur, divinus hic vir nondum pueritia egreſſus, novum conſilium excogitavit: quippe ludi ſimulatione puerili licentia per ſecretiſſimas Brixienſium domorum partes excurſitavit, compluresque frumenti acervos qui abditi erant perſcrutatus, mœſto, ac ſollicito parenti tunc in ea urbe legato præſentiſſimum obſidionis remedium indicavit; quo ſi caruiſset Brixia, Brixia, inquam, fidiſſimum imperii noſtri propugnaculum, quam nunc poſſidetis, patres ampliſſimi, eſset amiſſa. Laudatur ſuperior Africanus, qui patrem in acie ex hoſtium manibus eripuerit; et jure optimo laudatur: ſed in hoc laudis genere Cornelius noſter non eſt habendus inferior; ille enim adoleſcens, hic puer; ille armis, hic conſilio; ille patrem, hic cum patre clariſſimam civitatem ſervavit. vix hæc in puero credi poſſunt,

ſunt, quæ, ſi invenirentur in viro gravi, et conſummato, viderentur admiranda. At qualem exegit juventutem? non, ut alii ſolent, torpentem otio, languentem inertia, effeminatam laſcivia, ſed laboribus implicitam, vigiliis aſſuefactam, navigationibus exercitatam, quibus non minores opes eſt adeptus, quam viſus ſit concupiſſe Marcus ille Craſſus, qui dicebat, *nullam pecuniam civi ſufficere ex cujus fructibus exercitus ali non poſſet*. At quomodo eſt adeptus? non quæſtu, non fraude, non rapina, ſed ingenio, induſtria, et honeſtiſſima ſolertia. profuit et illi ad opes cumulandas non mediocriter liberalitas qua Cyprium regem difficillimis regni temporibus adjuvit, a quo fuit militaribus donatus inſignibus, et tam arcta benivolentia complexus, ut nihil in toto regno gereretur quod ejus conſilio deliberatum, ejus manibus non eſſet pertractatum: quod cum prudenter adminiſtraretur, feliciter ſuccedebat. Tædet, patres ampliſſimi, tam grandes res brevi oratione inculcare; ſed me temporis premit anguſtia. Reverſus in patriam, ſenatorum numero fuit adſcriptus, ubi mirabilem ſuæ prudentiæ famam quæ jam univerſos pervaſerat, re ipſa mirifice confirmavit, et auxit, cum omnia quæ in conſultationibus reipublicæ prædicebat, rerum exitu veriſſima comprobarentur. Memini ipſe, qui vobis omnibus ſum fere minor natu, illum ſæpiſſime in ſumma tranquillitate erupturas tempeſtates, et in maximis tempeſtatibus futuras tranquillitates prævidiſſe; remque publicam inter Scyllam, et Charybdim poſitam, ſuo ſapientiſſimo conſilio in tutiſſimum portum perduxiſſe. Florebat ingenio, valebat memoria, pollebat experientia, callebat principum mores, et ingenia; rerum ſeries, temporum conditiones optime tenebat, et præterita præſentibus annectens, eventura omnia proſpiciebat; et adeo procul, et vere intuebatur, ut non conjectare, ſed vaticinari videretur. quanta vero facundia, quanta gravitate præviſa declarabat! non dici, ſed demonſtrari; non audiri, ſed cerni videbantur. quanta demum fide, quanta integritate patribus conſulebat! quod ſentiebat, quod animo verſabat, ingenue profitebatur: non poterat apud illum amicorum gratia, non propria valebat utilitas; ceterorumque oblitus, in rempublicam ſolum et ocu-

oculos, et animum convertebat. Videor mihi nunc illum in curia orantem intueri, et reliquos exhortantem, cum rerum neceſſitas expoſtularet ut patriæ ſubveniret: ipſe qui omnium erat ditiſſimus, a quo major pecuniæ vis erat eroganda, primus omnium legem ferebat ut exhauſtum ærarium diuturnitate bellorum, privatis pecuniis adjuvaretur: clara et alta voce aſſerebat, nulla alia de cauſsa tot opes longiſſimis peregrinationibus conquiſiſſe, niſi ut in amicorum, et patriæ commoda conferret; nihilque libentius agere, quam cum reipublicæ opitularetur. Hoc erat ejus ſtudium, hoc erat inſtitutum, hoc manifeſte declaravit graviſſima, et pientiſſima illa oratione quam habuit in majori ſenatu cum legem ferret de deducenda in Cypron colonia, qua immortalem Deum teſtatus eſt, nihil optatius habuiſse in vita quam regnum illud ſua opera ærarium veſtrum effectum eſse. verum dici poteſt; cum veſtra ſit ipſa Cornelia, quæ veſtra auctoritate, conſilio, et armis defenſa, nullam aliam cariorem parentem agnoſcit, quam patriam ipſam quam natura dedit, et adoptio confirmavit. Erat igitur Cornelius noſter in providendo eventu prudentiſſimus, in declarando eloquentiſſimus, in conſulendo integerrimus: non prudentiæ eloquentia, non eloquentiæ deerat integritas. quis non hæc in rempublicam adminiſtrantibus et neceſsaria, et admiranda exiſtimet? præſertim ſi fuerit adjuncta juſtitia, ut in ipſo fuiſse cognovimus, qui in conſulatu quem ſæpius illi deſignaſtis, et ſua æquiſſima cenſura, inconcuſsam ſervavit. Invigilabat enim omni ſtudio ut quod ſuum eſſet quiſque teneret, neve cuiquam vel minima inferretur injuria: facilis erat ad omnes audiendos, pronus ad oppreſſos ſublevandos, indefeſsus ad ſceleſtos puniendos, æquus ad ſupplicia irroganda, conſtans in legibus ſervandis. non movebatur civium potentia, non precibus flectebatur: infimi, ac potentes nullo diſcrimine tractabantur, omnibus erat æqua conditio, eædem leges, eadem jura in omnibus æque adminiſtrabantur. Dictu eſt incredibile, qua dicendi vehementia, qua acrimonia perditos homines ſenatui plectendos proponebat: perpeti nullo modo poterat ut jus humanæ ſocietatis tolleretur, in quo conſiſtit omnis virtutis actio, noveratque, ut erat ſapientiſſimus,

mus, leges ſolas eſse urbis noſtræ mœnia, et propugnacula; majoreſque non tantum bello et armis, quantum juſtitia et bonis moribus, ex humili palude tam latum terra marique imperium protuliſse. Cum hæc igitur prudenter, et integre adminiſtraſset, deſignaſtis, patres ampliſſimi, illi Patavinam, et alias clariſſimas præturas, quas tenuit ne a ſenatu longius abeſset, ubi ſe magis patriæ profuturum intelligebat: deſignaſtis et illi Romanam legationem ad Sixtum Pontificem Maximum, quam libenti ſuſcepit animo, cum ſua opera indigere videretur: in ea autem quantum pro ſenatus dignitate, et rerum chriſtianarum incolumitate invigilarit, et quid effecerit, dictu eſſet pulcherrimum, et mihi gratiſſimum, ni nobis tempus defuturum vererer. Sed vos, ſapientiſſimi patres, qui hæc omnia pertractaſtis, ipſimet meminiſse poteſtis. Deſignaſtis et illum legatum ad inviċtiſſimum Imperatorem Bartholomæum Coleonem, cujus in Etruriam adventu omnis fluctuabat Italia; ſapienterque feciſtis; res enim quæ prius erant ancipites, tanti viri prudentia, dexteritate, ſolertia, auctoritate firmari, augerique cœpere. Nam cum primum in exercitum pervenit, caſtra tormentis munienda, commeatibus replenda curavit, ſollicitatiſque hoſtium animis, ingentem equitum manum ad ſenatus benivolentiam, ſtipendiaque pellexit; omniaque confecit quæ ad debilitandas inimicorum vires, noſtraſque firmandas poſcebantur. Rebus itaque in tuto, et ſub futuræ pacis opinione conſtitutis, ſenatus literis ad majora peragenda in patriam revocatur. Sed cum belli furor recaleſcere videretur, legatus in Brixienſem agrum remittitur, ubi oppida, arceſque reviſit, præſidia collocavit, omneſque equitum, et peditum copias quæ erant in hibernis, arma, equoſque expedire, tormenta commeatuſque parari mandavit, ceteraſque res bellicas ita diſpoſuit, ut omnes certo intelligerent, ni bellorum incendia exſtinguerentur, ſenatus juſsu alterum exercitum in citeriori Gallia uno momento in caſtris eſse futurum. quo effectum eſt ut universa Italia arma deponeret, pacemque iniret. Hæc Cornelius noſter; qui in adeundis magiſtratibus non propriam utilitatem, ſed reipublicæ commoda reſpiciebat: grata erant itinera, dulces vigiliæ, jocundiſſimi pro patria labores,

eaque

eaque munera libentius ſuſcipiebat quæ aliis eſsent laborioſa et difficillima; quibus moribus tantum benivolentiæ in republica eſt adeptus, ut univerſus ſenatus Catharinam ejus pudiciſſimam, et ornatiſſimam filiam in adoptionem ſuſcipere voluerit: tantumque admirationis apud exteras nationes eſt aſſecutus, ut reges ipſi ſe honeſtari arbitrarentur ſi poſsent ei affinitate conjungi. Audite inauditum facinus, audite ſingularem animi magnitudinem, nullis hiſtoriis traditam, nullis monumentis compertam: privatus civis ejus filiam tercentorum talentorum gravis argenti dote conſtituta honoratiſſimo regi in matrimonium tradere non dubitavit. Venere legati; una cum ſpecioſiſſima virgine in curiam fuere introducti: confecta eſt adoptio, firmatæ ſunt dotis ſponſiones cum ſumma patrum lætitia, populi plauſu, et exterarum gentium incredibili admiratione. Apparuit profecto illa die ſenatus benignitas, et gratitudo; apparuit unius civis auctoritas, et exiſtimatio; apparuit denique ſingularis illius magnanimitas. magnificentia vero tunc maxime eſt declarata cum comitante illuſtriſſimo principe Nicolao Throno, univerſo ſenatu, totius Italiæ legatis, maximo populorum concurſu, navigiorum frequentia, deducta eſt ipſa regina ad armatas triremes, in Cyprum profectura. Quis poſset ornatiſſimos apparatus, quis omnium rerum affluentiam enarrare? omnia erant culta, omnia auro, gemmiſque ſplendebant: regales vere nuptiæ celebrabantur. Sed hoc admirabimur? quid eſt enim umquam a Cornelio niſi liberaliter, niſi ſplendide, niſi magnifice geſtum? non ad cupiditatem et avaritiam, ſed ad liberalitatem, magnificentiam, et gloriam divitias compararat. Longum eſset enumerare quot ingenuos adoleſcentes, et viros ſuis opibus adjuverit, quot in egeſtatem labantes ſuſtinuerit, quot perlapſos erexerit. notiſſima res eſt; illuſtratione non indiget. Sed in tanta et rerum, et animi excellentia, conſiderate parumper ſingularem illius moderationem, qua numquam modeſtiſſimi civis terminos eſt tranſgreſſus; quippe non ornatiori corporis cultu, non longiori ſervorum ordine quam ceteri, utebatur, nec quidquam ſibi licere putabat quod aliis non liceret. Adverſari, et inter ſe reluctari videbantur, magna appetere, regia aggredi, et gerere

ſe privatum: ſed id fieri poſse Cornelius noſter edocuit, qui non ut potentior efficeretur, regna ſectabatur, ſed ut patriæ terminos redderet ampliores. vidimus, patres optimi, in modeſtiſsimo cive regium animum, et in regio animo civilem modeſtiam. Verum, præter alias virtutes quibus effulſit, non ſatis admirari poſsum inviſtiſsimum animi robur quod in utraque fortuna ſæpiſsime demonſtravit: ſiquidem conata eſt illum plerumque modo blanditiis allicere, modo ærumnis infringere; ſolidiuſque adamante pectus invenit. nulli fuere tam ſecundi, tam optati caſus, quibus efferri; nulli tam adverſi, tam inopinati, quibus concuti, aut umquam potuerit inflecti. quis veſtrum poterit inveniri qui illum lætiorem in ſecundis, aut in adverſis viderit triſtiorem? tam bene rerum humanarum mutabilitatem deprehenderat, ut quidquid accideret, nec novum, nec inexſpectatum videretur. Non poteſt mihi animo excidere, nec poterit ex hominum memoria ulla vetuſtate deleri, ut forti, et immoto pectore pertulerit infelicem regis generi obitum, miſerandam filiæ regiæ ſervitutem, crudelem fratris cædem, immaturi reguli poſtumi nepotis interitum, et opulentiſſimi regni amiſſionem; quæ uno fere et eodem tempore delata, tanto mœrore univerſam civitatem affecere, ut nemo eſſet qui ſe poſſet a lacrimis temperare: at ipſe cui hæc omnia acciderant, nullo dolore perculſus ſenatum adiit, ubi nec perturbatiori vultu, nec fractiori voce quam ſolebat in ſecundis, graviſſimam habuit orationem, qua mœrentes, proſtratoſque patrum animos conſolatus, ad ulciſcendas injurias, et regnum recuperandum, quemadmodum effectum eſt, pro ſenatus majeſtate excitavit, inflammavitque. pulcherrimum profecto ſpectaculum, et admirationis pleniſſimum; qui conſolari debebant, angebant; et qui angi, alios conſolabatur. Deſinant ergo ſe Anaxagora jactare Græci, deſinant Romani Horatio Pulvillo gloriari, qui audita filii morte, alter nihil ſibi novi nuntiatum reſponderit, alter a templi poſte manum non amoverit: noſtra ætate concivem habuimus qui non unicum fortunæ ictum, ſed tot rerum everſiones quot ſupra numeravimus, adeo conſtanti animo eſt aſpernatus, ut nihil minoris quam ſortis impetum facere videretur. Obſtupeſcit hoc loco

ani-

animus, et vincitur oratio laudis magnitudine. Non tacebo poſtremum inſigne pietatis facinus, quod vidimus omnes paullo ante quam e vita diſcederet. non poſſumus, patres optimi, cum de Cornelio loquimur, a pietate recedere. Is igitur cum omni carne, et prope oſſibus abſumtis, nihil reliqui præter vocem, et ingenium, ei feciſſet ætas, ſenatuque careret, in quo hujus Etruſci belli cauſſa quo univerſa flagrat Italia, res maximæ atque graviſſimæ tractarentur, et præter ejus opinionem gererentur, voluit in curiam lectica deferri; ubi tam graviter, tam facunde pro reipublicæ dignitate, et utilitate diſſeruit, ut longe antea diſsentientes patres in ſuam traxerit ſententiam, patriæ ſaluberrimam. Non potuit optimus ſenator in ſupremo ſuæ vitæ ſpatio reipublicæ commodis deeſſe, nihil ſanctius exiſtimans quam communi omnium utilitati invigilare, nihilque pulchrius quam, ut omnem ætatem in republica bene gerenda contriverat, ſic extremum quoque ſpiritum exhalare. pientiſſimum ſane inſtitutum, et imitatione digniſſimum. Non eſt igitur mirum ſi omnes illum intuebantur, ſi admirabantur, ſi illo denique ſuperſtite tota reſpublica ſe felicem arbitrabatur. et merito poterat arbitrari; erat profecto hujuſmodi, qualis, pace omnium dixerim, nemo, vel ſaltem rariſſimi jam multis ſæculis ſunt inventi. Verum enimvero nulla humana felicitas poteſt eſse diuturna, ſiquidem omnia vel vetuſtate, vel morte tolluntur: edaces ſunt nimium utriuſque dentes. Extenuatus itaque, ſenioque confectus inter optatos cariſſimi filii amplexus et oſcula tranquilliſſime exſpiravit Cornelius noſter, nullis linguis, nullis literis conticendus; cujus quidem acerbiſſimo caſu ſqualent domeſtici, afflictantur amici, conqueruntur plebeji, lamentantur equites, luget curia, et univerſa civitas dolore, et lacrimis repletur. nec immerito ſane; amiſimus enim de republica benemeritum civem, amiſimus optimum patriæ patrem, amiſimus nobiliſſimum urbis ornamentum: nec nobis ſolum hæc calamitas, et luctus eſt injectus, ſed etiam ipſa dolebit Italia tali ſidere orbata; dolebunt vectigales hujus reipublicæ nationes tali præſidio deſtitutæ; dolebit et Cypros regalis filiæ ſedes tali defenſore ſpoliata. Heu, quo gemitu, quibus ſingultibus acceptura eſt cru-

dele hoc, et amariſſimum nuntium Cornelia regina infeliciſſima! præ nimio dolore conſternetur: franget innatam illam Corneliæ genti conſtantiam, et regiam animi magnitudinem doloris acerbitas. et ne lamentis longius immoremur; communis erit hæc omnibus jactura, communis dolor. Verum ſi omnem ex animo perturbationem dejicere, et conſtantius conſiderare voluerimus, Cornelium noſtrum eum vitæ curſum qui paucis contingere ſolet, integre, et feliciter peregiſse, nihil eſse putabimus quo lamentandum dolendumve ſit. Quid enim aliud requirendum eſt in hominis vita, in qua immortalitas non eſt expetenda, niſi ut cum omnium laude degatur? quod adeo conſummatiſſime eſt aſsecutus Marcus noſter, ut non ſolum vivus omnibus laudatiſſimus exſtiterit, verum etiam mortuus poſteris ſit relicturus nominis ſui memoriam ſempiternam. ſi modo hoc a nobis diſceſsu mortuus dici poteſt; non enim mortuus eſt, ſed ad vitam perrexit. non eſt enim hæc quam vitam dicimus, vita, ſed incerta, inſtabiliſque peregrinatio, variis periculis, variis laboribus expoſita: illa vero eſt vera vita ad quam proficiſcimur æternum victuri, cum corpore diſsolvimur; ſi recte vixerimus. quo clariſſima et illuſtris Cornelii anima evolavit, digna ſuorum laborum præmia perceptura. Quam ob rem conſolare te ipſum, ſapientiſſime Georgi, deſideriumque parentis, ejus utilitate compenſa, et ut a ceteris virtutibus non degeneras, ſic et paternam imitare conſtantiam. conſolamini et vos invicem, graviſſimi patres, qui ſi cariſsimum concivem amiſiſtis, habetis ejus dulciſsimum filium, veriſsimam parentis imaginem; habetis, inquam, Georgium, non minus paternæ probitatis, quam nominis et gloriæ certiſsimum heredem, a quo non minora parente in patriam merita, pro ejus virtute et animi magnitudine, merito exſpectare et poteſtis, et debetis.

CA-

CAROLI CAPELLII
PATRICII VENETI,
IN FVNERE
GEORGII CORNELII,
Catharinæ Cypri Reginæ fratris
ORATIO.
adhuc inedita.

SI exiſtimarem, Princeps Illuſtriſſime, Patres ampliſſimi, viri ornatiſſimi, fieri poſſe, ut quiſquam univerſas clariſſimi viri Georgii Cornelii laudes oratione conſequeretur; dolerem equidem tam breve mihi temporis ſpatium ad orationem meditandam conceſsum eſse. Verum cum is Cornelius exſtiterit, talemque ac tantum in omni vita virum præſtiterit, ut ad ejus clariſſima facta celebranda vix omnis ætas ſatis futura eſse videatur; cumque is fuerit majorum noſtrorum animus, ut non tam omnes illuſtrium civium laudes percenſerentur, quam ut iis ſaltem perſtringendis, omnes gloriæ deſiderio, ſummo ſtudio ad bene beateque vivendum, ad optime de republica merendum incenderemur: dicam, et bono quidem animo; atque ita dicam, ut, etſi infinitas egregii

viri

viri laudes æquare dicendo nullo pacto valeam, cum iis tamen omnibus mihi certandum ſit qui ante me in laudandis fortiſſimis, et clariſſimis civibus de republica optime meritis id officii præſtiterunt. magna profecto res eſt; ſed *in magnis et voluiſſe* præclarum ſemper exiſtimatum eſt. Dii modo noſtris conatibus adſint; tuque ipſe, qui jam cæleſti eorum conſuetudine frueris, Corneli clariſſime. Verum non tam illud mihi lætandum eſse video, quod ea ad dicendum materia oblata ſit in qua nemini oratio deeſse poſsit; quam illud metuendum, ne nimia rerum copia vincar. Quod ſi, ut ſperamus, non omnino occaſioni huic tam amplæ ingenium, nec ingenio oratio, nec orationi modus deerit; veſtræ humanitatis erit, ut dicenti mihi benigne, attenteque audiendo non deſitis. Quod eo etiam libentius præſtare debetis, tum quod et veſtrum nonnullis grato hoc pietatis officio decorari continget, tum vero maxime ut omnes in civem veſtrum, deque vobis optime meritum grati, officioſique videamini. Et profecto ſi umquam alias civitas noſtra civem aliquem hoc grati animi ſtudio, et debitæ pietatis exemplo proſecuta eſt, ea omnia jure huic, ne dicam ampliora, exhibere debemus. Neque enim vos decet a ſuperioribus officio vinci; neque hunc eorum aliquis qui ante eum excelluerunt, ſtudio, officio, opera in patriam, ſuperavit. Quod et vos antea, patres, intellexiſtis, et nunc me dicente in memoriam revocabitis; eamque veſtris animis ſempiternam affigetis. Sed dum huic rei ſtudeo, dum præſtantiſsimi civis numquam non maximopere laudandi laudibus inſervio, hoc mihi, princeps humaniſsime, hoc, patres, hoc, cives, hoc, ceteri qui adeſtis omnes, concedite; dolorem quem ex illius deſiderio maximum, ut video, et acerbiſsimum capitis, paulliſper remittite; ut etſi ob tanti viri mortem plurimum dolere debemus, videamur tamen ex hac ejus laudum commemoratione nonnullam percipere voluptatem; cum præſertim deorum immortalium beneficium agnoſcamus, quod eorum benignitate noſtræ civitati conceſsum ſit ut cum multis aliis fortiſſimis, clariſſimiſque civibus, tum hoc uno optimo, ſummoque maxime gloriari poſſit; quodque et illorum ſuperiorum admirabili ſane, et hujus ſin-

ſingulari quadam, eximiaque virtute effectum ſit, ut jam neque Græcis, neque Romanis invideamus. Adeſte igitur mihi omnes, ſi non lætis, ſaltem non mœſtiſſimis animis. Neque vero id faciam quod plerique in hujuſmodi laudationibus facere conſueverunt, qui vel in ea re bonam orationis partem conſumunt, ut in qua ille de cujus virtutibus dicturi ſint, patria excelluerit, eam mirifice laudibus extollant: contra ego patriam certe ſubticebo; non quod non arbitrer multum ad laudandum conferre patriæ claritatem, quæ meo judicio et plurimum facit ad quoſcumque laudibus honeſtandos; nec quidem quod exiſtimem, noſtram hanc patriam cuiquam alii antiquitate, nobilitate, moribus, inſtitutis, religione, pietate, rerum geſtarum gloria, præſertim denique libertate conceſsuram; quippe cum de ea ſemper ita ſenſerim, ut alias omnes ſi non exceſserit, ut verbo invidia abſit, ſaltem æquarit. Sed ob id potius hac de re mihi tacendum eſse duco, quoniam ſic mihi perſuadeo, nullum ingenii flumen tantum eſse poſse, nullam tantam dicendi copiam atque vim, nullum tam divinum et incredibile genus orationis, quod patriæ noſtræ laudibus, non dicam par eſse poſſit, ſed ab ipſis longe non ſuperetur. Huc accedit, ne aut nobiſmet ipſi aſsentari videamur, aut in tanta ſummi hujus ſenatoris laudum ubertate; quæ præſertim ipſius, et ejus virtutis propriæ ſunt .... licet magnæ laudes exſiſtant, noſtrorum tamen omnium communes quodammodo cenſeri debent. Quotus enim quiſque noſtrum eſt qui non ſibi patriæ antiquitatem, ſplendorem, magnitudinem, laudi vel maxime vindicet? certe quiſque inde aliquid decerpimus, et veluti in partem accedimus; quamquam quoniam huc dicendo prolapſus ſum, nulli magis patriæ laudes debentur quam illi qui de ea inter ceteros optime meritus ſit; quique ſemper ita ſe ſe geſserit, ut majoribus in dies ſingulos illum et amplioribus dignitatibus reſpublica ornandum eſse cenſuerit; quod cum aliis multis, tum vero Cornelio noſtro abunde obtigit. Sed cum magnum quiddam patriæ laudibus inſit, illud certe maximum haberi debet, quod vel ex ejus virtutibus patria plurimum celebrari poſſit, ut quidquid illa in eum ſplendoris et amplitudinis contulerit, illud

omne

omne quaſi fœnerata eſse videatur. Adeo quidem, Georgi clariſsime, non modo quam a patria conſecutus es dignitatem, et auctoritatem ſuſtinuiſti, et majorem ſemper reddidiſti; ſed ipſius etiam patriæ decus et gloriam mirum in modum virtute tua ſervaſse, et auxiſse viſus es; ut quantum tu illius celebritate illuſtris habendus es, tantum illa te cive, et ſenatore præſtantiſsimo, ac potius parente optimo ſe ſe jactare poſſit. Iam vero ſi quis exſpectat ut de nobiliſsima Corneliorum gente laudes eliciam, virorumque illuſtrium qui ſemper magis ac magis in ea familia floruerunt, clariſsima geſta percenſeam; fallitur; ſuperat enim, ſuperat Georgii unius laudum cumulus. Quamquam quis, per deos immortales, adeo rerum omnium ignorans eſt? quis tam novus, et longinquus hoſpes in hac orbis urbe, in hac hominum luce verſatur, ad cujus aures Cornelium non pervenerit nomen? qui facta hujus clariſsimæ gentis fando numquam audierit? an neceſse eſt ut ea commemorem quæ hiſtoriæ potius vel longiſsimæ ſunt, quam ut brevi orationis particula tranſigi poſsint? niſi vero aliquis ſperet, immenſam vim oceani exiguo ſe rivuli ſpatio comprehenſurum. Vt enim Romanos illos prætercam quorum præclaris facinoribus Græcorum, Latinorumque omnium ſcripta illuſtrantur; quæ umquam tanta ingenii ubertas, quæ dicendi copia tanta, qua quiſquam poſsit fortiſsimorum, et clariſsimorum civium qui ex hac eadem familia in noſtra republica pæne innumerabiles prodierunt, res domi foriſque egregie geſtas complecti orando, aut ſaltem enarrare ſcribendo? Verum quid hoc eſt? commoveor, patres: non poſsum me continere, ſapientiſsime princeps: ea eſt virtutis vis, adeo mentes noſtras movent præclara majorum facta, ut me etiam id conſulto prætereuntem, invitum cogant, et quaſi manu trahant ad nonnullorum ſaltem nomen e tot illuſtribus viris vobis in memoriam revocandum. An vero ſubticere queam duos Federicos, duo reipublicæ noſtræ lumina? qui, ut cetera omittam, bello Genuenſi, bello, inquam, illo periculoſo quo res noſtra ad ultimum fere deducta erat diſcrimen, alter cum ſumma annonæ pænuria urbs premeretur, innumerabili frumenti numero, alter ærario exhauſto, permagno auri, et argenti pondere rempublicam

cam adjuvere? pertranſeo Marinos, Ioannes, Petros: conſulares omnes, procuratorios omnes; omnes admirabili ſapientia, incredibili omnes virtute. quid geminos Marcos non referam? ſeniorem illum, et juniorem Cornelii noſtri parentem? Dies profecto me deficeret, ſi in eorum geſta ingredi, ſi magiſtratus, ſi legationes, ſi imperia, quæ ſumma cum laude geſſerunt, vellem vel percurrere. Ille divitias ſemper contemſit; hic maximis propria virtute partis magnifice ſemper eſt uſus: ille abſtinentia præclarus habitus eſt; hic liberalitate: ille principatus gloriam in familiam, hic regiam coronam attulit. Ambo morum probitate, ambo vitæ integritate inſignes; ambo animi magnitudine pares; prudentia ambo, conſilio ambo in republica adminiſtranda maximi. Georgium vero ſuperioris Marci ex filio nepotem, junioris autem patrem, alterum reipublicæ noſtræ Marcum Regulum, quo umquam ſatis honore, qua reverentia nominabo? qui plurimis clariſſimiſque functus dignitatibns, ſenex admodum, ſummos, ſæviſſimoſque ab impotenti tyranno cruciatus ſeptuagies pro reipublicæ dignitate ſuſtinenda, toleravit; et ſeptem in vinculis, et tæterrimo carcere delituit annos. Horum igitur clariſſimorum virorum facta, virtuteſque ſi quis animo reputet, quos reipublicæ noſtræ deſideret Africanos? quos Naſicas? quos Aemilianos? Verum me tantæ virtutis admiratio longius provexit quam decreveram; ſed ignoſcite, patris optimi filii optimi; æquo animo patiamini eam temporis uſuram quam majoribus veſtris commemorandis impendimus, de parentis eſſe detractam laudibus; quemadmodum et illæ egregiæ, et felices Corneliorum veſtrorum animæ, quamquam omni virtutum genere præſtiterunt, tantum tamen abeſt ut ab eo ſe longe eſſe ſuperatas ægre ferant, ut etiam mihi videantur ex ea re immortaliter gaudere; et nunc illi circumfuſæ maximas gratias agere, quod multo majorem quam ab ipſis acceperit, vobis claritatem reliquerit. His igitur Georgius noſter majoribus procreatus, adhuc puer cum eſset, tam admirabilis, ac divinæ indolis fuit, ut quicumque illum viderent, maxima quæque ſibi de eo, ſi viveret, pollicerentur. Itaque primos pueritiæ, et adoleſcentiæ annos ſub patre Marco prudentiſsimo,

E e et ſan-

et ſanctiſſimo egit; a quo optimis moribus, et inſtitutis imbutus, mirum in modum præter ætatem in dies præſtabat in uſu rerum; ut in eo virtutis curſus celerior quam ætatis videretur, et futuræ ejus amplitudinis incredibilis apud omnes exſpectatio, ac certiſſima quædam ſpes concitaretur. Quemadmodum enim ſol exoriens radios quaſi nuntios majoris lucis quæ mox ſubſecutura eſt, præmittit; ita hic tum facile multis argumentis indicabat, qualis, ac quantus in republica adminiſtranda ſenator futurus eſſet. Siquidem, ut cetera brevitati ſtudentes omittamus, ferunt illum ingenio tanto, prudentia, animi magnitudine, et quæ res plurimum homines etiam invitos ad amandum allicit, tanta morum elegantia, et dicendi ſuavitate exſtitiſse, ut ultro omnes ejus amicitiam appeterent, et ſe in conſuetudinem inſinuarent. Neque tamen tantam omnium de ſe opinionem ſefellit; immo vero etiam vicit; credo ut intelligi poſset, tantum ab hominibus deſiderari non poſſe, quantum hic ſua incredibili virtute præſtitit. Nam ut pater e vita deceſſit, nondum quintum ſupra vigeſimum natus annum, tantus continuo in rebus tum privatis tum publicis adminiſtrandis apparuit, ut unus univerſæ civitati fuerit admirationi, unus omnium ora, animoſque in ſe converterit; docueritque veriſſimum eſſe quod ſapientiſſimi homines prodidere: *non eſſe reipublicæ adminiſtrationem iis committendam qui rem domeſticam adminiſtrare neſcirent*. Cum enim rem familiarem accepiſſet admodum imminutam patris liberalitate, et dote prægrandi centum millium nummum aureorum, qua Catharinam ſororem Cyprio Regi in matrimonium collocaverat; brevi tamen tempore ſine cujuſquam injuria, bonis artibus, præſenti ingenio, admirabilique induſtria, eam non ſolum inſtauravit, verum etiam majorem in modum adauxit; ut interea tamen numquam patris, et majorum magnificentiæ ceſſerit. cujus rei vel illud ampliſſimo teſtimonio eſſe poteſt iis qui ejus ætatis non meminerunt, quod ſtatim ab ipſo patris funere ſpecioſiſſimas illas, et ampliſſimas ædes ſummo pretio ad duo et viginti nummum aureorum millia emit, eaſque ita rebus omnibus inſtruendas, ita exornandas curavit, ut nunc non ſine ſumma omnium admiratione ſpectentur. Neque tamen

men cum tantum propria virtute partis divitiis opibuſque crevisset, voluit umquam ſibi ſolum, et liberis dives esse; ſed propinquis, amicis, familiaribus omnibus, maximeque reipublicæ. ſic enim exiſtimabat, et dicere ſolebat, proprias, veraſque reipublicæ divitias esse, privatorum ſingulorum facultates et copias; quod et veriſſimum esse, maximo cum reipublicæ emolumento, maximaque dignitate experti ſumus. Et cum ſciret ſapientiſſimus vir, rem nullam tam reipublicæ esse ſalutarem, quam ſi cives propagandæ ſobolis ſtudio teneantur; qua re maxime, homines communis utilitatis, et amplitudinis amantiores, et diligentiores redduntur; ut omnes optimi civis numeros impleret, uxorem duxit ex illuſtri, et laudatiſſima Maurocenorum gente, quam omnes novimus, omnibus quæ maxime in matronis dotes requiruntur, præſertim probitate, pudicitia, et ſanctitate ſpectatam. Ex qua, Dii immortales, quos filios ſuſcepit? quæ patriæ incrementa? dicerem de eorum laudibus, niſi vererer ne natura inſitam illis verecundiam, ſi eos in os coram laudem, offenderem. illud certe non ſilebitur; numquam ſe clarius geſſerunt, ut (quod fortaſſe tanti viri filios decuiſſet) diſcrimen aliquod fuerit inter eos, et civem quemvis alium. Vidiſtis vos, patres, eorum in rebus omnibus modeſtiam, continentiam, eximiam innocentiam; noviſtis omnes; ſenſit univerſa hæc civitas; nec ſolum ſenſit, ſed admirata eſt etiam, et obſtupuit. Verum quæ illis major laus tribui poteſt, quam quod patris optimi filii optimi quam ſimillimi ut eſſent enixe ſemper ſtuduerunt? ut vel ex ea re Cornelius noſter, quod tantos patriæ filios genuerit, non mediocrem laudem adeptus videri debeat; et negari non poſſit, *bonos bonis*, *fortes fortibus procreari*; atque egregiam a natura, et a majoribus *inſitam vim*, cultu, diſciplina, virtute mirum in modum *augeri*. Neque tamen credatis toto hoc temporis intervallo eximiam præſtantiſſimi viri virtutem minori rei publicæ quam privatæ fuiſſe emolumento, ac ſplendori; nulli enim rei æque umquam ſtuduit, nulli magis invigilavit, quam ut rem publicam quibuſcumque poſſet modis juvaret, et eam quam ampliſſimam redderet; quod etiam pro maxima ejus virtute, ſummaque in rebus omnibus

felicitate, ſi quis umquam alius, abundantiſſime præſtitit. Audite, audite, quicumque adeſtis omnes, egregiam optimi civis voluntatem in patriam: attendite admirabilem ſapientiam, memorabile facinus, omnium laude, prædicatione, literis, monumentiſque decorandum. Catharina ſoror Cypri inſulam, mortuo marito rege, poſſidebat: eam nobiliſſimi reges in matrimonium ſollicitabant. Hic vir ſanctiſſimus nihil de ſororis, nihil de ſua, et filiorum utilitate cogitans, ratus optimum, et honeſtiſſimum fore, ſi regnum illud opulentiſsimum cariſsimæ patriæ imperio adjeciſset; in Cyprum ad ſororem profectus, ea ſe prudentia geſsit, eo conſilio, ea dexteritate, ut et illam ſuaſerit, et Venetias abduxerit; atque ita Cyprum reipublicæ noſtræ propriis quaſi manibus traditam, dono dederit; Cyprum, inquam, inſulam illam nobilem, caput patrimonii publici, pulcherrimam imperii noſtri poſseſsionem, civium noſtrorum divitias, certiſsimum annonæ ſubſidium, horreum belli, firmiſsimum in omni fortuna vectigal. quo uno, medius fidius, in rempublicam merito, divinoque beneficio, modo æqui rerum æſtimatores eſse velimus, non ſecus omnia ſuperiorum victa ſunt, atque ſolis ſplendore cetera omnia cæli lumina, quaſi tenebris obducta, ſuperantur. Non poſsum commemorare, quanto omnium gaudio exceptus ſit: non valeo explicare univerſæ lætitiam civitatis. Vnus in ore omnium Cornelius erat: unum omnes ſummis Cornelium in cælum laudibus efferebant. tantum dicam; ſtatim a republica ſummo omnium conſenſu equeſtri donatus eſt dignitate; atque inde ſemper ante annos honores omnes, et magiſtratus ampliſsimos eſt conſecutus; ut tamen nihil umquam illi tam magnum, tam amplum tributum ſit, ut non ſemper ſpectatæ ejus virtuti longe majora, et ampliora deberi omnes faterentur. Hic ſi vellem clariſsimi viri ſingula quæque percenſere quæ ſempiterna memoria digna ſunt, non poſsem quam debeo et loci, et temporis, et graviſſimi hujus conſeſsus rationem habere; non tamen omnino pertranſibo præturas Brixienſem, Veronenſem, Patavinam, quas ita ſumma cum laude exercuit, tanta prudentia, juſtitia, temperantia, animi magnitudine, ut ceterorum laudibus qui illis gentibus præfuerant, quaſi tenebras offu-

offuderit. Quamquam enim hæ virtutes omnes inter ſe nexu quodam colligatæ atque implicitæ ſunt, ita tamen ſuis unamquamque partibus aſsociabat, et veluti membris decorabat, appoſitiſque luminibus veſtiebat, ut ſingulæ ſingulis, quaſi campum, et ſpectaculum nactæ, certare viderentur. Atque adeo tamen in omnibus æque præſtabat, ut quanam magis excelleret, judicari non poſset; ſed ipſe ex admirabili ea, ac divina contentione unum quoddam egregium virtutum omnium domicilium haberetur. Hinc illud apud omnes provinciales increbuerat; difficile dictu eſse, patientiuſne audiret, an benignius reſponderet, an juſtius judicaret, an rem denique omnem ſapientius temperaret. Itaque adhuc ejus memoria apud illos viget, et minime diuturnitate extenuatur. Poſt ea tempora conſecutum eſt bellum quod in Carnis, et Noricis adverſus Cæſarem geſſimus. ad id nemo Cornelio magis idoneus, nemo aptior viſus eſt. Itaque legatus in caſtra profectus, ſumma id bellum celeritate confecit: nullas non optimi imperatoris partes implevit: maximo prælio Germanos fudit: Gauritiam, et Tergeſte expugnavit: Carnorum majorem partem ſubegit, et ad reipublicæ noſtræ obſequium redegit. Iamque victoria ulterius proceſsura videbatur, cum pacis ſtudioſiſſima ſemper civitas noſtra indutias pepigit; eaque mox ſecutura videbatur. Interea ob rem bene et feliciter geſtam, procuratoriam dignitatem ſummo civium omnium ſtudio adeptus eſt; omniaque jam illius opera et virtute, pacata et tranquilla videbantur. Sed, o inconſtantem fortunam! o fallacem, et felicibus plerumque ſucceſsibus invidentem! o variam mortalium conditionem! o mutabiles eorum res, et quæ certo diu ſtare loco non poſsint! Neceſse erat ut eximia ac divina clariſsimorum patrum ſecundis in rebus ſatis ſuperque ſpectata virtus, in adverſis etiam magis ac magis, veluti ad ignem aurum, probata niteret. Repente univerſa Europa in noſtrum excidium conjurat, copiæ noſtræ profligantur, ſociorum urbes in hoſtium poteſtatem deveniunt. diris obnoxii, et deteſtabiles habemur, terra marique excludimur; nulli non Venetum nomen inviſum; denique omni infortuniorum genere exagitamur. Itaque tot tantiſque incommodis, detrimentis, cladi-

bus

bus acceptis, an creditis fortiſsimum virum umquam animum contraxiſse, aut demiſiſse? immo vero majore ſemper conſtantia, majore animi magnitudine adverſus fortunæ impetum ſe ſe erexit, et reſtitit; ut et patriam privatis juverit opibus, et patres confirmarit, et ſaluberrimis dicendis ſententiis ſæpiſsime ſubvenerit afflictiſsimæ rei. Verum dum brevitati ſtudeo, dum ad majora feſtinat oratio, præterii geminos, et eos quidem ampliſsimos magiſtratus, decemviratum, et conſulatum; quibus tanta animi moderatione, tanta rerum omnium cognitione perfunctus eſt, ut poſtea ſemper quoad vixit, uno ore, unoque judicio omnes illi primas in republica adminiſtranda detulerint. Itaque mox inter ſenatus principes adſcitus, quos uberrimos prudentiæ ſuæ ſingularis, ac ſapientiæ fructus reipublicæ reddiderit, veſtrum, patres, nemo eſt qui non meminerit. quam dignitatem toties geſſit, quoties illi per leges licuit; atque ita geſſit, ut magiſtratui illi, qui alioqui ampliſsimus in civitate habetur, et ſenioribus tantum qui in republica adminiſtranda maxime præſtent, concedi ſolet, ſemper non parum dignitatis, et auctoritatis addiderit. Quis enim eo præſtantiore memoria præterita præſentibus contulit? quis excelſiori ingenio futura, cogitatione præcepit? quis majore ſapientia ante conſtituit et quid in utramque partem accidere poſset, et quid agendum eſset? Nemo illum vidit ſecundis in rebus ſuperbientem, nemo ſe ſe efferentem, nemo in adverſis non forti animo eſse, nemo non conſtanti. Quoties dubitantes patres erexit, et confirmavit? quoties univerſum ſenatum labantem ſuſtinuit, et in ſalutares ſententias traxit? Iam vero ſi quanta in omni vita enituit innocentia, fide, religione, gravitate, facilitate, manſuetudine; ſi ſingulas ejus virtutes, ſingula egregie dicta, ac facta pergam connumerare, non potero hodierno die orationis exitum invenire, et merito imprudens habear, et inopportunus; hiſtoriam enim ejus vita, et alterum poſcit Xenophontem. Sed quem noſtrum ſuperioribus his diebus admirabilis ejus in patriam pietas, ſummus amor, vehemens caritas non commovit? Cum vir optimus, ſenio jam confectus, et priore adhuc recenti morbo debilitatus, quotidie in collegium ad conſultandum de republica, quotidie in

ſena-

ſenatum veniret, ut nullo tempore, dum vitam, dum ſpiritum duceret, patriæ utilitati, et amplitudini deeſset; ut pæne exiſtimari poſsit pro republica mortuus, qui confecto corpore nullum umquam a vobis onus impoſitum recuſarit; digniſſimus certe, ſi quis umquam civis, qui totius reipublicæ lacrimis honeſtetur, quem univerſa hæc civitas luctu vel maximo proſequatur, cujus, quantum veſtrum longe lateque patet imperium, clariſſima facta, divinaque memoria celebretur. Cum igitur quæ maximæ animi ſunt virtutes, iis Cornelius noſter ita excelluerit, ut majoribus non ceſserit, poſteris exemplo futurus ſit; ea etiam omnia quæ in vita hominum ſi non laudanda, ſaltem optanda videntur, naturæ, et fortunæ bona, tanta deorum largitate eſt aſſecutus, ut vel ob id apud eos qui ipſam ex ea re felicitatem metiuntur, jure feliciſſimus haberi debeat. Quam enim decora forma fuit! quanta oris majeſtate! qua totius corporis pulchritudine! qui illius, ſederet, ſtaret, incederet, decor! quæ omnibus in rebus dignitas! patriam autem, et genus quis expetat ampliora? Iam vero divitiarum, opum, copiarum quis privatus umquam tantum animo concepit, quantum hic propria virtute comparavit? Quid affinitates? quid cognationes? quid clientelas commemorem? quid ſex filias nobiliſſimis civibus conjugio collocatas? quid denique fortiſſimos, et clariſſimos filios ſummis honoris, fortunæ, virtutis præditos ornamentis? quæ ſingula ſi pertractare velimus, neſcio an aliquem inveniemus, non ſolum noſtrorum, ſed etiam antiquorum, quem ei conferre poſſimus; ut quæ maxima homini tribui poſsunt, animi, naturæ, et fortunæ dona, ea omnia dii immortales in unum Georgium Cornelium congeſsiſse videantur. Verum quod quæ a fortuna, et a natura poſsidemus, cum iis quæ excolunt, et illuſtrant animum, numquam comparanda eſse exiſtimarim; et quod uſquequaque Cornelius animi virtute floruerit, eo parcius de illis mihi dicendum eſse putavi. Quamquam illud ſileri non debet, quod tot tantiſque affluens bonis, ita ſemper ſe geſsit, ut numquam in poteſtate ſe extulerit, numquam in divitiis inſolens fuerit, numquam propter fortunæ abundantiam ſe aliis prætulerit; ut oſtenderit, ſolere

deos immortales, quos amant, et excellentes virtute norunt, iis ſecundiorem etiam quam vel optare pro eorum modeſtia auſi ſint, fortunam concedere: neque opes et copias ſuperbiæ, ac libidini, ſed bonitati, ac moderationi facultatem, et materiam præbere. Si quis vero exſpectabat ut de ſororis Catharinæ reginæ eximiis animi dotibus, ut de Marci filii Cardinalis ampliſſimi, Romanæ eccleſiæ luminis, innumerabilibus virtutibus dicerem; conſideret immenſum, et ſpatioſiſſimum Georgii ipſius laudum campum: recordetur utriuſque horum clariſſimas laudes ab eloquentiſſimis viris ex hoc ipſo loco ſempiternæ fuiſſe memoriæ commendatas. Itaque finem jam dicendi faciam, ſi quid tantum de ejus in morte conſtantia, deque divina orationis ad filios gravitate perſtrinxero. Vt primum dicere incepit, continuo filii, et qui aderant omnes, obortis lacrimis, ſingultus continere nequibant. Ipſe permanſit immotus, infracto et conſtantiſſimo animo, et inſtitutam orationem eſt proſecutus: *illos ob ejus ex hac vita diſceſſum, minime dolere debere, ſiquidem ſe non mori certo ſcire, ſed ad veram vitam, et ſempiternam felicitatem properare: corpus hoc animi carcerem eſſe, aut certe veſtem et indumentum; quod ſi aut carceris vinculis relaxaretur, jucundiſſimum illis omnibus eſſe debere; aut ſi veſtimentum quo juſſu Dei ad tempus ab ipſo præſtitum indutus eſſet, exueret, non grave videri. Immortales enim hominibus a Deo animos eſſe datos; hanc quam vitam arbitramur, exſilium eſſe, verum hominem ipſum eſſe animum: corpus vero veluti extraneum animi diverſorium. Propterea ſic exiſtimarent, ſe numquam minus liberum, minus cum illis fuiſſe, quam dum in corporis cuſtodia retentus eſſet; cum autem ex hominum vita migraverit in cælum, tum vero ſecum ſemper futurum: tum illorum ſemper ſe cogitationes, actiones, virtutes inſpecturum. quod ſi ei rem gratiſſimam, quemadmodum confidebat, facturi eſſent, darent operam ut quam concordes viverent, et ſemper pro eorum viribus ſtuderent ut de cariſſima patria quam optime meriti eſſent, quemadmodum et ipſe, et eorum majores omnes ſemper fecerunt. quamquam numquam in ea re ſuo ipſe deſiderio ſatisfeciſſet; quippe qui non quam exoptaſſet, ſed quam maxime valuiſſet, reipubli-*

ca

*ca operam impendiſſet. quare ſcirent, ſe ab illo non magis am-
pliſſimarum opum et divitiarum, atque adeo gloriæ, quam hu-
jus egregiæ in patriam voluntatis heredes relinqui.* Quibus
dictis ſanctiſſimus animus corpore ſolutus evolavit in cælum.
Quare, ſapientiſſime princeps, patres optimi, et vos filii ve-
riſſima ſanctiſſimi patris imago, ſi velimus dolere, noſtro tan-
tum, et reipublicæ incommodo detrimentoque doleamus; ejus
vero conditionem læto animo feramus, et eum benevolentia
potius quam miſericordia proſequamur; ſiquidem feliciſſime
cum illo actum eſt; nam omnibus fere ſummis reipublicæ gra-
datim functus honoribus, omni virtutum genere illuſtris, ex-
trema propemodum ſenectute, omnibus integer ſenſibus, opti-
mis filiis, et nepotibus ſuperſtitibus, gloriam quam nulla de-
lebit oblivio, nulla tacebit ætas, adeptus, ad æternas illas,
et feliciſſimas ſedes commigravit. Quo ex loco, princeps ſa-
pientiſſime, patres, et cives optimi, vos orat et obſecrat, pri-
mum ut reipublicæ, quæ in veſtro ſinu, et ſapientia repoſita
conquieſcit, quam optime inſerviatis; deinde ut cariſſimos ejus
filios commendatiſſimos habeatis; ut quemadmodum ipſe, et
pater, et avus, et majores ejus omnes ſummis in republica
dignitatibus claruerunt, ita filiis etiam illis perfrui liceat.
Quod etiam vos, præſtantiſſimi filii, pro veſtris meritis, ve-
ſtraque virtute, proque patrum, et civium veſtrorum grata
animi benignitate, non ſolum ſperare, ſed certiſſimi eſſe de-
betis, vos eſse conſecuturos. Dixi.

ANGELI GABRIELII

SILVESTRI FILII,

PATRICII VENETI,

in funere Reverendiſſimi Cardinalis

BAPTISTAE ZENI,

PAVLLI II. Pontificis Maximi ſororis filii;

qui obiit Patavii VIII. Idus Majas anno a partu Virginis MDI.

ORATIO.

QVAMQVAM me novum munus, atque inſolita ex hoc loco dicendi ratio maxime moveat, Sereniſſime Princeps, Præſules Reverendiſſimi, Oratores præſtantiſſimi, optimi atque ampliſſimi Patres; veſter autem conſpectus multo mœſtiſſimus, atque frequentiſſimus retinere lacrimas, et conſiſtere animo non ſinat; tamen una me res conſolatur, quod mihi a vobis hoc tempore cauſſa talis injuncta eſt, in qua oratio nemini deeſſe poteſt: orationi dignitas, luctus, mœror, quantus adeſſe debet, non poteſt. Dicendum eſt enim de Baptiſtæ Zeni Cardinalis defuncti, viri optimi atque ſanctiſſimi, ſingulari eximiaque virtute; cui ſi maximum decus atque ornamentum viventi ejus præſtitit vita, et gloria illuſtris; nunc in morte ejus

ejus deeſse nos civi noſtro, deque noſtra republica, ac chriſtiana religione optime merito non debemus. Sed quoniam hoc loco veſtra pietas, patres conſcripti, nullum officii genus, nulla honoris et dignitatis inſignia prætermiſit quæ clarorum virorum decorandis funeribus more majorum decernuntur; vellem ego quoque ejus ingenii, ac facundiæ eſſe, ut tantæ dignitati, ac exſpectationi noſtra oratio impar, imbecillaque non eſset. Verum quia ille juſtitia, prudentia, temperantia, fortitudine, ceteriſque virtutibus, omnem denique bene loquendi ſcientiam bene agendo ſuperavit, ſatis mihi erit, patres conſcripti, dum vobis morem geram, ſi tanti viri vitam, fortunas, mores quo potero ſtilo, perſtrinxero. quo in negotio non mihi copia, ſed modus potius quærendus eſt. Non dicam itaque de hujus in qua natus eſt civitatis gloria atque ſplendore, quæ rerum a ſe geſtarum magnitudine, incomparabili diuturnitate libertatis, præſentia civium, et novitate quadam, ac ſitus opportunitate, vix ulla laude digne ornari poteſt· non dicam de antiqua, nobilique familia Zenorum, quæ tot egregios cives edidit; ut non ſatis conſtituerim, pluſne illa huic civitati, an hæc civitas ſibi ſplendoris attulerit. nam (ut ceteros prætermittam) protulit hæc familia in lucem Carolum illum Zenum, vindicem libertatis, patriæ liberatorem, militiæ parentem, naturæ denique virtute, rerum terra marique geſtarum gloria tam inſignem, ut etiam hoc uno civitas noſtra potuerit in omni genere laudum cum antiquitate certare. ſatis hæc ipſa per ſe hominum memoria illuſtrantur: ad ipſum de quo agimus, properabo. Ex hac ergo familia natus eſt Baptiſta Zenus, Nicolao Zeno patre, viro egregio ac ſingulari, atque in reipublicæ adminiſtratione præclaro; matre Heliſabetha Paulli Barbi Pontificis Maximi ſorore, femina ſanctiſſima, ac perilluſtri, utpote quæ ingenio ac moribus Paullum fratrem, et Eugenium avunculum referebat; qui duo Pontifices Maximi tantæ dignitatis, ac venerationis exſtiterunt, ut ad hunc uſque diem a Romanis civibus, a chriſtiana republica, ab univerſo denique terrarum orbe deſiderentur. Educatus a parentibus accurata diligentia, in primis literarum rudimentis ſeſe miro ſtudio puer exercuit. itaque facile ipſa indoles, atque

ingenii vis, quantam eſſet frugem, quantas meſſes datura, ſi maturuiſſet, in ipſa ætatis acerbitate præ ſe tulit. Adoleſcens eloquentiæ potiſſimum operam dedit, in qua præterquamquod natura ad facundiam natus genituſque videbatur, ipſe etiam illam percoluit, auxitque diſciplina. Sumta virili toga, bene ſe ſe more majorum ad rempublicam contulit; cui ſi, ut cœperat, operam impendiſſet, omnes mehercule honorum ac dignitatum gradus eſſet ab ea feliciter, ac brevi tempore aſſecutus. Verum Deus Optimus Maximus, qui jampridem tantum militem cohorti prætoriæ deſtinaverat, illum a reipublicæ temperatione, pergentem jam proficiſcentemque, ad majora amplioraque revocavit. Mortuo enim patre, cum annos natus eſset ſeptem et viginti, Pontifex eum Paullus Romam accerſivit; ubi primum ſacris initiatus, ampliſſimo ab eo protonotariatus ſacerdotio donatus eſt: mox ille hominis ingenium doctrinamque admiratus, ſtatuit eum in numero Cardinalium eſse habendum. ante tamen quam ei publice eam dignitatem contuliſset, per triennium illum maximis in rebus ſemper exercuit. Poſtquam autem Cardinalis eſt factus, mira lætitia omnes affecit qui reipublicæ chriſtianæ curam gerebant. tunc enim acerrimum fidei propugnatorem ac defenſorem futurum prævidebant. Romani autem ſupra modum gaviſi ſunt cives, tum quia ingentem animum ingentemque ſpiritum in illo eſſe cernebant, tum quia ſi in pontificatu Paullo ſuccederet, alterum Pontificem Paullum ſe in illo habituros confidebant; quem ſicut mira oris corporiſque ſimilitudine, ita mente animoque referebat. Sed o fallaces hominum curas! o ſtudia inania mortalium! En mortuus ante oculos jacet is quem nuper tanta gloria florentem conſpiciebamus; quem ad apicem ſummi pontificatus, quod quidem homini maximum honoris culmen in hac vita tribui poteſt, perventurum ſperabamus. Vbi nunc eſt tuus ille decor, Baptiſta Zene? ubi tua illa ſunt honoris et dignitatis inſignia? ubi ſpecies illa admiranda, atque imperio digna? ubi vis illa ingenii qua ſupra ceteros excellebas? ubi ſolertia, facundia, gravitas, hilaritudo, lepos? Verum quid de virtutibus tuis dicemus? quæ in te uno ita illuſtres, ita eximiæ exſtiterunt, ut nulla oratione

com-

compleƈti, numquam ſatis ab aliquo digne laudari poſſint. Non tu eccleſiæ bona dilaniari umquam permiſiſti: non te a recto, potentium illecebræ, aut minæ umquam flectere, non ipſorum pontificum præmia, atque pollicitationes potuerunt. Quamvis enim Sixtus Pontifex Maximus (is enim Paullo ſucceſſit) maximis titulis, atque ampliſſimis ſacerdotiis auxerit, atque honeſtarit, omnes honoris cumulos in te contulerit, nihil quod ad tuam faceret dignitatem, utilitatem tibi pernegarit, numquam tamen tanti apud te fuit, ut tuo permiſsu quidquam ex eccleſiæ juribus abalienaret. Innocentius autem Octavus, qui in locum Sixti ſuffectus eſt, vir ſane probi animi, dicere ſæpius ſolebat, beatam brevi rempublicam chriſtianam futuram, ſi multos tui ſimiles eccleſia cardines habuiſset. Videbat enim te quotidie pleno Cardinalium collegio eccleſiæ jura tuentem, maximaque cum contentione pravis conſiliis adverſantem, neminem juſtitiæ cauſsa timentem, omnia denique facientem quæ optimum maxime atque ſanctiſſimum virum deceret. Sed quid ego hæc de Innocentio? legatus olim Italiæ a Sixto Pontifice factus Cardinalis Zenus noſter, mirum eſt qua animi æquitate, qua moderatione, qua gloria, quo ſplendore procurationem tantam ſuſceperit, geſserit, adminiſtrarit. Nulla eſt civitas, nullus eſt Italiæ locus qui non adhuc legationis illius memoriam ſumma cum veneratione recolat. Non enim ille lucrandi ſtudio potentes urbes adibat, non adventu ſuo pergravabat; ſed quantum communis utilitatis cauſsa, ipſa neceſſitas poſtulabat, immorabatur; nullos labores recuſabat, benigne omnes audiebat, diſſidia, querimonias, controverſas res omnes, denique cauſsas diſcordiarum tollebat, pacem ubique componebat. Ex quo illum omnes non tamquam Pontificis procuratorem, eccleſiæ legatum, Cardinalemve; ſed tamquam communem omnium parentem ſibi e cælo miſsum, miro amore proſequebantur. In patriam eo tempore venit cum ejus viſendæ gratia a qua diu abſens fuerat, tum ut legationis munere fungeretur: ubi a ſenatu noſtro mirifice, ac regio apparatu ſuſceptus, ipſe etiam cujus animi ac pietatis in nos eſset, facile demonſtravit. Longum eſset ſi hoc loco recenſerem, princeps illuſtriſſime, qua caritate, quo amore, qua benivolen-

lentia affines, propinquos, familiareſque complexus fuerit ſuos; qua humanitate, qua benignitate omnes ſit proſecutus; qua demum comitate, clementia, pietate, ingeniique dexteritate ſemper nobiſcum egerit. qua in re ſane, ut alia prætermittam, ampliſſimum teſtimonium ejus diſceſſus præbuit; cum nemo eſset qui non intimis ſenſibus angeretur. Qua vero liberalitate ſe geſserit, quis ignorat? cum audierit in eo obeundo munere in quo plerique omnes magnas ſibi divitias, magnos theſauros comparant, illum non modo nihil eſse lucratum, ſed etiam multam de ſuo pecuniam exhauſiſse. Privatis vero in rebus negotiiſque familiaribus qualis fuerit, ex luctu atque moerore iſtorum cognoſcite. Qua abſtinentia, continentia, parſimonia, frugalitate dicamus? quibus virtutum quaſi flammis claruit atque illuxit. Quantus autem in eo fuerit colendorum ingeniorum ardor, docti atque præclari viri præ ſe ferunt; quibus ille maxime delectatus eſt, quoſque ſemper habuit ſecum, juvit, fovit, erexit, atque honeſtavit. Neque porro ſapientia, prudentiaque minus in eo claræ exſtiterunt: non enim ſolummodo ſibi, ſed paſſim etiam aliis optime conſulebat, nihilque umquam in Italia præter ſpem, atque hominum opinionem accidit, quod non ille multo ante præviderit quam evenerit. Nihil ille ignorabat; noverat enim quid Italia, quid Gallia, quid Germania, quid Hiſpania, quid Orientis vires, quid denique ipſe terrarum orbis, ſi quid moliri vellet, poſset efficere. Sed heu me miſerum! mors quidem omnia, maxima, minima nihili facit. Vos, ſi poſsem hoc loco, poſtularem, Romani cives, ut mihi teſtimonium de hujus viri virtute afferretis, quem per triginta annos vobiſcum atque eo amplius habuiſtis; certe ita omnes una voce atque uno conſenſu reſponderetis: *Nos quidem noſtræ urbis, noſtræ ipſorum dignitatis, libertatis, fortunarum omnium magnum præſidium, magnum ornamentum amiſimus. porro ille ille vir, o Veneti, quantum patriæ veſter, tantum noſter erat caritate; omnes nos uti pater filios, et amabat, et amabatur. Non ille modo harum, modo erat illarum partium; nullas factiones noverat, nulla odia conſectabatur, quæ bellorum fomenta ſunt; ſed ad publicam ſemper utilitatem omne ſuum ſtudium, diligentiam, laborem;*

rem;

rem, omnes ſuas opes, omnem dignitatem convertebat. cujus quidem corpus vos in veſtra urbe ac veſtris templis habetote: nos in pectoribus noſtris ejus virtuti monumentum fecimus, ſemperque faciemus

Dum domus Aeneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Defuncto Innocentio, cum ſub Alexandro Pontifice quem noſtra ætas, et chriſtiana religio veneratur, ingraveſcente jam ætate, etiam podagræ morbus, quem longo tempore patientiſſime tulerat, gravius cum illo agere cœpiſset, ſtatuit tum relaxandi animi gratia, tum valitudinis cauſsa parumper ab Vrbe recedere, patriamque rurſus inviſere, cujus deſiderio ſummopere tenebatur. Verum nihil illi ad valitudinem hæc diligentia profuit; variis enim ægritudinibus, nedum podagra ſolum, fere uſquequaque laboravit. Demum peragratis circumquaque multis urbibus, cum ſe Patavium contuliſset, neque cæli mutatione, neque opera medicorum adjutus, invaleſcente in dies morbo, ex hac vita pie ſancteque deceſſit annos natus duos et ſexaginta, menſes decem, cum tres et triginta annos Cardinalem geſſiſset. Hæc de vita: quamquam neque culta ingenio, neque arte elaborata; ſed fide, ſed veritate pleniſſima, et pro temporis viriumque tenuitate, carptim, curſimque pronuntiata. Quæ vero in morte vobis dederit pietatis in patriam, in chriſtianam rempublicam, in ſacroſanctum Romanum nomen benivolentiæ, in ſuos largitatis, in divorum culturam religionis: humanitatis, prudentiæ, virtutum denique omnium monumenta; neque mihi, neque aliis dicendi locum reliquit. Nam ea quidem vobis per ſe ſe conſpicua, illuſtria, teſtatiſſimaque ſunt, eruntque etiam ſine ullo extra ſe præconio ſemper. Moriens ille vos, patres conſcripti, cum videret ab atrociſſima, potentiſſimaque Turcarum gente bello graviſſimo infeſtatos, neque veſtrum tantummodo imperium, ſed etiam rem chriſtianam peti, cujus ſalus cum noſtris fortunis conjuncta eſt; heredes ex aſse Alexandrum Pontificem Maximum, atque vos fecit, in hujuſce opportunitate belli erogando atque inſumendo. Prætereo hic prudens ſcienſque, patres conſcripti (quis enim omnia una concione perceſeat?)

quæ

quæ ille vobis in ſui memoriam, quæ diis immortalibus in eorum ædium refectione, quæ neceſsariis, quæ amicis, quæ familiaribus legaverit, quantumque auri atque argenti fabrefacti pondus in publicarum cærimoniarum ſplendorem depromendum donaverit ſacrario veſtro. Hoc unum ipſum quantum eſt! proſpexiſse decedentem, quaſi ex ſpecula, ſic ex vitæ limine, periclitantem Romanam, et Chriſti rempublicam, eamque opibus juviſse: reliquiſse laborantem patriam, eamque auxiſse non ſolum opibus, ſed dignitate, majeſtate, gloriaque ſempiterna; quamque urbem ipſe ſemper quaſi vallum Italiæ poſitam contra Orientis minas, chriſtiani hoſtes nominis impugnaviſse, amicos defendiſse, bella maxima, atque periculoſiſsima pro eorum libertate geſsiſse audierat, legerat, viderat; ea nunc etiam duriſsimis temporibus ut in officio permaneret, pro virili parte effeciſse: et qui omnium gentium chriſtianiſsimi ſemper habiti eſtis, patres conſcripti, iidem et ut potentiſsimi eſsetis, quantum in ſe fuerit, laboraviſse. His atque aliis egregie conſtitutis clariſsimo tuæ vitæ munere lætus hilariſque defunctus es, noſter Zene, eo feliciori fortuna atque fato quod ex omnium mortalium numero, qui bene vivant non multi quidem ſunt, eos autem qui bene etiam moriantur, vix unos aut alteros ſingulæ ætates habuere. Itaque ſapientes viri jubent, non de curſu, ſed de vitæ meta rationem eſse habendam eorum quos judices, rectene, an perperam vixerint: neque tam quo pacto vitam vivamus, quam quo pacto vitam claudamus, eſse reſpiciendum. Neque vero te fas erat aliter mortem oppetiiſse, qui ſic vixeris; neque, qui mortem ſic oppetieris, aliter vixiſse eſt exiſtimandum, etiam ſi te viventem antea non aſpexiſsemus. Quæ cum ita ſint, patres conſcripti, quis dubitat, quin ille in cælum jam unde huc venerat, reverſus, inter eorum beatiſsimas animas qui civitates condiderunt, qui recte adminiſtraverunt reſpublicas, qui leges optimas poſuerunt ſuis civibus, qui denique honeſte, religioſiſsimeque vixerunt, felix beatuſque perpetuo ævo fruatur, neque a nobis lacrimas, aut iſtum mœrorem quo affecti eſtis, petat; ſed ut ſui memoriam mentibus veſtris retineatis, benefacta imitemini, moneat, atque depoſcat? Non

enim

enim fletibus atque ſingultibus clariſsimorum virorum manes gaudent, ſed recordatione, imitatione, æmulationeque virtutum. Itaque quoniam nimis jamdiu vos oratione mea remoror atque detineo, patres conſcripti, non hoc loco Zenos, non Barbos, non reliquos propinquos, affines, amicos, familiares conſolabor multis verbis, atque uſitato genere conſolationis; eam eſse ſcilicet conditionem hominum, eam eſse datam legem, poſitamque neceſſitatem mortalibus, ut quandoque ex hac vita decedatur: nos item ſingulos propediem, aut paullo poſt, cum Deus juſserit, migraturos. Vno eos verbo conſolabor: non tam eſse dolendum, abiiſse de cœtu noſtro tantum virum, quam gaudendum, lætabundum abiiſse: neque tam amiſiſse illum, triſte, quam habuiſse, pulcherrimum exiſtimandum. Quamquam quidem certe non amiſimus, neque umquam amittemus; erit enim ille ſemper nobiſcum, vivetque tamdiu, quamdiu erunt qui vitam hominum, benefactis, non annorum numero, metiantur. Vos autem, patres conſcripti; teque, princeps illuſtriſſime, obſecro atque obteſtor, ut quando vos Cardinalis noſter ita beneficio devinxit, ut nihil ſit quod non illi debeatis, eas opes quas ille vobis reliquit, ita pro veſtra libertate, ac veſtri imperii dignitate, pro ſalute Italiæ, pro chriſtianæ reipublicæ defenſione, gloria, incremento exerceatis, ut omnes homines vobis debeant. Dixi.

Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo Viro

IOANNI PASCHALICO, VENETO SENATORI AMPLISSIMO,

Rei Literariæ Triumviro.

Ioannes Antonius Vulpius S. P. D.

PRæclarum ſemper habitum fuit, ac certiſſimum veræ nobilitatis indicium, Senator Ampliſſime, reſpondere in amore iis a quibus omni officiorum genere provocere; non, quod ſine ſummo ac nefario ſcelere mutua prætermitti benevolentia poſſit, ſed quod hac temporum iniquitate plerique jam homines eo ſe ſcelere obſtringi facile patiantur. Illud tamen longe præclariſſimum exiſtimari debet, ei qui nullam adhuc obſervantiæ erga te ſuæ ſignificationem dederit, rationem qua de te optime promereri poſſit, quaſi digito monſtrare; ut ſcilicet in quem beneficia conferre cogites, eum antea dignum beneficio præſtes. Qui hoc pacto aliis prodeſſe ſtudent, ii quodammodo Dei Optimi Maximi ſapientiam, ac liberalitatem imitari videntur, qui nos ideo primum bonos efficit, ut deinde beatos efficiat, et a quo perinde virtutes ipſas, ac uberrima virtutum præmia accipere homines conſuevere. Quorſum hæc pertineant, jamdudum ſentire te arbitror, Vir nobiliſſime atque humaniſſime; tuas enim laudes agnoſcas, neceſſe eſt, quotieſcumque de ſingulari quadam beneficaque natura ſermo inſtituitur. Cum enim ſæpius de ingenii mei mediocritate, et de ſtudiorum meorum ratione, deque amore quo liberales diſciplinas a puero ſum complexus, nonnihil audiſſes; continuo me non indignum cognitione ac benevolentia tua exiſtimaſti; utque mihi, tenui ſane homini et novo, aditum ad te aperires, futurum tibi gratiſſimum oſtendiſti (quod commodo meo fieri poſſet) ſi egregiam orationem quam Petrus Paſchalicus, inclytæ Familiæ tuæ maxi-

maximum decus atque ornamentum, ad Emmanuelem Luſitaniæ regem Reipublicæ Venetæ legatus olim habuiſſet, typis Cominianis denuo excudendam curaſſem (exciderat enim fere ex hominum memoria, et in pauciſſimorum bibliothecis adſervabatur); ejuſque orationis exemplum mecum benigne communicaſti. Ex hoc honeſtiſſimo deſiderio tuo, quanta in majores tuos pietate, quanta in bonas literas propenſione, et qua erga me ipſum voluntate ſis, facile perſpicere potui. quapropter dedi operam ſedulo, ut quamprimum tibi cumulate ſatisfacerem; non ſolum enim Petri *hujus* Paſchalici *Orationem, ſed et plures alias civium tuorum clariſſimorum, quæ aut calamo tantum exaratæ in publicum conſpectum nondum exierant; vel typis deſcriptæ, longo tamen ſitu ac pædore obſoleverant; alia item opuſcula elegantiſſima, et multum ſtudioſis hominibus profutura, non mediocri ſumtu, atque incredibili diligentia divulgari curavi; ut tibi potiſſimum qui me impuliſti, hanc egregiorum ſcriptorum editionem docti homines, nobileſque in primis Veneti adoleſcentes omnino debituri ſint. Nihil addam in præſentia de Familiæ tuæ laudibus, nihil de Fratrum tuorum, tui vere ſimilium, dignitate atque ſplendore; e quibus* Georgius *potiſſimum ſupremus totius Rei Maritimæ Præfectus, difficillimam provinciam ſumma cum ſua gloria, ac Reipublicæ utilitate adminiſtrandam ſuſcepit; nihil denique de tuis ingentibus ſpectatiſque virtutibus; res eſt enim neque ingenii mei, neque hujus loci, aut temporis, neque adeo quam eximia probitas et pudor tuus ullo modo pati poſſit. hæc omnia enitent ipſa per ſe, atque in oculis univerſorum poſita, nullius oratione ornari, aut clareſcere poſtulant. Rogabo potius, ut munuſculum hoc meum eo quo tibi offertur animo, accipias, ingenuo nimirum ac benevolentiſſimo; deinde ut rationibus meis conſulas enixe obſecro atque obteſtor, qui optime id præſtare potes, in eo ſcilicet dignitatis gradu collocatus ad quem te plurima et ſingularia in patriam merita, et præcipue mirificus quidam literarum amor provexit. Vale. Patavii. Kal. Iunii. MDCCXIX.*

PETRI PASCHALICI MONVMENTA.

Venetiis in Templo D. Antonii de Caſtello, ad ſiniſtrum latus aræ Crucifixi.

PETRVS. PASCHALICVS. DOCTOR. CELE
BERRIMVS. EQVES. PRAECLARISSIMVS
PERFECTVS. ORATOR. OPTIMVS. SENA
TOR. LEGATIONIBVS. AD. LVSITANIAE
HISPANIAE. BRITANNIAE. HVNGARIAE. RE
GES. IMPERATOREMQVE. MAXIMVM. ET
BVRGVNDOS. FELICITER. GESTIS. LEGA
TVS. AD. FRANCISCVM. GALLIAE. REGEM
MEDIOLANI. DIEM. SVVM. OBIIT. M.D.XV.

Ad dextrum latus ejuſdem aræ.

FRANCISCVS. GALLORVM. REX. PETRI
PASCHALICI. VIRTVTES. TANTI. FECIT
VT. EIVS. FVNVS. MAGNIFICA. ET. PVBLI
CA. POMPA. MEDIOLANI. CELEBRANDVM
ET. ORATORE. AD. HOC. IPSVM. DESTINA
TO. CADAVER. HONORIFICE. COMITANTE
IN. PATRIAM. REPORTANDVM. CVRAVE
RIT. QVOD. IN. HOC. MONVMENTO. CON
QVIESCIT. VIXIT. ANNOS. XLIII

Infra in gradu altaris.

PETRVS. PASCHALICVS. PHILIPPI. FILIVS
EQVES. MARINAE. VXORI. RARISSIMAE
ATQVE. INCOMPARABILI. EX. PVERPERIO
DEFVNCTAE. SIBIQVE. AC. HEREDIBVS
V. P. M. D. XIII

PETRI PASCHALICI
PATRICII VENETI,
LEGATI
AD
EMMANVELEM LVSITANIAE REGEM,
ORATIO.

Habita apud Vlyſſiponem XIII. Kalendas Septembres, anno a partu Virginis MDI.

VEtus hoſpitium, mutuique amoris ſtudium, quod a majoribus acceptum cum Majeſtate tua Veneto nomini intercedit, Rex Sereniſſime, magnam ſpem attulit Auguſtino Principi noſtro, et univerſo Senatui, cum primum regni te hujus potitum eſse cognovimus, fore ut omni tempore tam amicus Venetæ Reipublicæ et eſse, et videri velles; tam omni officiorum genere conjunctus, quam quivis alius regum qui hodie ſunt in terris, aut umquam fuerunt, conjunctiſſimus, et amiciſſimus. In quam ſententiam non modo nos confirmavit vetus Luſitanorum regum benivolentia uſque ad hunc diem mutuo inter nos ſanctiſſime conſervata, ſed virtus tua in primis jam longe lateque per orbem terrarum cognita ac divulgata: quæ etiam in ſpem maximam, præter Venetam civitatem, omnes Europæ gentes, populos, regna, nationes commovit

atque

atque excitavit. Nemo enim fuit qui ob ea quæ aſſidua hominum prædicatione de tuis virtutibus ferebantur, non perſuaſum haberet, brevi futurum, ut chriſtiana religio plane intelligeret, datum ſibi Dei Optimi Maximi munere unum ex omni regum numero, qui virtute, conſilio, felicitate, non ſolum rem chriſtianam feſsam, labantemque tueretur, ſed longe etiam lateque propagaret. Quam quidem communem omnium de tua virtute ac ſapientia opinionem, rex illuſtriſſime, magis ac magis confirmavit, et hominum animis impreſſit catholicorum, ac inviƈtiſſimorum Caſtellæ regum ſocerûm tuorum præſtantiſſimorum auƈtoritas, atque judicium; qui certe, niſi tantus eſses, quantum te omnes prædicant, non adeo libenter, mihi crede, te ultro in generum requiſiſsent. enimvero quia ita natura eſt comparatum, ut optimus quiſque ſimilem ſibi maxime concupiſcat. Non mirum itaque ſi talia argumenta ſecuti mortales, hoc de te, deque feliciſſimo regno tuo ſibi promittunt, hanc ſpem alunt, hos ſibi ſucceſsus proponunt. Quippe quia hæc de te hominum judicia vel in ipſo tui regiminis rudimento et probaſti, rex inclyte, et auxiſti. Nam, ut domeſtica prætermittam, quæ quidem talia ſunt, ut nulla ſit tam vehemens dicendi facultas, nulla verborum copia, quæ non dicendo prius defatigetur, quam illa exſequi umquam ſatis queat; quid, per Deum immortalem, abs te aut præclarius, aut admirabilius fieri potuit, quid ad regni opes firmandas conducibilius, quam quod ab ipſo tuæ moderationis limine, adoleſcens adhuc, multorum principum benivolentiam incredibili munificentia tibi conciliaſti? alios aut fœdere junxiſti, aut affinitate copulaſti? non otio neque deſidiæ deditus, ſi quando a rebus bellicis vacares, ſed modo venando, modo campeſtri exercitatione te, et tuos ita exercendo, ut numquam minus in otio fueris quam cum abundare otio creditus eſſes. quamquam non minore inter ea ſtudio pacis artes juſtitia, quam belli munia ingenio et viribus foveris. Nam de clementia, fide, pietate, beneficentia, animi magnitudine, ceteriſque virtutibus quæ in te uno uſquequaque eminent atque elucent, ſatius eſt me præterire quam parum dicere, ne culpa ingenii, ipſa oratio præ magnitudine virtutum, ac lau-

laudum tuarum opere in medio fatiſcat. Sed quamquam hæc ita magna ſint, ita ſublimia, atque admiranda, ut non modo omnium oratorum ingenia deterreant, ſed omnem jam invidiam excedant; leviora tamen videri poſſunt, ſi cum uno tuæ majeſtatis opere conferantur; cum quo ne antiquorum quidem regum, populorumve illuſtrium ullum umquam facinus comparari poteſt. Nam quæ regio eſt in terris, quæ gens hodie tam repoſita, et ab omni hominum commercio tam remota, ad quam non fama pervenerit, hoc brevi tempore alterum terrarum orbem, quem et Ptolemæus, et Strabo, et reliqui mundi ſcriptores penitus ignoraverunt (rem certe miram, atque præclaram: rem nullis ante temporibus cognitam: rem memorandam atque hiſtoria dignam, et in qua omnes ſtudioſi elaborare atque exercere ingenium debent) tuo conſilio, cura, induſtria, diligentia, tuiſque auſpiciis jam eſſe inventum atque hominibus patefactum. Quod non Carthaginienſes olim, non Romani rerum domini poſt Carthaginem everſam, non Alexander ille Magnus mundi ſcrutator, non Græcia omnis dum floruit, non Aegyptii, Aſſyriique reges ſunt aſſecuti, tua virtus, atque felicitas eſt adepta. Omnis exterioris Libyæ ora ab Atlantico Oceano ad Barbaricum uſque ſinum qui Erythræo jungitur, tuo juſsu atque imperio eſt enavigata. gentes, inſulæ, litora ad id tempus ignota aut tuis ceſsere armis, aut his territæ tuam amicitiam ultro expetivere. Gloriati ſunt ſummi reges olim, et populi antea invicti, quod ad Oceanum uſque arma promoviſsent: tu, rex invictiſſime, in ſubterraneum uſque hemiſphærium, et in Antipodas promoviſse imperium, jure gloriari potes. et quod omnium maximum eſt, maximeque memorandum, diſcretas naturæ imperio gentes, duoſque diverſos terrarum orbes commercio conſociaſti. Qua re profecto haud ſatis dici poteſt, quantum commodi, quantumque utilitatis percipiat univerſus orbis ob mel ex arundinibus collectum, ac alia complura, quæ inde ad humanum uſum affatim ubique deferuntur, quantumque etiam in poſterum, ob aromata cujuſcumque generis a tuis nuper navibus inventa, ſit percepturus. Et dubitabimus adhuc, quin immortalitas nominis jam tibi non ſit parta? Crede mihi, rex excellentiſſi-

me,

me, omne ævum præclara facinora tua commemorabit, poſteritas admirabitur, gentes celebrabunt, omnis denique hominum vita, niſi ingrata eſse velit, tibi uni magis debere fatebitur quam aut veterum regum, aut novorum cuiquam. Verumtamen quamquam multa adeo magna geſſeris, adeo memoranda, tamen nihil eſt, rex glorioſiſſime, in quo pietas, et magnitudo tua aut major, aut admirabilior appareat: nihil in quo juſtius cælum meruiſse videaris, quam quod, cum Dominicus Piſanus eques, orator noſter, qui per catholicos Caſtellæ reges, et noſtrum ſenatum ad te viſendum atque honorandum miſſus, tuæ celſitudini declaraſſet, quam ingens periculum non ſolum reipublicæ noſtræ, ſed etiam chriſtianæ pietati ab immaniſſimo, ac potentiſſimo Turcarum rege immineret: quantumque ejus opes hac tempeſtate plus nimio invaluerint: quantas chriſtianorum ſtrages fecerit: quot denique novos, et tremendos cujuſcumque generis apparatus adverſus chriſtianum nomen moliatur; tua ſponte tam ſancte, tam pie, tam denique religioſe animum adjeceris ad id bellum quod incredibili diſpendio jam tertium annum cum ſæviſſima hac bellua ſuſtinemus, tuis auxiliis ita juvandum, ut, poſtpoſita Mauritania, omnem eam potentiſſimam claſſem quam contra ipſam ſtruxeras, maximiſque jam ſumtibus paraveras, contra impientiſſimos hoſtes non ſolum hoc anno deſtinaveris, ſed etiam in futurum longe majorem atque validiorem, ſi opus fuerit, te miſsurum affirmaveris, ac nihil denique intentatum relicturum quod ad victoriam de crudeliſſimo hoſte reportandam, et bellum omnino conficiendum, neceſsarium ac opportunum eſse videatur. ita enim literæ tuæ majeſtatis, atque ipſius oratoris noſtri ad ſenatum miſsæ, teſtatæ ſunt. Quod cum ita ſit, rex ſacratiſſime, neſcio equidem, cum hanc rem mecum ipſe conſidero, quid pulchrius, quid fortius, quid ſublimius, quid denique divina virtute atque præclara indole tua magis dignum fieri, aut excogitari umquam potuerit. Sumſerunt aliquando majores veſtri arma incredibili pietate pro Hieroſolyma recuperanda; præclaraque in Syria facinora, ut literis proditum eſt, ediderunt: ſed longe majus eſt, et magis utile chriſtianæ reipublicæ quod ma-

majeſtas tua nunc facit. Nam ut validiores ſunt Turcarum vires, quam Syriæ regum fuerunt, ita bellum hoc grave magis atque periculoſum eſt judicandum: et ſi oppugnare hoſtem longe remotum pulchrum eſse cenſemus, multo quidem magis utile, ac neceſsarium eſse videtur, eum qui jam intra viſcera ſit exceptus, propellere ac expugnare. Itaque non immerito, ſicut antea ſemper, ita nunc maxime ob hanc cauſsam te ut virum præſtantiſſimum, principem celeberrimum, regem ſanctiſſimum, princeps, ſenatus, et univerſa civitas noſtra mirifice obſervat et veneratur; ac tantum celſitudini tuæ hac etiam cauſſa debere fatentur, ut nihil penitus ſit eis proprium quod tecum non cenſeant eſſe commune. In cujus rei teſtimonium non contenti per epiſtolam ſublimitati tuæ ſignificare quantum gaudii ſuſceperint quod cauſsam fidei chriſtianæ, uti rex religioſiſſimus, et noſtram, uti Veneti nominis amiciſſimus, ſuſcepiſti, confeſtim facto ſenatuſconſulto me novum oratorem deſignaverunt ad tuam ſerenitatem, ut coram illi pro tantis meritis cumulatiſſimas gratias agerem, quod bellum hoc tam grave et periculoſum pro Chriſti fide omnino juvandum ſuſcepiſti, et ſuſceptum, ut tua eſt pietas atque conſtantia, conficiendum; et, quod præcipue gratum fuit, cum Venetis: cum quibus quo arctiora tibi publici hoſpitii, veteriſque benivolentiæ, tamquam hereditariæ a majoribus relictæ, jura intercedunt, eo ad majorem gloriam accedet, cum his adverſus communem chriſtiani nominis inimicum ſocia arma junxiſse. Quo in negotio non minus erit honorificum tuæ ſublimitati, veterem neceſſitudinem cum Veneta civitate non ſolum inſtauraſse, ſed auxiſse etiam, atque ſtabiliviſse, quam ſi omnino hoſte ſuperato nobiſcum victoriam de eo reportaviſses. Duplex itaque laus hoc facto in tuam excellentiam redundabit: primum, quod Venetam civitatem in laborioſo ac difficili bello adjutam tibi arctius, perpetuoque beneficio devincies: deinde, quod rem chriſtianam rex chriſtianiſſimus cum chriſtianiſſimo populo defendiſſe videberis. Nam, quod ad Venetos attinet, nullum umquam fuit tempus, nulla occaſio major reipublicæ noſtræ demerendæ, quam hoc tempore, quo civitas noſtra non magis

de re ſua quam de ſumma fidei chriſtianæ ſollicita, cum ferociſſima gente bellum conflatum habet. Porro plus erit hoc Veneto nomini dediſse, quam quod (quiſquis fuit ille majorum tuorum qui olim in noſtra civitate publico hoſpitio ſuſceptus, memoriam ejus officii hereditariam poſteris reliquiſſe fertur) plus, inquam, quam, cum noſtræ onerariæ triremes in mari a piratis direptæ, remiges et gubernatores ſeminudi, ac vulneribus confecti, humane ac perbenigne his locis recepti hoſpitio, veſte, et viatico adjuti fuerunt. tunc de privata ſalute agebatur, nunc de publica agitur. Quod autem noſtra religio defenditur, eo major hinc fama exſpectanda eſt, major celebritas, quo plures ſunt qui de publica pietate, de totius rei ſumma, quam de unius civitatis fortuna laborant. Pulchrum quidem eſt, et ad famam nominis ſpecioſum, magnam Oceani partem claſse circuiſse, nova litora, novas terras exploraviſse, ignotas gentes, et inſulas noſtrorum hominum commercio adjunxiſse; ſed multo pulchrius, longe ſpecioſius, et ad immortalitatem nominis aptius, nobiliſſimam orbis partem ab impiorum furore defendere, publicam pietatem armis protegere, periculum quod chriſtiano nomini inſtat, propulſare, commune incendium reſtinguere. Erit hoc quidem cum ceteris gentibus gratum, tum Venetæ civitati, quæ primas partes hujus belli ſuſtinet, gratiſſimum: quæ quo *propior eſt* periculo, eo eſt de laborioſi belli hujus eventu ſollicita magis. Hac princeps noſter, et Venetus ſenatus commoti cura, continuo tuæ majeſtatis epiſtolis in curia recitatis, decretum tulerunt, ut vel magnis, atque arduis itineribus ad tuam celſitudinem properarem; non tantum illi gratias acturus, quod ultro hoc bello rem Venetam, immo chriſtianam, ſocia claſse juvare decreverit, ſed publico nomine rogaturus, ac hortaturus clementiam ac pietatem tuam, ut, poſteaquam tam piam, tam ſingularem, tam denique præclaram fidei cauſsam tuendam ſuſceperit, ſuſceptam majeſtas tua non deſerat, ſed potius ipſam foveat, juvet auxilio ſuo, et omni ope ac opera perpetuo tueatur. *Sit* tua celſitudo ceteris chriſtianæ fidei ducibus exemplo ad pietatem communi nomine tuendam: cupiant ceteri chriſtiani principes chriſtianum nomen tuo exemplo

plo demereri, quemadmodum hoc tempore et cupere, et affectare ſunt viſi; qui, cum audiviſſent quod ſponte tua tam libenter tu, rex inviɛtiſſime, et capesſere, et induere etiam arma velles pro Chriſti fide, erecti hac rei pulchritudine ſuas adjunxere claſses, ut tuæ, et Venetæ junctæ mature hoſtium conatibus occurrerent. Chriſtianiſſimus enim Francorum rex ſuam validiſſimam claſsem mittit ſuppetias ad hoc bellum: catholici Caſtellæ reges, ut tuæ certum eſt ſublimitati, ſuam ad hoc ipſum deſtinatam rurſus apud Siculos paratam habent: ſereniſſimus Pannoniæ rex, cum quo jam Pontifex Maximus, et noſter ſenatus, Dei Optimi Maximi felici auſpicio, toto hoc bello duraturum fœdus ſanxerunt et iniverunt, terreſtri exercitu perniciosiſſimum hunc chriſtiani generis diſſipatorem eſt invaſurus: atque jamprimum (ut fieri celerius poteſt) ad pugnam accelerat, ac ſe accingit; ne forte præſtita ſero auxilia ea ex parte qua currens quotidie barbarus iſte chriſtiano ſanguine infectus, incendit, ac evertit omnia, ludibrio ipſi eſſent, ubi per occaſionem, ejus vires plus nimio convaluiſſent. non enim minus ex opportunitate, quam virium fiducia bellum gerit. Vtque validius communem hunc inimicum aggredi poſſit, non deerunt ejus majeſtati ſuis auxiliis inclytus ac fortiſſimus Poloniæ rex ejus frater, et ambo Valachorum duces. Quod ſi huic chriſtianorum principum tam ſancto ac pio conſenſui tu quoque, rex magnanime, aderis, ita ut tuam virtutem, ac pietatem ſecuti, ceteri reges auxilia ſua parata jam ad bellum mittant, aut miſſa teneant, aut ipſi arma etiam induant, nulli dubium eſt, quin brevi res chriſtiana in integrum reſtituatur. Vnde et majeſtati tuæ laudem ſempiternam, gloriam incomparabilem, triumphum celeberrimum, ipſam denique tantopere expetendam beatitudinem, et nominis æternitatem Deus Optimus Maximus tribuet atque concedet. Contra, ſi periculum quod imminet chriſtianæ religioni, negligatur (utinam falſus ſim vates) timendum ſupra modum eſt, ne brevi eveniat, ut hoc incendio quo nunc Veneta reſpublica laborat, Græcia olim laboravit, mox univerſa Europa ſit laboratura. Dixi.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, et Domino meo colendiſſimo,

DOMINO ZACHARIAE CARDONIO, HIEROSOLYMITANO EQVITI,

et Secretario Apoſtolico

FRANCISCVS PISANVS, SILVESTRI FILIVS,
ſalutem ac felicitatem dicit.

GRatum tibi fore cenſui, Reverendiſſime Pater, ſi eam orationem quam ſuperioribus diebus coram multis præclariſſimis et doctiſſimis viris de ſacroſanctæ philoſophiæ præconiis in divi Bartholomæi templo habui (ut quædam optima conſuetudo noſtræ præclariſſimæ civitatis exigit, qua ſingulis annis de philoſophiæ ſublimitate oratio ab aliquo adoleſcente ex nobilium claſſe habetur) optimo auſpicio, tuo nomini dedicaro. Cum enim antiquorum, et recentiorum ſit moris ut hujuſcemodi ſcripta alicui digniſſimo viro dedicentur, non dubitavi ob affinitatem quæ inter nos eſt, tuamque in me immenſam benevolentiam id facere quod a pluribus factitatum eſſe non ignoro. Has igitur meas primitias, quamquam nullius fere ſint fructus, amplitudini tuæ dedicatas, lubenti animo accipias, te etiam atque etiam oro, neque hoc in meam ullam oſtentationem factum exiſtimes. Non enim eo ſtudio eoque conſilio id egi, ut tantummodo ederentur et in lucem hominum prodirent, ſed ut potius meam erga te benevolentiam, et obſervantiam qua ſemper te ſum proſecutus, et quoad vivam, proſequar, teſtificer. Ad hoc etiam id acceſſit; cum hujuſce meæ orationis exemplum a multis et præclariſſimis viris expeteretur, et peteretur, immo flagitaretur; ut compluribus ſatisfacerem abſque ullo meo deſcribendi labore, eam imprimendam curavi. Vnde ne amplius aures tuas remorer, Reverendiſſime Pater, ut libentius ad orationem perlegendam te accingas, huic breviſſimæ meæ epiſtolæ finem imponam, teque oratum velim, ut hanc ipſam orationem, qualiſcumque ſit, tuo celeberrimo nomini nuncupatam, lubentique animo acceptam perlegere digneris. Etenim pro certo habeo, ſi a tali tantoque viro hæc noſtra oratiuncula commendata fuerit, non minimam gloriam me conſecuturum. Verum hæc ſint ſatis. tibi, Reverendiſſime Pater, me commendo, quem optimi clientis loco habeas. Vale. Venetiis.

FRAN-

FRANCISCI PISANI
SILVESTRI FILII,
PATRICII VENETI,
de univerſæ Philoſophiæ ornamentis
ORATIO.

Habita Venetiis in Aede divi Bartholomæi Apoſtoli.

NON abſque plurimis rationibus, et optimis cauſſis in more inſtitutoque majorum noſtrorum poſitum eſt, eminentiſſime Legate, facundiſsimi Oratores, ampliſsimi Patres, ornatiſsimi Equites, eximii Doctores, et ceteri omnes viri clariſsimi, ut ſingulis annis ex hoc ornatiſſimo loco philoſophiæ commoda, et ornamenta ab aliquo adoleſcente ex ordine patricio explicentur, et quoad ejus fieri poteſt, commendentur. Quod quidem etſi aliis rationibus inſtitutum eſse alii fortaſse autumant, tamen ego hanc cauſsam vel potiſsimam exiſtimarem, quod quemadmodum in plurimis aliis inſtitutis ad res maritimas, ad actiones forenſes, et ad multa alia negotia civilia obeunda pertinentibus, adoleſcentibus viam et iter majores noſtri patefecerunt, ut in hujuſcemodi rerum adminiſtratione vigilantiores, ſolertiores, et peritiores fierent: ſic etiam his adoleſcentibus qui ad perfectam oratoriam faculta-

tem,

tem, et ſapientiæ ſtudium pervenire exoptarent, hunc veluti primum aditum ad aliquod ſui ingenii, et induſtriæ ſpecimen oſtendendum, optimo ſane conſilio concedendum eſſe cenſuerunt. Etenim videbant, in magna rerum copia quibus noſtra reſpublica conſtituta eſt, late patere eorum induſtriam qui ab ineunte ætate ad hæc ſtudia excolenda totum animum ſuum converterent. Atque ita ex hac re undique laudabili, et majorum, et noſtris etiam temporibus complures ingenui adoleſcentes non parum nominis et laudis ſunt conſecuti, atque ab hoc optimo auſpicio clariſſimi oratores, et vere ſapientiſſimi viri evaſerunt, a quibus plurimum boni, et decoris tam in rebus adverſis, quam etiam proſperis in noſtram rempublicam redundavit. Ad hoc optimum inceptum paucis ante annis nonnulli mei condiſcipuli ſe ſe etiam accinxerunt, qui in hoc laudationis genere ſi aliis qui antea dixerunt, non præſtiterunt, multorum judicio nec inferiores exſtiterunt. Quorum exemplo et ego ductus (ut ingenue animum meum profitear) hanc provinciam ab hujuſce ſacræ ſcholæ peripateticæ antiſtite mihi demandatam, non invito animo ſuſcepi. In qua tamen re unum eſt quod me non parum perturbat; vereor enim, me non ita veſtris auribus poſſe ſatisfacere, ut illi acriori ingenio, et majori doctrina præditi, verborum ubertate, et ſententiarum ſubtilitate omnibus qui tunc affuerunt, cumulatiſſime ſatisfecerunt. Verum in hac animi mei perturbatione tria ſunt quæ me maxime recreant et reficiunt: quorum primum eſt, quod ego maximi facio, veſtra in omnes adoleſcentes qui ad honeſtiſſimas actiones ſe applicare ſtudent, incredibilis humanitas: alterum, quod etiam ego ex eodem limpidiſſimo Tantali fonte, unde illi rhetorices ornamenta hauſerunt, ſitibundus potavi: tertium vero, quod hoc genus laudationis tale eſt, ut in ea non tam dicendi copia, quam nova ratio, et moderatio ſit requirenda, quæ rerum antea inaudita diſpoſitione audientium animos magis alliciat, quam trita et ab aliis ſulcata orbita tædio quodam avertat. Vnde conabor ego, quantum in me erit, nova inventionis, et diſpoſitionis forma, hac in mea oratione vobis fortaſse non diſplicere.

Non eſt igitur ut hodierno die id exſpectetis quod a pleriſ-

que

que factitatum eſſe non ignoro, minutiſsimas quaſdam philoſophiæ ſectiones, quæ etſi partibus quibuſdam conſtare videtur, tamen ita connexæ ſunt et indiſcretæ, ut quemadmodum nullus quantumvis excellens pictor varios iridis colores diſcretos, et ſejunctos oculis hominum potuerit repræſentare, ſic etiam difficillimum ſit has philoſophiæ partes minutatim ſejungere, cum præſertim alia ex alia ſit nexa, et omnes inter ſe aptæ colligatæque ita videantur, ut alia ſine alia recte non conſtet, nec, niſi tota ſit conjuncta, veram, et integram homini felicitatem, ad quam ſolus homo ex omnibus animalibus natus eſt, de ſe poſsit præſtare. Quare, poſthabitis hujuſcemodi minutiſsimis partitionibus, de toto philoſophiæ corpore ſic agemus, ut ſiquis agens de mundo et cælo, ab imo ad ſummum protendens, oſtendat quidem, omnes partes neceſsarias eſse, et aliquid boni et commodi humano generi ſecum afferre; inter haſce tamen partes quaſdam nobiliores et excellentiores eſse, quæ et ipſæ tamen aliarum mutua opera indigent. ſic etiam nos hac in doctiſsimorum virorum corona de univerſa philoſophia tractabimus, ut oſtendamus, perfectam hominis felicitatem a perfecta et ſolida philoſophia potiſsimum dimanare. Quod ut facilius a me explicetur, et a vobis fortaſse attentius audiatur, et diligentius percipiatur, fingemus quemdam montem altiſsimum, in cujus collibus et jugis planiſsimis, et amœniſsimis ipſa humana felicitas domicilium, et delubrum ſuum habeat; ad quem feliciſsimum locum nemo poſsit accedere, niſi prius primis philoſophiæ partibus initiatus, ingenii acumine illuſtratus, optimis moribus excultus, rerum naturalium cognitione ſublimatus, et divinarum ſapientia perfectus, et pæne divinus factus fuerit: ad quem ſacrum montem quicumque aſcendere expetit, ut hujuſce beatitudinis ſempiternæ particeps fiat, hodierno die animadvertat quæ ab ineunte ætate potiſsimum ſint facienda, quibus viis in ætate firmiore ſit procedendum, et quæ demum in maturiore præmia divina ſit conſecuturus.

Ad hujuſce igitur montis ſanctiſſimi radices, ſedem et domicilium primum habent quatuor artes, quæ quodam vocabulo communi *logodædala* appellari ſolent, eo quod omnes circa ſer-

ſermonis et orationis formationem et inſtitutionem, diverſa tamen ratione, et fine, diligenter, ingenioſe, acute, et ſubtiliter verſentur. Quarum prima ex viginti figuris, ſive diverſis formulis, veluti ex atomis aliis cum aliis concurrentibus, et pro earum qualitate convenientibus, quoſdam articulos conjungi docet, ex quibus articulis membra aliquid agentia componuntur, ex quibus membris loco ſuo recte diſpoſitis quoddam corpus conſtituitur, quam congruam orationem vocat ars illa quæ a ſuis primis elementis quæ a græcis γράμματα dicuntur, *Grammatice* vocitata eſt. Quæ quamvis omnium infima habeatur, tamen ejus profeſſores nihil verentur eam appellare omnium artium parentem, et quantum valeat, hac aptiſſima ſimilitudine oſtendunt: quemadmodum e radicum ſucco trunci, rami, frondes, folia, et demum fructus tam uberrimi, quam ſuaviſſimi enaſcuntur, et ad maturitatem perducuntur; ſic etiam ab hac arte ceteræ artes, et omnes diſciplinæ, et ſcientiæ irrigatæ floreſcunt, et longe ſuaviores, et uberiores fructus de ſe ferunt, qui alioquin inſulſi, et inſipidi bene olfacientibus ſolent videri: et huic prima loca montis tenenti tantum attribuunt, ut niſi quis firma et fida fundamenta hac in arte recte jecerit, fruſtra ad reliquas aſcendere conabitur, nec ullo pacto ad earum penetralia admittetur. Et hæc quidem ars, utpote non ingrata, eos ſummopere celebrat a quibus ipſa ampliata, et celebrata eſt. Et primum Græcis plurimum ſe debere profitetur, et in primis Ariſtarcho, Euſtathio, Apollodoro, Herodiano, Apollonio qui δύσκολος a nimia rerum ſubtilitate dictus eſt, et demum Theodoro Gazæ, qui non minus de literis latinis quam etiam de græcis eſt benemeritus: deinde Latinis, et maxime M. Varroni, Publio Nigidio, Palæmoni, Capro, Diomedi, Donato, Servio Honorato excellentia quadam *Grammatico* dicto, et Priſciano, qui omnium tam copioſiſſime, quam exactiſſime hanc artem enucleavit.

Huic proximum locum tenet ars poëtica, quæ quamquam a grammatica circa prima rudimenta, multa ad ſyllabarum, et carminum dimenſionis cognitionem ſpectantia mutuatur, tamen etiam quædam præcepta ſeorſum collegit, quæ ad inventio-

tionem, diſpoſitionem, atque ad ipſam elocutionem maxime faciunt, in primis illud admonens ut perſonarum de quibus a poëtis agendum eſt, decorum ſemper ſervetur, ſine quo nullus poëta aſsequi id poteſt quod potiſſimum debet intendere, ut ſcilicet proſit, et ſumma cum omnium legentium, et audientium admiratione delectet. Qua quidem de re Ariſtoteles ſatis copioſe ſcripſit, et ante eum divinus Plato multis in locis tetigit, quamquam malit, divino quodam furore facultatem illam poëticam, quam præceptis, aut ulla arte conſtare. Apud Latinos vero Horatius diligentiſſime de hac arte præcepta quædam commodiſſima tradidit, Neoptolemum ſcriptorem Græcum ex quorumdam opinione imitatus.

Verum his duabus viis jam relictis, ulterius progrediamur, et quid opis tertia huic finitima nobis afferat, diſpiciamus, quæ a ratione veritatis indagandæ et perſcrutandæ prius *Logica*, deinde (quoniam id apte fieri non poterat ſine diſceptatione multarum rerum quæ veritati repugnant, aut interdum veritatis quamdam formam præ ſe videntur ferre, cum tamen re vera ſint falſæ) *Dialectica* eſt appellata, ut poſt has rerum, et verborum varias diſceptationes ad meram veritatem hujuſce artis ſtudioſos perduceret. Ad quem finem optatum ut omnino perveniret, hæc ars omnium ſubtiliſſima excogitavit, et invenit primum quinque univerſas voces, quibus omnium rerum definitio, ſine qua veritas nec apparere, nec conſtare poteſt, perſpicue deſcribi poſset: deinde variam, et infinitam rerum copiam ſub decem appellationibus contineri, quæ ipſarum rerum diverſitatem oſtenderent, ſubtiliter edocuit: poſtea diſseruit de his enuntiationibus quibus circa ea quæ aut affirmanda, aut deneganda eſsent, animorum conceptiones aptiſſime eloqueremur: mox ad id quod potiſſimum intendit, ſyllogiſmorum inventionem, materiam, et formam oſtendendam omnes ſuas vires adhibet, ita ut prius in univerſum agat de ſedibus et locis unde omne genus argumentandi, aliquid eſſe, aut non eſſe, facile elicitur. Et ne quandoque in argumentationibus a recta via aberrare poſſimus, quaſdam formas breviter circumſcripſit, a quibus ſi quis inter diſputandum recederet, parum cautus, et peritus haberetur. Poſtremo quibuſdam ſyllogiſmis

ſermonis et orationis formationem et nque his utare,
men ratione, et fine, diligenter, in nnuere et aſſen-
ter verſentur. Quarum prima ex t, id adeo cer-
formulis, veluti ex atomis aliis et certius poſſit
pro earum qualitate convenien hac arte ing
jungi docet, ex quibus artic atis omnes
ponuntur, ex quibus mer um artium
dam corpus conſtituitur e artis
illa quæ a ſuis primis veritate
cuntur, *Grammatice* refel
ſima habeatur, ta ant
pellare omnium tt
aptiſſima ſimil
ſucco trunci
uberrimi,
ducuntur
ſciplinæ
uberi
ben nulla.
ne hryſippeam
pectis opinionibus e
pierant, hanc artem ita diſpoſuit
nihil amplius addi, aut demi poſse videa-
mis vero Boëthius Severinus de hac arte planiſſi-
Laurentius Valla ingenioſe, Martianus Capella artificioſe
ſcripſerunt, et plerique alii quos nimis prolixum eſset, et for-
taſse abſurdum, omnes dinumerare. Verum ex hac ſemita ali-
quantulum anguſta egreſſi, latiores et apertiores vias, et cam-
pos Rhetorices ingrediamur.

Hæc eſt ea Rhetorice quæ a dicendi flumine, quo huic arti dediti, in judiciis forenſibus, in conſultationibus, in rerum, et hominum laudationibus, aut vituperationibus ſolent affatim affluere, nomen invenit: eſt enim ea quæ exercitationis gratia docet quaſdam quæſtiones a propriis perſonis, et temporibus ſejunctas, de quibus in utramque partem et ornate, et copioſe diſceptari poſſit: ita ut ab eo univerſo dicendi genere cum velit ſic exercitatus, ad proprias perſonas, et veras cauſsas poſſit omnia accommodare, et ad rem ſuam derivare. Atque

ita

ita pro cauſsarun
inſtituit, ut conv
niat, inventa ap
præmeditata firn
ſta actione ani
nat. Quod
entiſſima e
nis veſtibu
breviter
verſia
oflig
c
l

no ore profitentur, ab hiſce duobus ve-
quentiam derivatam eſſe, ab illo gra-
et ambos non modo poëtica, ve-
maxime eminere.
ximam divertamur, in qua habi-
mmodo carmine ſoluto ſæcu-
ritatis memoriam, et inge-
us, ſed tamen in quam-
ſerunt. In qua deſcri-
nemo dubitat, qua-
et Græcos, Thucy-
uſtium, et Titum
rri poteſt; am-
mira brevita-
dum, ad
in nar-
concio-
nia ab
mo-
re

252 FRANC
ſorias opus rhetoricum
tem accuratiſſime
Tullius. De hac ar
tinius, Gallio,
ſiſſime Fabius
temporibus
tianus,
tionibus
Ab
mus
mul

orum
, Protago
es, Antiphon Rh
. His ſucceſsere multi alii; ſeu
ſimi, Iſocrates, qui Gorgiæ auditor fuerat,
jam Iſocrate ſeniore (octavum enim et nonageſim
vit annum) poſtmeridianis ſcholis præcipere artem oratori
cœpit, æmulatione quadam motus, quam eo ſenariolo indicavit: *αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ ἰσοκράτη ἐᾶν λέγειν. turpe eſt tacere, et Iſocratem pati dicere*. et hic idem de hac arte omnium exactiſſime complura ſcripta edidit. Theophraſtus quoque hujus diſcipulus de rhetorica diligenter ſcripſit. Poſt hos hanc præſtantiſſimam artem exercuerunt Apollonius Molo, Dionyſius Halicarnaſseus, Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Cæſaris Auguſti Apolloniæ fuit, Theodorus Gadareus, quem Tiberius Cæſar Rhodi, cum eo ſeceſſiſset, ſtudioſe audiviſse dicitur, et Hermagoras hujuſce Theodori auditor, et horum omnium noviſſimus Hermogenes, qui nihil quod ad hanc artem pertineat, intactum reliquit. Ex Latinis vero M. Cato quædam in hanc materiam tetigit: poſt eum M. Antonius ille cen-

ſorius opus rhetoricum tantummodo inchoavit. omnium autem accuratiſſime oratorias artes pluribus libris tractavit M. Tullius. De hac arte plura ſcripſerunt etiam Cornificius, Stertinius, Gallio, Celſus, Lenas, Virginius, et omnium copioſiſſime Fabius Quintilianus, Plinius, Tutilius, qui iiſdem fere temporibus floruerunt: et ſuperioribus annis Chrius Fortunatianus, Martianus, et Georgius Trapezuntius, qui ſuis inſtitutionibus Hermogenem nobis latinum videntur feciſſe.

Ab harum quatuor artium viis egreſſi, ſedes eorum invenimus qui partim ab hiſce inferioribus formati et inſtituti, et multa a ſuperioribus et longe altioribus mutuati, aliquanto altius aſcenderunt, et nomen ſuum extulerunt. Horum autem primi ſunt poëtæ, qui numerorum ἀῤῥυθμία, et quodam pedum concentu diligentiſſime obſervato, non abſque ſumma legentium, et audientium oblectatione non tam aurium quam etiam animorum, hominum cœtus cœperunt ita demulcere, ut ferinos mores exuerent, et humaniores induerent. Et hujuſce tantæ rei inventionem Ethnici non homini, ſed Pythio Apollini attribuerunt. et quidam addiderunt, Phemonoën Sibyllam, primam carmen heroicum, quod a quadam excellentia *Epos* dictum eſt, ex adytis Apollineis ceciniſse. Inde emanavit conſuetudo ut hoc genere carminis hymni in deorum laudes, et heroum præclariſſima geſta tantummodo celebrarentur. Inde ſecuti ſunt qui regum, reginarumque, et tyrannorum mores, vitam, et infelicitatem alio quodam genere carminis, et ipſo gravi oſtenderent; qui Tragici ſunt appellati. Secuti ſunt Comici, qui tenujorum et viliorum perſonarum mores ad commune omnium documentum expreſſerunt. In vitam et hominum praviſſimos mores audacius inſurrexerunt Satyrici. Ad hos acceſſerunt omnium jucundiſſimi, qui vario carminum generi per ſe canoro lyræ harmoniam addiderunt, et inde Lyrici ſunt cognominati; quos quidem omnes ſi vellem ſuis nominibus ſigillatim perſequi, et nimis longi operis eſſet, et nihil fere ad rem noſtram pertinentis: unde contenti erimus duos tantum indicaſſe pari inceſsu præcedentes, a dextra divinum Homerum, a ſiniſtra vero eminentiſſimum Maronem, quos ceteri omnes non parvo intervallo ſumma venera-

tione

tione proſequentes, uno ore profitentur, ab hiſce duobus veluti fontibus omnem eloquentiam derivatam eſſe, ab illo grajam, ab hoc vero latinam, et ambos non modo poëtica, verum etiam oratoria virtute maxime eminere.

Sed jam ab hac via ad proximam divertamur, in qua habitant hi qui proximi poëtis quodammodo carmine ſoluto ſæculorum præteritorum geſta ad poſteritatis memoriam, et ingenii famam, verbis quidem liberioribus, ſed tamen in quamdam concinnitatem deſinentibus, deſcripſerunt. In qua deſcribendi materia complures claruerunt, ſed nemo dubitat, quatuor ceteris longe præferendos, duos ſcilicet Græcos, Thucydidem, et Herodotum, et duos Latinos, Salluſtium, et Titum Livium. Nam Salluſtius recte Thucydidi conferri poteſt; ambo enim denſi, breves, et ſemper ſibi inſtantes, mira brevitate, qua plurimum valent ad docendum, ad delectandum, ad movendum: et Livius Herodoto; uterque enim cum in narrando miræ jucunditatis, et clariſſimi candoris, tum in concionibus ſupra quam enarrari poteſt, ſunt eloquentes: omnia ab utroque dicuntur cum rebus, tum perſonis maxime accommodata, ita ut ceteri illius claſſis ſequentes, et ut laude longe digniores comitantes, primum locum poſſidere nihil indignentur.

Iam ad tertiam viam deveniendum eſt, quam quidem a tot fere latinis, quot etiam græcis frequentari video, in qua plures multis variiſque virtutibus præditi in orandi munere celebrantur. omnes tamen duobus libentiſſime cedunt, Demoſtheni ſcilicet, et M. Tullio. Hi namque duo omnis perfectæ eloquentiæ lumina in lucem protulerunt, et inter ſe pæne pares ſunt habendi, ſi conſilium, ſi ordinem agendi conſideres, ſi præparandi, dividendi, probandi rationem reſpicias. In elocutione videtur aliqua diverſitas; denſior ille, hic copioſior; ille adſtrictior, hic latior; ille plus curæ, hic vero naturæ debet: qua fretus cum ſe ad græcorum imitationem totum contuliſset, non ſolum vim Demoſthenis, ſed etiam Platonis copiam, et Iſocratis jucunditatem effinxit. Illum tamen honoris gratia a dextra tenet, quod et prior fuit, et ſe, quantus eſt, ab illo factum profitetur. Verum omnes alii hoſce duos ad

fora,

ſora, ad curias, ad roſtra deducentes, honorant, colunt, et obſervant, et eis citra omnem invidiam et æmulationem primas deferunt.

Ad hunc locum ſe ſe protendunt quatuor artium viæ, et tres hujuſcemodi ſtudiorum quæ humanitatis dicuntur. Quæ quidem non ſcientiæ, non ſapientiæ, ſed dumtaxat doctrinæ nomen ſibi vindicant, eo quod aliæ quibuſdam ſuis præceptis, et inſtitutionibus, aliæ fabularum figmentis, aliæ rerum præteritarum exemplis, aliæ vero quibuſdam argumentationibus et perſuaſionibus a rebus veris, aut probabilibus deductis, homines docere profitentur.

Verum poſt has vias de quibus hactenus dictum eſt, ſequuntur quatuor Matheſeos calles, qui quamquam ſint anguſti, tamen per eos incedentium ingenium ſic dilatant, et acuunt, ut ad ſcientiæ, et ſapientiæ cognitionem comparandam longe ſubtilius et perſpicacius reddatur. Primus enim qui Arithmeticæ dicitur, verſatur potiſſimum circa eam multitudinem numerorum qui per ſe conſtare dicuntur, ut tres, quatuor, decem, et ceteri numeri qui ut ſint nullo alio numero indigent: atque ita ſubtiliſſime agit de numero pari, et impari, et eorum ſubtiliſſima definitione, et diviſione, ex opinione tum antiquorum, tum etiam recentiorum. Ab hac vero, utpote Mathematicarum principe, Geometria, cui magnitudo immobilis ſubjicitur, nomina mutuata, figuris, et corporibus ſuis indidit; ut alia *trigona*, *tetragona*, *hexagona*, *octogona*, et alia id genus denominentur. Pari ratione inde Muſica, cujus ſubjectum eſt multitudo numeri ad aliquid, et ſonorum diverſitas, ſuum *dia teſſaron*, *dia pente*, *dis dia paſon*, *dia paſon* ſuſcepit. Aſtronomia vero, quæ de magnitudine mobili agit, ſuæ ſphæræ circulos parallelos, axes, et cetera hujuſcemodi a Geometria mutuo accepit; ita ut hi Mathematicarum calles quamvis diverſis finibus terminentur, tamen interdum inter ſe eo modo complicentur, ut niſi quis recte per omnes inceſſerit, non apte et commode ſe poſſit explicare: verum qui per cunctos accurate tranſierit, dii boni, quam facile et planum iter ad rerum naturalium, et cæleſtium ſpeculationem ſibi præparabit! Etenim hæ quatuor diſciplinæ non tam de quantitate, forma,

ma-

magnitudine, parvitate, æqualitate, habitudine, actu, diſpoſitione, loco, et tempore, materiæ et ipſis corporibus inhærentibus agunt, quam de his quæ educuntur a materia ipſa et corporibus, ita ut ſui numeri, proportiones, et vocum concentus, et cælorum motus non tam ſenſu quam intellectu comprehendantur. Atque ita ex hac meditatione et contemplatione mirum in modum hominis ingenium ſublevatur, erigitur, et extollitur ad rerum naturalium cognitionem, et divinarum ſpeculationem. Vnde memoriæ proditum eſt, divinum Platonem admonuiſse, neminem ad operum naturæ, aut divinæ eſsentiæ inveſtigationem admittendum eſse, niſi prius Mathematicis inſtructus eſset. Hos quidem calles plurimi, et clariſſimi viri frequentarunt; omnes tamen in his locis et ut inventorem, et harum artium amplificatorem Pythagoram, non ſecus ac deum aliquem, venerantur. quippe qui numerum tanti fecerit, ut complures διὰ τὴν τετράδα, hoc eſt per *quaternarium numerum*, quo nihil perfectius exiſtimabat, jurare induxerit. videbat enim quatuor eſse elementa, quatuor anni tempora, quatuor rerum qualitates, et quatuor mundi eſse plagas, et multa alia hoc numero conſtare. Geometrica vero ratione tantum delectatus eſt, ut cum trianguli virtutem percepiſset, tanta lætitia elatus dicitur, ut in deorum honorem *hecatomben* fecerit: quod ſacrificii genus, ſi Homero credimus, et maximum, et heroicum erat. Is idem etiam obſervata malleorum ſuper incudem quodam nativo cantu ferrum cudentium ſonorum diverſitate, Muſicam inveniſse, et de ea quadam induſtria divina artem ingenioſe confeciſse dicitur. Præterea Aſtronomiæ adeo ſtudioſus, et peritus fuit, ut et curſum, et naturam illius ſtellæ quæ a græcis φωσφόρος, a latinis *lucifer* appellari ſolet, primus omnium deprehenderit. Non defuerunt etiam complures alii harum diſciplinarum peritiſſimi, ſed qui tamen alicui harum uni majori ſtudio operam ſuam navaverint, ut in geometria Euclides, cujus opera et græce, et latine interpretantur, omnibus antecelluit: et Archimedes Syracuſanus, qui in patriæ oppugnatione multis machinis ex hac arte inventis, et fabrefactis Marcelli imperatoris Romani expugnationem omnium opinione diutius re-

tar-

tardavit. cui tamen Marcellus edixerat vitam donari, niſi ipſe arti ſuæ nimium intentus, militis imprudentia, maluiſset occumbere. Non minus etiam hac in diſciplina celebrantur Anaximander Mileſius Thaletis Mileſii auditor, qui primus omnium *gnomonem* inveniſse, et horologium Lacedæmoniis ſumma cum omnium admiratione feciſse traditur. In Muſicis etiam plures claruerunt, inter quos, præter illos antiquiſſimos Linum, et Orpheum a poëtis decantatos, non ignobilis habitus eſt Taletas Cretenſis Gortynius, a Lacedæmoniis magno pretio accitus ut ſuos pueros hac diſciplina artis muſicæ inſtitueret, et Timotheus Mileſius, Terpander, Arion, et Iſmenias Thebanus. Et omnes fere hujus artis profeſsores aſserunt, eam non ſolum auribus ſuaviſſimam delectationem, verum etiam furori ſedationem, et pleriſque morbis ſanitatem afferre, et ſæpius attuliſse. In ſiderum vero obſervatione, præter Aſsyrios, Chaldæos, et Aegyptios, qui teſte Cicerone, propter locorum magnitudinem, et regionis planitiem, motus cæleſtes primi omnium cœperunt contemplari, nobiliſsimi habiti ſunt Thales Mileſius, qui etiam inter ſeptem Græciæ Sapientes primus eſt connumeratus, et ille Anaximander qui ſigni zodiaci primus inventor ſuiſse dicitur, et Beroſus, cui ob rerum futurarum præſenſionem, et prædictionem, ſtatuam aurata lingua in gymnaſio publico Athenienſes collocarunt. Conſtat etiam apud eos qui non fabuloſa, ſed vera ſcribunt, Endymionem in quodam Ioniæ monte curſum et vias erraticas lunæ obſervaſse, et demum triginta annorum ſpatio percepiſſe. Hipparcus quoque dicitur ſtellarum nomina, et numerum explicaſse. Ptolemæus denique omnium hac de re copioſiſsime ſcripſit. Fuerunt etiam quidam Romanorum hujuſce artis non ignari, inter quos Numa Pompilius connumeratur, et Sulpicius Gallus, qui bello Macedonico contra Perſen Philippi filium feliciter geſto, lunæ ecclipſim prædixit, ne ea re militum animi, tamquam aliquo prodigio, a pugnando deterrerentur; qua prædictione Romani victores exſtitere. Cajus quoque Cæſar, *dictator* dictus, hujus obſervationis peritiſsimus fuit, quod quidem in anni ſui diſpoſitione, cui quadrantem addidit, facile demonſtravit. Poſtremo Boëthius de his artibus omnium latino-

tinorum exactiſſime ſcripſit, et figuris ſuis, ut res etiam ſenſibus notior fieret, omnia ingenioſe demonſtravit.

Poſt hos calles qui ad ingenium hominum acuendum plurimum faciunt, ſequitur via latiſſima, in quam ingreſſi, ſtatim a principio quatuor fontes, duos a dextra, et totidem a ſiniſtra intuentur, et eorum vim et virtutem admirantur; qui totum fere montem quibuſdam rivis, et rivulis ab his continue ſcaturientibus deductis irrigant, et feracem reddunt. Etenim fama conſtans eſt, horum fontium aquas limpidiſſimas poteſtatem habere non ſolum hominum ingenia, verum etiam animos ita expurgandi, et prorſus abluendi, ut in omnibus actionibus quas tam publice, quam privatim ſuſcipiunt, prudentes, juſti, fortes, et temperati ſint, et ab omnibus habeantur. Vnde illi primi qui nobis hanc viam, et hos fontes indicarunt, duos illos a dextra prudentiæ, et juſtitiæ, alteros vero fortitudini, et temperantiæ dedicatos eſse dixerunt, et in hoc omnes conſentientes aſſeruerunt, neminem poſſe veram ſcientiam, aut ſapientiam adipiſci, niſi prius ab hiſce quatuor fontibus purgatus, defæcatus, et perlotus fuerit omnibus illis ſordibus quæ plerumque imprudentium, injuſtorum, ferocium, et intemperatorum animos ſolent inficere, polluere, et inquinare.

Huic autem viæ a Græcis ἠθικὴ nomen eſt impoſitum, Latini vero conati verbum verbo reddere, *Moralem* appellaverunt; cui prudentiores et ſapientiores tantum attribuunt, ut a bona rerum conſuetudine omnia bona, a mala vero omnia vitia cenſeant provenire. Etenim homines qui hac iter faciunt, et ibi ſe ipſos abluentes aliquantum immorantur, ita ab omni fæce et ſorde defæcantur et expurgantur, ut et ſibi, amicis, cognatis, patriæ recte poſſint conſulere, ac quæ honeſta, et utilia ſint futura publice privatimque proſpicere, ita ut ſemper boni et æqui rationem habeant, et in moderandis populis provinciiſque regendis nihil prætermittant quod ad æquam legum lancem pertineat. In periculis vero ſubeundis, et rebus aſperis et acerbis tolerandis ita muniuntur, ut numquam perturbentur, nec tumultuantes (quod dici ſolet) de gradu ſuo dejiciantur, ſed præſenti animo, et conſilio in rebus omnibus obeundis ſumma alacritate utantur; nec mortem ipſam, qua

 nihil

ſermonis et orationis formationem et inſtitutionem, diverſa tamen ratione, et fine, diligenter, ingenioſe, acute, et ſubtiliter verſentur. Quarum prima ex viginti figuris, ſive diverſis formulis, veluti ex atomis aliis cum aliis concurrentibus, et pro earum qualitate convenientibus, quoſdam articulos conjungi docet, ex quibus articulis membra aliquid agentia componuntur, ex quibus membris loco ſuo recte diſpoſitis quoddam corpus conſtituitur, quam congruam orationem vocat ars illa quæ a ſuis primis elementis quæ a græcis γράμματα dicuntur, *Grammatice* vocitata eſt. Quæ quamvis omnium infima habeatur, tamen ejus profeſſores nihil verentur eam appellare omnium artium parentem, et quantum valeat, hac aptiſſima ſimilitudine oſtendunt: quemadmodum e radicum ſucco trunci, rami, frondes, folia, et demum fructus tam uberrimi, quam ſuaviſſimi enaſcuntur, et ad maturitatem perducuntur; ſic etiam ab hac arte ceteræ artes, et omnes diſciplinæ, et ſcientiæ irrigatæ floreſcunt, et longe ſuaviores, et uberiores fructus de ſe ferunt, qui alioquin inſulſi, et inſipidi bene olfacientibus ſolent videri: et huic prima loca montis tenenti tantum attribuunt, ut niſi quis firma et fida fundamenta hac in arte recte jecerit, fruſtra ad reliquas aſcendere conabitur, nec ullo pacto ad earum penetralia admittetur. Et hæc quidem ars, utpote non ingrata, eos ſummopere celebrat a quibus ipſa ampliata, et celebrata eſt. Et primum Græcis plurimum ſe debere profitetur, et in primis Ariſtarcho, Euſtathio, Apollodoro, Herodiano, Apollonio qui δύσκολος a nimia rerum ſubtilitate dictus eſt, et demum Theodoro Gazæ, qui non minus de literis latinis quam etiam de græcis eſt benemeritus: deinde Latinis, et maxime M. Varroni, Publio Nigidio, Palæmoni, Capro, Diomedi, Donato, Servio Honorato excellentia quadam *Grammatico* dicto, et Priſciano, qui omnium tam copioſiſſime, quam exactiſſime hanc artem enucleavit.

Huic proximum locum tenet ars poëtica, quæ quamquam a grammatica circa prima rudimenta, multa ad ſyllabarum, et carminum dimenſionis cognitionem ſpectantia mutuatur, tamen etiam quædam præcepta ſeorſum collegit, quæ ad inventio-

tionem , diſpoſitionem , atque ad ipſam elocutionem maxime faciunt , in primis illud admonens ut perſonarum de quibus a poëtis agendum eſt , decorum ſemper ſervetur , ſine quo nullus poëta aſsequi id poteſt quod potiſſimum debet intendere, ut ſcilicet proſit , et ſumma cum omnium legentium , et audientium admiratione delectet . Qua quidem de re Ariſtoteles ſatis copioſe ſcripſit, et ante eum divinus Plato multis in locis tetigit, quamquam malit, divino quodam furore facultatem illam poëticam, quam præceptis, aut ulla arte conſtare. Apud Latinos vero Horatius diligentiſſime de hac arte præcepta quædam commodiſſima tradidit, Neoptolemum ſcriptorem Græcum ex quorumdam opinione imitatus.

Verum his duabus viis jam relictis, ulterius progrediamur, et quid opis tertia huic finitima nobis afferat , diſpiciamus, quæ a ratione veritatis indagandæ et perſcrutandæ prius *Logica* , deinde (quoniam id apte fieri non poterat ſine diſceptatione multarum rerum quæ veritati repugnant , aut interdum veritatis quamdam formam præ ſe videntur ferre, cum tamen re vera ſint falſæ) *Dialectica* eſt appellata, ut poſt has rerum, et verborum varias diſceptationes ad meram veritatem hujuſce artis ſtudioſos perduceret. Ad quem finem optatum ut omnino perveniret, hæc ars omnium ſubtiliſſima excogitavit, et invenit primum quinque univerſas voces, quibus omnium rerum definitio, ſine qua veritas nec apparere, nec conſtare poteſt, perſpicue deſcribi poſset : deinde variam , et infinitam rerum copiam ſub decem appellationibus contineri, quæ ipſarum rerum diverſitatem oſtenderent , ſubtiliter edocuit : poſtea diſseruit de his enuntiationibus quibus circa ea quæ aut affirmanda, aut deneganda eſsent , animorum conceptiones aptiſſime eloqueremur : mox ad id quod potiſſimum intendit , ſyllogiſmorum inventionem , materiam, et formam oſtendendam omnes ſuas vires adhibet , ita ut prius in univerſum agat de ſedibus et locis unde omne genus argumentandi, aliquid eſſe, aut non eſſe, facile elicitur. Et ne quandoque in argumentationibus a recta via aberrare poſſimus , quaſdam formas breviter circumſcripſit, a quibus ſi quis inter diſputandum recederet, parum cautus, et peritus haberetur. Poſtremo quibuſdam ſyllogiſmis

tale firmamentum ſuppeditavit, ut quotieſcumque his utare, neceſſe eſt, adverſarium tibi, velit, nolitve, annuere et aſſentire. quibus ſi quid ambigui de aliqua re eſſet, id adeo certum et firmum demonſtrat, ut nihil firmius et certius poſſit demonſtrari. Atque hiſce rationibus, et viis ab hac arte ingenioſe excogitatis, et maxima ſubtilitate explicatis omnes uno ore conſentiunt, hanc eſſe ad omnium ingenuarum artium cognitionem, veriſſimam methodon, qua hujuſce artis ſtudioſi inſtituuntur, et inſtruuntur ad ea quæ ſtant a veritate confirmandum, ad ea vero quæ veritati repugnant refellendum. Complures hac in arte ſcriptores acutiſſimi ab antiquis celebrantur; tres tamen Græci, ut alios nunc omittam, ceteris omnibus jure optimo ſunt præferendi: Zeno Eleates, qui primus omnium hanc artem in lucem edidit: Chryſippus Tarſenſis, qui eam adeo ampliavit, ut memoriæ proditum ſit, eum quadraginta annorum ſpatio ſeptingenta et amplius volumina de rebus ad hanc artem pertinentibus compoſuiſse, et hinc Athenienſes viros ſcientiſſimos dixiſse, aut nullam dialecticam apud deos immortales eſse, aut ſolam Chryſippeam inveniri: et Ariſtoteles, qui diligentiſſime inſpectis opinionibus eorum qui hac de re ante eum ſcripſerant, hanc artem ita diſpoſuit et concinnavit, ut nihil amplius addi, aut demi poſse videatur. Ex Latinis vero Boëthius Severinus de hac arte planiſſime, Laurentius Valla ingenioſe, Martianus Capella artificioſe ſcripſerunt, et plerique alii quos nimis prolixum eſset, et fortaſse abſurdum, omnes dinumerare. Verum ex hac ſemita aliquantulum anguſta egreſſi, latiores et apertiores vias, et campos Rhetorices ingrediamur.

Hæc eſt ea Rhetorice quæ a dicendi flumine, quo huic arti dediti, in judiciis forenſibus, in conſultationibus, in rerum, et hominum laudationibus, aut vituperationibus ſolent affatim affluere, nomen invenit: eſt enim ea quæ exercitationis gratia docet quaſdam quæſtiones a propriis perſonis, et temporibus ſejunctas, de quibus in utramque partem et ornate, et copioſe diſceptari poſſit: ita ut ab eo univerſo dicendi genere cum velit ſic exercitatus, ad proprias perſonas, et veras cauſsas poſſit omnia accommodare, et ad rem ſuam derivare. Atque

ita

ita pro cauſsarum varietate in omni dicendi genere oratorem inſtituit, ut convenientia, et neceſsaria cauſsæ ingenioſe inveniat, inventa aptiſſime diſponat, ornatiſſime eloquatur, omnia præmeditata firmiſſima memoria complectatur, et demum venuſta actione animis audientium varios affectus infigat, et imprimat. Quod ut facillime aſsequi poſſit, hæc ars omnium eminentiſſima edocet qua ratione ſit faciendum ut in primo orationis veſtibulo amice, intelligenter, et attente audiatur; deinde breviter, dilucide, et probabiliter res explicetur, poſtea controverſiæ nodus præſcribatur, mox quibus argumentationibus confligatur, poſtremo quo artificio peroretur. Atque hujuſce artis celeberrimæ celeberrimi cultores plurimi quidem ab antiquis celebrantur. Inter hos tamen principatum obtinuit Gorgias Leontinus, quem conſtat Empedoclis diſcipulum fuiſſe, qui Athenis in alieno ſolo docendi, et dicendi facultate tantum pecuniæ comparavit, ut in Delphici Apollinis templo auream ſtatuam ſibi collocarit. Eodem fere tempore complures etiam alii floruerunt, Thraſymachus Chalcedonius, Prodicus Chius, Protagoras Abderites, Hippias Eleus, Alcidamus Eleates, Antiphon Rhamnuſius, et Theodorus Byzantius. His ſucceſsere multi alii; ſed duo omnium longe clariſſimi, Iſocrates, qui Gorgiæ auditor fuerat, et Ariſtoteles, qui jam Iſocrate ſeniore (octavum enim et nonageſimum implevit annum) poſtmeridianis ſcholis præcipere artem oratoriam cœpit, æmulatione quadam motus, quam eo ſenariolo indicavit: *αἰσχρὸν σιωπᾶν, ϗ ἰσοχράτη ἐᾶν λέγειν. turpe eſt tacere, et Iſocratem pati dicere*. et hic idem de hac arte omnium exactiſſime complura ſcripta edidit. Theophraſtus quoque hujus diſcipulus de rhetorica diligenter ſcripſit. Poſt hos hanc præſtantiſſimam artem exercuerunt Apollonius Molo, Dionyſius Halicarnaſseus, Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Cæſaris Auguſti Apolloniæ fuit, Theodorus Gadareus, quem Tiberius Cæſar Rhodi, cum eo ſeceſſiſset, ſtudioſe audiviſse dicitur, et Hermagoras hujuſce Theodori auditor, et horum omnium noviſſimus Hermogenes, qui nihil quod ad hanc artem pertineat, intactum reliquit. Ex Latinis vero M. Cato quædam in hanc materiam tetigit: poſt eum M. Antonius ille cen-

ſorius opus rhetoricum tantummodo inchoavit. omnium autem accuratiſſime oratorias artes pluribus libris tractavit M. Tullius. De hac arte plura ſcripſerunt etiam Cornificius, Stertinius, Gallio, Celſus, Lenas, Virginius, et omnium copioſiſſime Fabius Quintilianus, Plinius, Tutilius, qui iiſdem fere temporibus floruerunt: et ſuperioribus annis Chrius Fortunatianus, Martianus, et Georgius Trapezuntius, qui ſuis inſtitutionibus Hermogenem nobis latinum videntur feciſſe.

Ab harum quatuor artium viis egreſſi, ſedes eorum invenimus qui partim ab hiſce inferioribus formati et inſtituti, et multa a ſuperioribus et longe altioribus mutuati, aliquanto altius aſcenderunt, et nomen ſuum extulerunt. Horum autem primi ſunt poëtæ, qui numerorum ἀῤῥυθμία, et quodam pedum concentu diligentiſſime obſervato, non abſque ſumma legentium, et audientium oblectatione non tam aurium quam etiam animorum, hominum cœtus cœperunt ita demulcere, ut ferinos mores exuerent, et humaniores induerent. Et hujuſce tantæ rei inventionem Ethnici non homini, ſed Pythio Apollini attribuerunt. et quidam addiderunt, Phemonoën Sibyllam, primam carmen heroicum, quod a quadam excellentia *Epos* dictum eſt, ex adytis Apollineis cecinisse. Inde emanavit conſuetudo ut hoc genere carminis hymni in deorum laudes, et heroum præclariſſima geſta tantummodo celebrarentur. Inde ſecuti ſunt qui regum, reginarumque, et tyrannorum mores, vitam, et infelicitatem alio quodam genere carminis, et ipſo gravi oſtenderent; qui Tragici ſunt appellati. Secuti ſunt Comici, qui tenujorum et viliorum perſonarum mores ad commune omnium documentum expreſſerunt. In vitam et hominum praviſſimos mores audacius inſurrexerunt Satyrici. Ad hos acceſſerunt omnium jucundiſſimi, qui vario carminum generi per ſe canoro lyræ harmoniam addiderunt, et inde Lyrici ſunt cognominati; quos quidem omnes ſi vellem ſuis nominibus ſigillatim perſequi, et nimis longi operis eſſet, et nihil fere ad rem noſtram pertinentis: unde contenti erimus duos tantum indicaſſe pari inceſsu præcedentes, a dextra divinum Homerum, a ſiniſtra vero eminentiſſimum Maronem, quos ceteri omnes non parvo intervallo ſumma veneratione

tione proſequentes, uno ore profitentur, ab hiſce duobus veluti fontibus omnem eloquentiam derivatam eſſe, ab illo grajam, ab hoc vero latinam, et ambos non modo poëtica, verum etiam oratoria virtute maxime eminere.

Sed jam ab hac via ad proximam divertamur, in qua habitant hi qui proximi poëtis quodammodo carmine ſoluto ſæculorum præteritorum geſta ad poſteritatis memoriam, et ingenii famam, verbis quidem liberioribus, ſed tamen in quamdam concinnitatem deſinentibus, deſcripſerunt. In qua deſcribendi materia complures claruerunt, ſed nemo dubitat, quatuor ceteris longe præferendos, duos ſcilicet Græcos, Thucydidem, et Herodotum, et duos Latinos, Salluſtium, et Titum Livium. Nam Salluſtius recte Thucydidi conferri poteſt; ambo enim denſi, breves, et ſemper ſibi inſtantes, mira brevitate, qua plurimum valent ad docendum, ad delectandum, ad movendum: et Livius Herodoto; uterque enim cum in narrando miræ jucunditatis, et clariſſimi candoris, tum in concionibus ſupra quam enarrari poteſt, ſunt eloquentes: omnia ab utroque dicuntur cum rebus, tum perſonis maxime accommodata, ita ut ceteri illius claſſis ſequentes, et ut laude longe digniores comitantes, primum locum poſſidere nihil indignentur.

Iam ad tertiam viam deveniendum eſt, quam quidem a tot fere latinis, quot etiam græcis frequentari video, in qua plures multis variiſque virtutibus præditi in orandi munere celebrantur. omnes tamen duobus libentiſſime cedunt, Demoſtheni ſcilicet, et M. Tullio. Hi namque duo omnis perfectæ eloquentiæ lumina in lucem protulerunt, et inter ſe pæne pares ſunt habendi, ſi conſilium, ſi ordinem agendi conſideres, ſi præparandi, dividendi, probandi rationem reſpicias. In elocutione videtur aliqua diverſitas; denſior ille, hic copioſior; ille adſtrictior, hic latior; ille plus curæ, hic vero naturæ debet: qua fretus cum ſe ad græcorum imitationem totum contuliſset, non ſolum vim Demoſthenis, ſed etiam Platonis copiam, et Iſocratis jucunditatem effinxit. Illum tamen honoris gratia a dextra tenet, quod et prior fuit, et ſe, quantus eſt, ab illo factum profitetur. Verum omnes alii hoſce duos ad

fora,

ſora, ad curias, ad roſtra deducentes, honorant, colunt, et obſervant, et eis citra omnem invidiam et æmulationem primas deferunt.

Ad hunc locum ſe ſe protendunt quatuor artium viæ, et tres hujuſcemodi ſtudiorum quæ humanitatis dicuntur. Quæ quidem non ſcientiæ, non ſapientiæ, ſed dumtaxat doctrinæ nomen ſibi vindicant, eo quod aliæ quibuſdam ſuis præceptis, et inſtitutionibus, aliæ fabularum figmentis, aliæ rerum præteritarum exemplis, aliæ vero quibuſdam argumentationibus et perſuaſionibus a rebus veris, aut probabilibus deductis, homines docere profitentur.

Verum poſt has vias de quibus hactenus dictum eſt, ſequuntur quatuor Matheſeos calles, qui quamquam ſint anguſti, tamen per eos incedentium ingenium ſic dilatant, et acuunt, ut ad ſcientiæ, et ſapientiæ cognitionem comparandam longe ſubtilius et perſpicacius reddatur. Primus enim qui Arithmeticæ dicitur, verſatur potiſſimum circa eam multitudinem numerorum qui per ſe conſtare dicuntur, ut tres, quatuor, decem, et ceteri numeri qui ut ſint nullo alio numero indigent: atque ita ſubtiliſſime agit de numero pari, et impari, et eorum ſubtiliſſima definitione, et diviſione, ex opinione tum antiquorum, tum etiam recentiorum. Ab hac vero, utpote Mathematicarum principe, Geometria, cui magnitudo immobilis ſubjicitur, nomina mutuata, figuris, et corporibus ſuis indidit; ut alia *trigona*, *tetragona*, *hexagona*, *octogona*, et alia id genus denominentur. Pari ratione inde Muſica, cujus ſubjectum eſt multitudo numeri ad aliquid, et ſonorum diverſitas, ſuum *dia teſſaron*, *dia pente*, *dis dia paſon*, *dia paſon* ſuſcepit. Aſtronomia vero, quæ de magnitudine mobili agit, ſuæ ſphæræ circulos parallelos, axes, et cetera hujuſcemodi a Geometria mutuo accepit; ita ut hi Mathematicarum calles quamvis diverſis finibus terminentur, tamen interdum inter ſe eo modo complicentur, ut niſi quis recte per omnes inceſserit, non apte et commode ſe poſſit explicare: verum qui per cunctos accurate tranſierit, dii boni, quam facile et planum iter ad rerum naturalium, et cæleſtium ſpeculationem ſibi præparabit! Etenim hæ quatuor diſciplinæ non tam de quantitate, forma,

ma-

magnitudine, parvitate, æqualitate, habitudine, actu, diſpoſitione, loco, et tempore, materiæ et ipſis corporibus inhærentibus agunt, quam de his quæ educuntur a materia ipſa et corporibus, ita ut ſui numeri, proportiones, et vocum concentus, et cælorum motus non tam ſenſu quam intellectu comprehendantur. Atque ita ex hac meditatione et contemplatione mirum in modum hominis ingenium ſublevatur, erigitur, et extollitur ad rerum naturalium cognitionem, et divinarum ſpeculationem. Vnde memoriæ proditum eſt, divinum Platonem admonuiſse, neminem ad operum naturæ, aut divinæ eſsentiæ inveſtigationem admittendum eſse, niſi prius Mathematicis inſtructus eſset. Hos quidem calles plurimi, et clariſſimi viri frequentarunt; omnes tamen in his locis et ut inventorem, et harum artium amplificatorem Pythagoram, non ſecus ac deum aliquem, venerantur. quippe qui numerum tanti fecerit, ut complures διὰ τὴν τετράδα, hoc eſt per *quaternarium numerum*, quo nihil perfectius exiſtimabat, jurare induxerit. videbat enim quatuor eſse elementa, quatuor anni tempora, quatuor rerum qualitates, et quatuor mundi eſse plagas, et multa alia hoc numero conſtare. Geometrica vero ratione tantum delectatus eſt, ut cum trianguli virtutem percepiſset, tanta lætitia elatus dicitur, ut in deorum honorem *hecatomben* fecerit: quod ſacrificii genus, ſi Homero credimus, et maximum, et heroicum erat. Is idem etiam obſervata malleorum ſuper incudem quodam nativo cantu ferrum cudentium ſonorum diverſitate, Muſicam inveniſse, et de ea quadam induſtria divina artem ingenioſe confeciſse dicitur. Præterea Aſtronomiæ adeo ſtudioſus, et peritus fuit, ut et curſum, et naturam illius ſtellæ quæ a græcis φωσφόρος, a latinis *lucifer* appellari ſolet, primus omnium deprehenderit. Non defuerunt etiam complures alii harum diſciplinarum peritiſſimi, ſed qui tamen alicui harum uni majori ſtudio operam ſuam navaverint, ut in geometria Euclides, cujus opera et græce, et latine interpretantur, omnibus antecelluit: et Archimedes Syracuſanus, qui in patriæ oppugnatione multis machinis ex hac arte inventis, et fabrefactis Marcelli imperatoris Romani expugnationem omnium opinione diutius re-

tar-

tardavit. cui tamen Marcellus edixerat vitam donari, niſi ipſe arti ſuæ nimium intentus, militis imprudentia, maluiſset occumbere. Non minus etiam hac in diſciplina celebrantur Anaximander Mileſius Thaletis Mileſii auditor, qui primus omnium *gnomonem* inveniſse, et horologium Lacedæmoniis ſumma cum omnium admiratione feciſse traditur. In Muſicis etiam plures claruerunt, inter quos, præter illos antiquiſſimos Linum, et Orpheum a poëtis decantatos, non ignobilis habitus eſt Taletas Cretenſis Gortynius, a Lacedæmoniis magno pretio accitus ut ſuos pueros hac diſciplina artis muſicæ inſtitueret, et Timotheus Mileſius, Terpander, Arion, et Iſmenias Thebanus. Et omnes fere hujus artis profeſsores aſserunt, eam non ſolum auribus ſuaviſſimam delectationem, verum etiam furori ſedationem, et pleriſque morbis ſanitatem afferre, et ſæpius attuliſse. In ſiderum vero obſervatione, præter Aſsyrios, Chaldæos, et Aegyptios, qui teſte Cicerone, propter locorum magnitudinem, et regionis planitiem, motus cæleſtes primi omnium cœperunt contemplari, nobiliſsimi habiti ſunt Thales Mileſius, qui etiam inter ſeptem Græciæ Sapientes primus eſt connumeratus, et ille Anaximander qui ſigni zodiaci primus inventor fuiſse dicitur, et Beroſus, cui ob rerum futurarum præſenſionem, et prædictionem, ſtatuam aurata lingua in gymnaſio publico Athenienſes collocarunt. Conſtat etiam apud eos qui non fabuloſa, ſed vera ſcribunt, Endymionem in quodam Ioniæ monte curſum et vias erraticas lunæ obſervaſse, et demum triginta annorum ſpatio percepiſſe. Hipparcus quoque dicitur ſtellarum nomina, et numerum explicaſse. Ptolemæus denique omnium hac de re copioſiſsime ſcripſit. Fuerunt etiam quidam Romanorum hujuſce artis non ignari, inter quos Numa Pompilius connumeratur, et Sulpicius Gallus, qui bello Macedonico contra Perſen Philippi filium feliciter geſto, lunæ ecclipſim prædixit, ne ea re militum animi, tamquam aliquo prodigio, a pugnando deterrerentur; qua prædictione Romani victores exſtitere. Cajus quoque Cæſar, *dictator* dictus, hujus obſervationis peritiſsimus fuit, quod quidem in anni ſui diſpoſitione, cui quadrantem addidit, facile demonſtravit. Poſtremo Boëthius de his artibus omnium latino-

tinorum exactiſſime ſcripſit, et figuris ſuis, ut res etiam ſenſibus notior fieret, omnia ingenioſe demonſtravit.

Poſt hos calles qui ad ingenium hominum acuendum plurimum faciunt, ſequitur via latiſſima, in quam ingreſſi, ſtatim a principio quatuor fontes, duos a dextra, et totidem a ſiniſtra intuentur, et eorum vim et virtutem admirantur; qui totum fere montem quibuſdam rivis, et rivulis ab his continue ſcaturientibus deductis irrigant, et feracem reddunt. Etenim fama conſtans eſt, horum fontium aquas limpidiſſimas poteſtatem habere non ſolum hominum ingenia, verum etiam animos ita expurgandi, et prorſus abluendi, ut in omnibus actionibus quas tam publice, quam privatim ſuſcipiunt, prudentes, juſti, fortes, et temperati ſint, et ab omnibus habeantur. Vnde illi primi qui nobis hanc viam, et hos fontes indicarunt, duos illos a dextra prudentiæ, et juſtitiæ, alteros vero fortitudini, et temperantiæ dedicatos eſse dixerunt, et in hoc omnes conſentientes aſſeruerunt, neminem poſſe veram ſcientiam, aut ſapientiam adipiſci, niſi prius ab hiſce quatuor fontibus purgatus, defæcatus, et perlotus fuerit omnibus illis ſordibus quæ plerumque imprudentium, injuſtorum, ferocium, et intemperatorum animos ſolent inficere, polluere, et inquinare.

Huic autem viæ a Græcis ἠθικὴ nomen eſt impoſitum, Latini vero conati verbum verbo reddere, *Moralem* appellaverunt; cui prudentiores et ſapientiores tantum attribuunt, ut a bona rerum conſuetudine omnia bona, a mala vero omnia vitia cenſeant provenire. Etenim homines qui hac iter faciunt, et ibi ſe ipſos abluentes aliquantum immorantur, ita ab omni fæce et ſorde defæcantur et expurgantur, ut et ſibi, amicis, cognatis, patriæ recte poſſint conſulere, ac quæ honeſta, et utilia ſint futura publice privatimque proſpicere, ita ut ſemper boni et æqui rationem habeant, et in moderandis populis provinciiſque regendis nihil prætermittant quod ad æquam legum lancem pertineat. In periculis vero ſubeundis, et rebus aſperis et acerbis tolerandis ita muniuntur, ut numquam perturbentur, nec tumultuantes (quod dici ſolet) de gradu ſuo dejiciantur, ſed præſenti animo, et conſilio in rebus omnibus obeundis ſumma alacritate utantur; nec mortem ipſam, qua

Kk nihil

nihil eſt terribilius, nedum imminentia pericula, modo patriæ poſſint opitulari, umquam reformidant. Hinc etiam hauriunt, quibus remediis nimios ſenſuum, et voluptatum appetitus poſſint reprimere et coërcere, ita ut in omni actione ſuſcipienda, ratio ſemper dominetur, et decorum illud a Græcis πρέπον dictum, ſine quo nihil venuſtum eſſe poteſt, in primis ſervetur. Atque hiſce virtutibus illuſtrantur, ac potiſſimum illuſtrari debent qui rerumpublicarum adminiſtrationi velint præſidere, et curam domeſticam ſuſtinere, aut vitam privatam ſibi deligere, ut his animi virtutibus univerſam benevolentiam apud omnes ſibi concilient, et illi facultates ſuas recte augeant, et hi honeſto in otio conquieſcant. Hanc autem viam primus omnium Socrates dicitur non ſolum inveniſſe, verum etiam illuſtraſſe. hic enim relictis rebus occultis, et multiplici obſcuritate involutis, de virtutibus expetendis, et vitiis fugiendis, nec non de bonis rebus, et malis ad communem hominum ſocietatem, et utilitatem non tam ſubtiliter cœpit diſputare, quam quæ ad bene beateque vivendum conferunt, fideliter præcipere, et oſtendere. Hunc deinceps ſectatus divinus Plato, ejus diſcipulus, libros de republica, de legibus, et dialogos non parum ad hanc rem facientes divinitus ſcripſit. Xenophon quoque Platonis æmulus, ſub inſtitutionis forma regis Cyri hanc materiam intactam non reliquit. Ariſtoteles etiam ad horum imitationem ethica, politica, et œconomica accuratiſſime explicavit. Noſter etiam Cicero plurima ab his omnibus mutuatus, multis et variis voluminibus hanc philoſophiam moralem, ut ipſe de ſe teſtatum reliquit, literis latinis illuſtravit. Huic etiam non parva adjumenta, et ornamenta addidit Seneca, qui nihil fere ſcriptum reliquit quod non ad vitæ humanæ inſtitutionem videatur pertinere. His addi poteſt Boëthius Severinus, qui in ſua Conſolatione nihil quod ad virum prudentem, juſtum, fortem, et temperatum ſpectet, videtur prætermiſiſſe. Non tacendus eſt etiam hoc in numero Iovianus Pontanus, qui paucis ante annis, ut in poëtica, et hiſtorica facultate, et ſiderum cognitione, ſic etiam in politicis præceptis nova quadam ratione dandis non parum nominis, et laudis eſt aſſecutus. Denique nemo eſt habitus verus philoſophus qui de præceptis

recte

recte vivendi aliquid non ſcripſerit. Verum his jam ſatis explicatis, reliquas hujuſce montis ſacratiſſimi partes diligentiori, attentiori, et ſublevatiori animo incipiamus contemplari.

Iam pervenimus ad illius ſcientiæ et cognitionis ſuperiores colles, quæ proprio et peculiari nomine *Phyſiologia* dicitur, quæ homines ad hunc locum tamquam ad ſpeculam eminentiſſimam per hujuſcemodi vias profectos, poſtquam de principiis, et cauſſis rerum quæ per ſe nativo motu moventur, diligentiſſime egit, hæc inferiora intueri, et ſuperiora contemplari, ſubtiliſſima indagatione edocet, ut ex hac cognitione, et contemplatione cognoſcat homo, ſe ceteris animantibus infra poſitis et conſtitutis antecellere, et ad ſuperiora, et proxime deos, hujus ſcientiæ acquiſita cognitione accedere. Ac principio quidem nos ita inſtituit, ut univerſam terram in media mundi ſede locatam, ſolidam, et undique in ſe ſe conglobatam, veſtitam floribus, herbis, arboribus, frugibus, inſpiciamus, quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur; deinde fontium perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ad hæc reconditas auri, argentique venas, et aliorum omnium metallorum, infinitamque vim marmoris. Poſtea, quam varia ſint genera beſtiarum, quarum aliæ feræ terreſtres, aliæ natantes, aliæ volucres, quarum et varii cantus, et volatus; qui ſit pecudum paſtus, quæ vita ſilveſtrium, et quæ cicurum. Præterea docet hæc eadem hominem, hominum naturam dignoſcere, qui quaſi cultores terræ conſtituti, non patiuntur, eam nec immanitate belluarum efferari, nec ſtirpium aſperitate vaſtari, quorum opera agri, inſulæ, litoraque collucent diſtincta tectis, et urbibus. Sicque animus noſter cunctam intuens terram, et omnia quæ in ea naſcuntur, et degunt, nihil dubitat quin hæc omnia divina ratione ſint effecta. Hos etiam ducit ad intuendum quanta ſit maris pulchritudo, quæ ſpecies univerſi, quæ multitudo, et varietas inſularum, quæ diverſarum orarum, et litorum amœnitates, quot genera quamque diſparia belluarum partim ſubmerſarum, partim fluitantium et innatantium, partim ad ſaxa nativis teſtis inhærentium, et ipſum mare, quod ſic terram appetens litoribus cludit, ut una ex dua-

bus naturis conflata videatur. Exinde nobis oſtendit mari finitimum eſſe aërem, qui die, et nocte diſtinguitur, qui tum fuſus, et extenuatus in ſublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus, tum effluens huc et illuc ventos efficit. idem annuas frigorum, et calorum facit varietates, idem etiam volatus alitum ſuſtinet, et ſpiritu ductus alit, et ſuſtentat animantes. Huic aëri ſupremus, et a domiciliis noſtris altiſſimus æther imminet: qui omnia cingens, et coërcens, eſt veluti extrema ora, et determinatio mundi, in qua cum admirabilitate maxima igneæ formæ curſus ſuos ordinatos definiunt. Ex quibus ſol, cujus magnitudine multis partibus terra ſuperatur, circum ipſam volvitur, iſque oriens, et occidens, diem, et noctem conficit, et modo ad nos accedens, modo a nobis recedens binas in ſingulis annis reverſiones ab extremo contrarias facit, quarum intervallo tum quaſi triſtitia quadam contrahit terram, tum viciſſim lætificat, ut cælo hilarata videatur. Luna etiam, quæ eſt, ut oſtendunt Mathematici, major quam dimidia pars terræ, iiſdem ſpatiis vagatur quibus ſol, ſed tum congrediens cum ſole, tum digrediens, eam lucem quam a ſole accipit, mittit in terras, et varias ipſa mutationes lucis habet. atque etiam tum ſubjecta, tum *oppoſita ſoli*, radios ejus et lumen obſcurat, tum ipſa incidens in umbram terræ, cum eſt e regione ſolis, terræ interpoſitu interjectuque, repente deficit. Iiſdem ſpatiis ceteræ etiam ſtellæ quas vagas dicimus, circum terram feruntur, eodemque modo oriuntur et occidunt; quarum motus tum incitantur, tum retardantur, ſæpe etiam inſiſtunt; quo ſpectaculo nihil poteſt admirabilius eſse, nihil pulchrius, nihil etiam humano generi commodius. Nam ex hujuſcemodi acceſſu, et receſſu, et vario diſcurſu omnia quæ in terris hominum cauſsa gignuntur, oriuntur, aluntur, augentur, ad magnitudinem, et maturitatem ſuam perducuntur. Vis enim illa cæleſtis per hujuſcemodi motus, et varias circuitiones in hæc inferiora ita infunditur, ut actioni formæ privatæ præſto ſit illa virtus univerſalis, atque ita forma ex materia ſimilis ſibi educitur: unde propoſitio illa ab antiquis celebrata, et ab Ariſtotele repetita certiſſima, *ſol et*

homo

homo generant hominem. Quæ omnia contuens animus, accipit ab his cognitionem deorum, ex qua oritur pietas, cui conjuncta eſt juſtitia, et reliquæ virtutes ex quibus vita beata exſiſtit par et ſimilis deorum, longe melius confirmantur. Hoc enim ſtudium Phyſiologiæ nos a corporis voluptatibus facile deterrebit, atque ab eorum omnium cupiditate quæ externa plerique omnes admirari, et pretioſa exiſtimare ſolent, prorſus amovebit. E phyſicis namque fortitudo ſumetur contra mortis metum, cum didicerimus, ſpatium homini vivendi, quantumvis diuturnum, a natura datum, vix totius temporis tum præteriti tum futuri momentum eſse: et omne genitum corrumpi, et in ſimplicia diſsolvi oportere, et partes propriis elementis reddi, atque reſtitui univerſitati. In his autem collibus incoluerunt, et hos primi omnium e Græcis excoluerunt Thales Mileſius, Anaximander, Xenophon Colophonius, et ejus diſcipulus Parmenides, mox Pythagoras, et multi Pythagorici, inter quos nobiliſſimi exſtiterunt Archytas Tarentinus, et Timæus a Platone in dialogis ſæpe introductus, qui nobis quibuſdam ænigmatis philoſophiam plenam reliquerant, et Anaxagoras Clazomenius, qui cauſsam efficientem intellectum, ac mentem appellavit; et divinus Plato, qui primus omnium quatuor rerum principia, *elementa* appellavit, ut Eudemus teſtatum reliquit, et Pythagoricorum, Eleatarumque dogmatis, quæ involuta, ſubobſcuraque multis videbantur, lucem quamdam attulit, ita ut deinde omnibus longe faciliora ſint viſa.

Non defuerunt etiam multi alii communi quadam appellatione aut a præceptoribus, aut a locis, aut ſcholis, aut ab exercitationibus denominati, quales Socratici, Cyrenei, Academici, Peripatetici, quorum omnium, ex eorum judicio qui ſcientiſſimi, et ſapientiſſimi ſunt habiti, de omnibus quæ ad hanc cognitionem ſpectant, Ariſtoteles copioſiſſime, et exactiſſime ſcripſit. Hic enim vir dono quodam, et naturæ miraculo undique perfectus, et omnium artium, diſciplinarum, et ſcientiarum peritiſſimus, in lucem fuiſse editus videtur, ut illius acerrimo judicio ſuperiorum ſcripta recenſerentur, atque ita concinne diſponerentur, ut nihil quidquam quod ad-

di,

di, aut demi poſſit, deſiderandum poſteris reliquerit: adeo ut ſi ipſe naturæ aliquid debet, non minus ea viciſſim ipſi debeat, cujus ingenii acumine effectum eſt ut opera ipſius naturæ antea aut parum, aut ſubobſcure intellecta, nunc hominibus perſtudioſis ſint notiſſima et apertiſſima.

Atque iidem omnes ex horum inferiorum altrice, motrice, ſenſili, et intellectu prædita vi, et ſuperiorum aſſiduo motu, conſenſerunt eſse quoddam Ens ſupremum, abſolutum, cujus nutu omnia moveantur, et in terris, et aquis creentur, et ad quemdam ſibi præſcriptum terminum augeantur; unde inter hoſce colles ſunt duo longe ceteris in medio eminentiores, quorum alter quidem divinæ ſcientiæ, quam *Metaphyſicem* appellant, eſt dedicatus, eoque omnes fere qui de phyſicis egerunt, in hoc convenerunt ut crederent, et aſsererent eſse quoddam Numen θεῖον a Græcis ϗ τ' ἀγαθὸν appellatum, a quo omnia perpenderent, et ad quod omnia reducerentur. Vnde quidam eorum dixerunt, unicum eſse tantum principium, atque rati id Numinis, quidquid et qualecumque eſset, definitione poſse comprehendi, deſcribere ſunt conati. Atque ita hoc ipſum Numen immenſum, inenarrabile, auguſtiſſimum, omnemque humanæ mentis captum excedens, dixerunt eſse quoddam vivens, immortale, per ſe, *ipſum ſibi ſufficiens* ad beatitudinem, eſsentiam ſempiternam, omnis boni cauſsam, incorporeum, ἀπερίμετρον, beatum, beatificum, omnium patrem, optimum, nulla re indigentem, cuncta bonitate ſua conferentem. Vnde eorum quidam ſcientiſſimi habiti, hac divina cognitione, ſive cæleſti quadam inſpiratione, ſive hiſce viis a me antea deſcriptis percepta, crediderunt, hominem quadam felicitate, etiam dum hac in vita verſatur, poſse perfrui.

Hi quidem omnes recte dixerunt, et ſatis bene ſenſerunt, non tamen meræ veritatis ſcopum attingere potuerunt; in quo perſcrutando et inveſtigando veterum ſapientum ingenia multum elaborarunt, nec tamen veram ſapientiam potuerunt agnoſcere, eo quod veræ veritatis, et perfectæ ſapientiæ arcanum intimis occluſum penetralibus nondum in lucem mortalibus ſe ſe prodiderat. Quod poſtquam illius principis, et univerſalis architecti Optimi Maximi Dei bonitate effectum

eſt,

eſt, adaperta eſt nobis via ab hoc colle ad alterum coryphæum collem huic adhærentem, numquam ab illis veteribus prorſus cognitum, in quo ſitum, et firmatum eſt templum veræ, ſolidæ, et perfectæ hominum felicitatis. Hic enim duce fide, et conſtantia religionis chriſtianæ, omnium quæ umquam fuerint ſanctiſſimæ, et veriſſimæ, docemur cognoſcere veram ſapientiam, hoc eſt Deum ipſum vere Maximum, et Optimum. Nam ſapere nihil aliud eſt niſi Deum verum juſtis, et piis cultibus honorare, et agnoſcere eum qui cum ab æterno Patre per intellectionem ineffabilem, et incomprehenſibilem, coomnipotens, et ἀμήτωρ genitus fuiſset, tamen ut occurreret quorumdam erroribus qui non modo dicto prophetarum non audierant, ſed in eos etiam crudeliſſime ſævierant, iterum non per carnem, ſed e carne ut juſsus eſt naſci voluit, atque ut prius ἀμήτωρ, ſic iterum ἀπάτωρ, quoniam ſine patris officio, virgineo utero procreatus eſt, ut divinam et humanam ſubſtantiam gerens, noſtram hanc fragilem imbecillemque naturam quaſi manu ſua ad immortalitatem educeret, factus eſt Dei Filius per Spiritum, et hominis ex carne, ideſt et Deus et homo. Dei virtus in eo ex operibus quæ incredibilia, et ante inaudita fecit, apparuit: fragilitas autem hominis ex acerbiſſimo crucis ſupplicio, quam ſemper conſtanti animo pertulit, nobis facillime eſt indicata. Hæc autem omnia fecit, et ſuſtinuit, non tam ſui quam noſtrum cauſsa, ut nos ſolum e tenebris ad lucem, a morte ad vitam, a ſervitute ad libertatem redimeret. Verum ad hunc ſupremum, et eminentiſſimum collem, in quo licet omnia inferiora, et ſuperiora intueri, et contemplari, et omni perfecta felicitate perfrui, præter cognitionem et ſcientiam naturalem, etiam fide inconcuſsa, et corde ſincero hominum pervenitur, qui et Deum credunt, et ejus opera potius admirantur quam ratione exquiſita perſcrutantur. Hanc viam, et hujuſce coryphæi collis templum nobis ſignificarunt ante ipſius Dei in terras adventum Moſes ille qui et mundi creationem, et ſacroſanctas cærimonias, et mores civiles, ut ipſe a Deo per ſpiritum propheticum acceperat, ſuos populos docuit: et Eſaias qui primus omnium prædixit, divinæ humanam naturam conjunctam ex Virginis partu orituram:

ram: et Hieremias, qui ut prævidit, ſic dixit fore ut IESVS Dei Filius cruci affixus pateretur. Hoc idem ſignificarant, et multis indiciis patefecerant, David pater, et Salomon filius, et multi alii; quos nimis longum eſſet et numero, et ordine colligere. et demum IESVS CHRISTVS, qui divina et humana ſapientia præditus, re ipſa præſtitit quæ de eo multis ante ſæculis prædicta fuerant. Cujus generationem cum Ioannes Evangeliſta vellet oſtendere fuiſſe æternam, in ſuo Evangelio ſtatim dixit: *In principio erat Sermo*. Et Matthæus ipſe teſtatus eſt, IESVM de Virgine natum eſſe. Hoc ipſum confirmarunt Lucas, et Marcus, qui omnia quæ ab Apoſtolis, qui rebus omnibus interfuerant, fideliter acceperant, ſcriptis mandarunt. Hæc omnia nos etiam enucleatius docuerunt eximii doctores, quorum principatum obtinet Paullus ille qui ut melius divina myſteria perdiſceret, uſque ad tertium cælum dicitur fuiſſe ſublevatus: Athanaſius, Ioannes Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus, et Baſilius; divus Hieronymus, qui ſua divina interpretatione cedit nemini, Ambroſius in ſuis divinis allegoriis vere divinus, Auguſtinus, qui ingenii acumine omnibus præſtitit, et Gregorius Romanæ eccleſiæ Maximus Pontifex, qui morum optimorum præceptionibus ceteris antecellit; et complures alii, qui nobis iter, et aditum ad hoc ſupremum felicitatis templum aperuerunt: ad quod qui his ducibus pervenerunt, non amplius homines, ſed dii terreſtres habentur. jam enim adhuc viventes frui incipiunt eo ſempiterno, et ſtabili bono, quo etiam poſt ſolutionem animæ a corpore ſunt perfruituri. In hoc templum perfectæ beatitudini, et veræ ſapientiæ dedicatum ingreſſi et admiſſi, omnium quæ in terris, aquis, et aëre naſcuntur, et fiunt, cauſſas optime norunt, orbium cæleſtium motus, et curſus intuentur, incorporeas eſſentias contemplantur, et Deum ipſum ita vere agnoſcunt, ut etiam ipſi divorum numero habeantur. Hæc ſunt ornamenta, hæc ſunt commoda, hæc ſunt ſempiterna bona quæ ab univerſa philoſophia proveniunt.

Verum quiſpiam dixerit, non ſatis eſt hanc felicitatem expetere, ad quam unuſquiſque ſanæ mentis profecto exoptat pervenire, ſed ineunda eſt ratio qua ad hujus beatitudinis

apicem

apicem faciliime et veriſſime poſſimus aſcendere. Vnde vos, ingenui adoleſcentes, ad quos reliqua pars meæ orationis potiſſimum dirigitur, breviter admonebo, quid in tanto veſtro deſiderio ſit agendum. Poſtquam artium logodædalarum, quæ ſunt nobis veluti primum viaticum ad hanc felicitatem conſequendam, fundamenta optime jeceritis, ad Sebaſtianum Foſcarenum accedite, et confugite, qui mathematicorum ſubtilitate ingenium veſtrum ſic acuet, ethicis præceptis ſic inſtituet, cognitione rerum naturalium ſic illuſtrabit, cæleſtium rerum ſpeculatione ita ſublimabit, et demum theologica contemplatione ſic perficiet; ut vobis etiam, quemadmodum antea plurimis aliis, aditus facillimos ad hanc felicitatem aſſequendam libentiſſime ſit demonſtraturus. De quo viro numquam ſatis laudato ſi vellem omnia quæ de eo honorificentiſſime dici poſsent, non dicam ornate explicare, ſed tantummodo percurrere, non peroratio mihi contexenda, ſed altera oratio exordienda eſset. hoc tantum dicam, quod ut omnibus notiſſimum eſse poteſt, ſic etiam eſt veriſſimum, ex quo tempore a noſtro ſanctiſſimo ſenatu demandatum eſt ei hoc munus philoſophiam profitendi, plures eximii philoſophi, et doctores celeberrimi, omni ſcientiarum genere præditi, ex hujus gymnaſio ſunt egreſſi, quam olim ex Lyceo, aut ex Stoicorum porticibus, habita ratione temporis quo unus ex illis veteribus philoſophis philoſophiam in ſcholis ſit profeſsus. Quam ob rem et vos, adoleſcentuli, qui nondum ſacroſanctæ philoſophiæ myſteriis initiati eſtis, ad hunc Foſcarenum perlibenter accedite, qui vos ea cura, diligentia, induſtria, et omni pietate initiabit, ut ſemper facilioribus viis ad hujuſce montis ſanctiſſimi altiſſima cacumina poſſitis aſcendere, et vos qui jam initiati, ulterius progreſſi eſtis, curſum veſtrum felicibus auſpiciis peragite, ut demum ad illud ſupremum felicitatis templum perveniatis, ut ibi perpetuis et ſempiternis bonis perfrui poſſitis. quod quidem ſi, ut exoptatis, et debetis, libenti animo feceritis, cum ſemel fato ſit præſcriptum, nullam eamdem animantis formam infra lunæ orbem poſse perpetuam fieri, niſi per quamdam ſucceſſionem; hoc commodi, et ornamenti conſequemini, ut noſtræ reipu-

blicæ, quæ ſemper clariſſimis viris abundavit, qui pacis tempore, noſtræ patriæ ornamento, belli vero, non parvo adjumento exſtiterunt, numquam ſint defuturi Leonardi, et Bernardi Iuſtiniani, qui quodam ſuo jure ſapientiam et eloquentiam hereditariam ſunt viſi feciſſe: Franciſci, et Hermolai Barbari, qui ut eloquentiſſimi, ſic etiam ornatiſſimi equites in noſtra republica fulſerunt: Marci, et Hieronymi Donati, qui prudentia, et eloquentia ſua freti in obeundis plurimis legationibus feliciſſimi fuerunt: Paulli, et Franciſci Mauroceni, viri eloquentiſſimi, et ſapientiſſimi ubique locorum ſemper habiti. Non deerunt etiam Marci Lipamani, Nicolai Michaëlii, Sebaſtiani Baduarii, Aloyſii Foſcareni, Petri Paſchalici, omnes fere doctores, et oratores prudentiſſimi, qui ut de noſtra republica ſunt benemeriti, ſic etiam ab ea plurimis honoribus ſunt affecti. Non deſiderabuntur præterea Antonii Cornelii, Dominici Bragadeni, Antonii Iuſtiniani, Antonii Bolduni, qui non tantum philoſophiæ doctores eximii, verum etiam ſapientiſſimi antiſtites ſunt habiti. Aderunt etiam Bernardi Bembi, Antonii Danduli, Marci Sanuti, Paulli, et Georgii Piſani, viri tam domi quam foris in negotiis publicis maxime probati. Non requirentur poſtremo ornamenta noſtræ reipublicæ Venetæ, et ſanctæ Romanæ eccleſiæ validiſſimæ columnæ, Paulli Barbi Pontifices Maximi, qui incredibili ingenio, et maxima rerum prudentia omnium oculos, et animos in ſui admirationem convertant: Ioannes Baptiſtæ Zeni, Dominici Grimani, cardinea dignitate præditi, quorum doctrinam et ſapientiam, præter multa alia, teſtantur tam ornatiſſimæ, quam locupletiſſimæ librorum græcorum, et latinorum bibliothecæ ad eorum memoriam perpetuam poſteris relictæ: Bernardi Zanæ, Chriſtophori Marcelli, Petri Barrocii, epiſcopi, et archiepiſcopi tam doctiſſimi, quam intergerrimi: et plurimi alii, quos nimis longum eſſet et ordine, et nomine recenſere.

Qui omnes ut viventes patriam noſtram Venetam conſervarunt, adjuverunt, auxerunt, et virtutibus ſuis exornarunt; ita nunc in cælo certum, ac definitum locum, ubi beati ævo ſem-

ſempiterno perfruuntur, una cum ipſis cælitibus habitant. Ad quam quidem gloriam, et tranquillitatem, et ſempiternam felicitatem nos etiam accedemus, ſi interim ab ineunte ætate ſemper alacriori animo operam dabimus, ut duce Sebaſtiano Foſcareno, ad hujus ſanctiſſimi montis ſummitatem omnino perveniamus. Dixi.

ANTONII LONGI
PATRICII VENETI,
IN FVNERE
NICOLAI DE PONTE
PRINCIPIS VENETIARVM
ORATIO.

DVabus de cauſſis præcipue a majoribus noſtris comparatum eſt, Patres Ampliſſimi, ut in obitu Sereniſſimorum Principum funebris oratio haberetur; altera, ut res ſapienter, et fortiter per eos geſtæ ad eorum ipſorum honorem, et ad poſteritatis utilitatem, immortalem apud nos gloriam, quaſi mercedem laborum, periculorumque, conſequerentur; altera, ut oppreſſis dolore animis, et ſuorum deſiderio graviſſime mærentibus conſolatio, aut ſaltem levamen aliquod adhiberetur. Ad utrumque munus præſtandum me imparem eſſe plane ſentio. cui enim tantum eſt flumen ingenii, tanta dicendi facultas, tanta vis, tantaque copia, quæ Nicolai de Ponte Principis præclariſſimi vel res geſtas enarrare poſſit, vel laudes enumerare? quid, ſi ego, cujus ingenii acies exigua, viriumque imbecillitas rerum gravitatem ſuſtinere non poteſt, eos qui ſapientiæ præſidiis circumſepti, et alta quadam mente præditi medicinam conſilii, atque orationis ſuæ afflictis aliis afferre conſueverunt, a mærore coner abducere? nonne rem abſur-

ſordam et præpoſteram commiſſurus videar, qui adoleſcens ætate provectos, imperitus ſapientiſſimos, privatus ampliſſimis perſunctos honoribus, conſolari audeam? Hæc etſi me vehementer terrent, magnumque timorem injiciunt, tamen, quod vos aliorum ſtudiis ſemper faviſtis, et in optimam partem illi a vobis agnoſcuntur qui non tam re et maturitate, quam ſpe et exſpectatione laudati ad res magnas, et præclaras ſe conferunt, et veſtrorum inſtitutorum fundamentis nituntur; eam ob cauſsam ipſe, cui veſtra veſtigia perſequi jam inde a puero conſtitutum eſt, etſi nec uſu ſatis, et ingenio parum valeo, tamen veſtra humanitate fretus, plus oneris ſuſtuliſſe non verebor quam plane me ferre poſſe intelligo; tantique viri meritis in rempublicam ſi non parem gratiam, at pro meo tamen deſiderio juſtam debitamque referam. Quoniam de eo principe verba facturus ſum in quem quæ ab hominibus laudari ſolent, cumulatiſſime a natura, fortunaque congeſta erant, non id mihi ſolum conſiderandum eſt, quid a me dici poſſit, ſed multo magis, quid eorum quæ plurima ſuppetunt, omittendum cenſeam. nam ſi omnia illuſtria atque inſignia perſequi voluero, timeo ne aut eum quem tempus poſtulat, dicendi modum non feciſse videar, aut aures veſtræ rerum copia defeſſæ minus acquieſcant: quare nonnulla tantummodo in medium afferam, reliqua prudentiæ veſtræ relinquam perpendenda. Adeſte, quæſo, æquis animis, patres ampliſſimi, et date veniam, ſi quid minus dignum auribus veſtris attulero; confido tamen, ſi cetera a vobis fortaſſe deſiderabuntur, vos meum ſtudium, gratique animi officium non deſideraturos.

Nicolaus optimis parentibus ortus, ita educatus inſtitutuſque eſt, ut non modo pietatem et optimos mores una cum nutricis lacte ſuxiſſe putaretur, ſed ut ad honeſtatem et gloriam natus, et a natura factus videretur. Etenim in eo adhuc puero incredibilis quidam pudor et modeſtia eluxit, quæ non modo in ejus ſermone, ſed in vultu ipſo et in oculis cernebatur. Cum ingenii fecunditas ingens ſe in puero extuliſset, diſcendi ſtudio incenſus eſt. Quemadmodum enim feracem agrum ſine cultura, ſic animum ſine doctrina fructuoſum eſse

non

non poſse judicabat, tantumque aberat ut vitam otioſam et inertem tradu&turus eſset, ut etiam turpiſſimum ſibi fore putaret, niſi animi bonitatem, quo nihil præſtantius nobis a Deo datum eſt, doctrinæ atque optimarum artium quaſi pabulo aluiſset, et quo uno humanum genus feris antecellit, ipſe hominibus aliis præſtitiſset; quare iis omnibus diſciplinis ſe penitus dedidit quibus ſummæ ſpei pueri ad humanitatem finguntur et virtutem; celeriterque omnibus artibus quibus puerilis ætas imbui ſolet, ita profecit, ut æquales ſuos omnes doctrinæ laude longe ſuperaret, ex iis autem generoſiſſimum quemque imitandi ſtudio non leviter incenderet. Summa ſtatim neceſſitudo cum eruditis, probis, et bene moratis hominibus ei conjuncta eſt. Equidem domeſticus uſus et conſuetudo bonorum ad totam vitam conſtituendam, ſummumque bonum adipiſcendum non parum momenti et ponderis habere ſemper exiſtimata eſt, propterea quod nos ſimiles eorum quos ſocios nobis adſciſcimus, fore videamur. Doctrinæ et optimorum inſtitutorum præſidio munitus, et liberaliter inſtitutus id potiſſimum ſpectavit, ut cupiditates, quas ea ætate natura ipſa profundere ſolet, coërceret; propterea voluptatem, quæ eſt maxime inimica virtuti, quæque boni naturam fallaciter imitando ſuis illecebris nos capit, et ad ſe allicit, ſicut *Scyllam*, aut Charybdim ſibi vitandam eſse ſtatuit. Ineunte adoleſcentia Patavium ſe contulit ut ad graviora doctrinæ ſtudia ſe applicaret; etſi major quædam gravitas in illo quam quæ ab illa ætate poſtulanda eſset, cernebatur, ea tamen ſic comitate quadam incredibili condiebatur, ut nemo dulcior et ſuavior, nemo ad omnem humanitatis et facilitatis rationem accommodatior haberetur; et qua ætate ceteri nimia lætitia earum rerum quas didicerunt, turgeſcunt, ille tanta lenitate erat, ut nemini ſe præponeret, quin quo excellentior eſset, eo ſe ſummiſſius gereret. Omnis virtus nos ad ſe allicit, et ut quiſque maxime virtute ornatus eſt, ita nos ad eum amandum maxime impellimur. Itaque tanta facta ſignificatione virtutis, Nicolaus non modo ab iis qui iiſdem ſtudiis delectabantur, prope certatim cultus eſt, ſed eruditorum et primariorum virorum admirabilis quædam erga eum benevolentiæ magnitudo exar-

exarſit; omneſque congreſsu, colloquio, conſpectu ejus frui ſtudebant, et moribus. Ille, cui cognitionis amor ingens et ſcientiæ innatus erat, etſi omnium ſtudiis comiter et benigne reſpondebat, orationeque, vultu, et fronte, quæ eſt animi janua, efficiebat ut omnes amiciores diſcederent quam acceſſiſsent; præcipua tamen et flagranti cupiditate ad pervolutandos libros rapiebatur. Erat in eo adoleſcente inexhauſta quædam aviditas legendi, nec ſatiari poterat: rerum optimarum ſcriptores diligentiſſime ab initio uſque ad finem legendo percurrebat: quod quiſque commodiſſime præcepiſse videbatur, excerpebat, et ex variis ingeniis præſtantiſſima quæque non ſolum libabat, ſed memoria cuſtodiebat. Non illum obſcura et multiplex ſcriptorum ratio, non curæ, non ſollicitudines, non vigiliæ deterrebant, quominus optima parte hominis, quæ divina eſt, ingenii et mentis acie frueretur, nec voluptatem requirens, nec fugiens laborem. In omnium ſcientiarum varietate, ſingulari cum gloria et fructu verſatus, præcipuo tamen philoſophiæ ſtudio tenebatur, idque jure optimo. Hæc enim omnium humanarum artium velut procreatrix et parens a ſapientiſſimis judicata eſt: hæc, quæ magnæ fiunt cæli converſiones, et ratos aſtrorum, immobileſque curſus nobis oſtendit: hæc omnium rerum quas ſenſibus, aut animo percipimus, naturas et cauſsas tradit: hæc diſserendi non dialecticæ ſolum, ſed etiam oratoria præcepta continet: hæc cum quæ ad privatæ vitæ rationem, tum quæ ad reipublicæ gubernationem pertinent, complexa eſt. Philoſophiæ præſtantia, et cognitione cum ornaſset, compleſsetque pectus, theoremata, quæ vulgo *concluſiones* appellamus, ex principis omnium philoſophorum libris depromta, publice tuenda ſuſcepit; qua in re adeo ſe præclare geſſit, ut magno concurſu lectiſſimorum hominum ac frequentia, non modo nulla ſubdola et captioſa probabilitate diſputando falli poſset, ſed conquiſitis rationibus argumentando, rerum et vocum vim definiendo, diſtinguendo genera, ſequentia adjungendo, concludendo perfecta, vera falſaque dijudicando, cum diſputantes contra argute ſubtiliterque refelleret, tum omnium animos, quocumque vellet, acute torqueret et flecteret. Etenim ad doctrinæ rationem adjunxerat

xerat oratorium uſum, moremque, et exercitationem dicendi: erat is vir creber in reperiendis, ſolutus in explicandis ſententiis et gravis; cum ejus gravitate junctus urbanitatis lepos, accurata et ſine moleſtia diligens elegantia, verborum ſplendor, et argumentorum, ſimilitudinumque copia non deerat. Sed Nicolai peroptanda eſset dicendi facultas, ſi Nicolai divinam vim vellem exprimere. Id breviſſime dicam; eum ſapienter ſentiendi, et ornate dicendi mirificam ſocietatem conſecutum. Hinc poſtea ad rempublicam plurima commoda manarunt, hinc ad eum laus, honor, dignitas confluxit, hinc amicis quoque ejus certiſſimum ac tutiſſimum præſidium comparatum eſt. Sed quid hæc in conſpectu veſtro commemoro, patres ampliſſimi? cum vos ipſi in ipſo veſtro graviſſimo, ſanctiſsimoque conſilio, quæ Nicolai eſset ubertas, varietas, ſubtilitas, et copia, ſæpe experti ſitis, cum veſter conſeſsus ei dicenti ſemper crederet, aſsentiretur, probaret, oratione ejus duceretur, et quaſi voluptate quadam perfunderetur. Sed (ut unde digreſsus ſum revertar) tum cum Nicolaus Patavii in ſapientiæ et eloquentiæ exercitationibus verſaretur, tantumque ingenii ſpecimen dediſset, jamque inſignia quibus qui doctores declarantur, ornari ſolent, aſsecutus eſset, in ore et oculis omnium cum Italorum, tum externorum erat. omnibus virtutis curſus celerior videbatur quam ætatis: omnes in eum, veluti in virtutis exemplar, ſtudioſe intuebantur. Etſi nemo erat Patavii qui ſe ei anteferret, et qui non præclare ſecum agi putaret, ſi ſecundus, aut tertius numeraretur, ille tamen cum iis inter quos poſset excellere, ſe non ſolum æquari patiebatur, ſed detractas ſibi laudes aliis affingebat. eſt enim natura comparatum, ut nemo qui ſuæ confidat virtuti, alienis bonis invideat. Hujus præclariſſimi viri ornamenta futuræ ejus amplitudinis incredibilem apud omnes exſpectationem, et certiſſimam quamdam ſpem concitarant. Quemadmodum enim ſol exoriens radios quaſi nuntios majoris lucis quæ mox ſubſecutura eſt, præmittit, ita hic tam multis argumentis facile indicabat, qualis et quantus in republica adminiſtranda ſenator futurus eſset. Hac tanta celebritate famæ Nicolaus Venetias reverſus eſt, et quæ urbs totius orbis terrarum pulcherrima,

flo-

florentiſſima, potentiſſimaque ſemper habita eſt, acerrimo, ingenioſiſſimo, eruditisſimoque viro ornatur. Hic quo major civium amor erga eum virtutis fama et opinione commovebatur, hoc magis divino animi motu ingenii et conſilii lucem cum pietate, temperantia, juſtitia, et prudentia, virtutibus denique omnibus jungendam putabat. quin cum philoſophorum ſtudium præcipue in indaganda veritate verſetur, inanem quem ſuſcepiſſet laborem fore intellexit, niſi veriſſimæ philoſophiæ, quæ fidei et chriſtianæ religionis ratione maxime continetur, ſtuduiſſet. Vere vel minima ſacrarum literarum pars omnium philoſophorum bibliothecis utilitatis ubertate anteponenda eſt; quorum ſcientias ſi cum theologia conferamus, illas inanes ingeniorum oſtentationes, hanc vitæ legem putabimus; illas comitum et adminiſtrarum, hanc reginæ locum tenere conſpiciemus. hæc nos ad ſummi Dei cognitionem, in quo ſtabilis immutabiliſque felicitas ſita eſt, adducit; hæc medetur animis, hæc detrahit ſollicitudines, hæc cupiditates reſtinguit, hæc vitæ tranquillitatem largitur, et pellit mortis timorem. Huic Nicolaus ſe totum addixit, neque quidquam in media theologia tam retruſum atque abditum fuit quod ille non inveſtigarit, lectitarit, atque conſcripſerit. neque hoc iccirco ſuſcepit, quod ſola humana gloria traheretur, ſed quod pietatis, caritatiſque ſtudio duceretur; neque ut curioſe aliquid perciperet, ſed ut recte religioſeque viveret, atque hac in re juſtus quam doctus eſſe mallet: et quidquid in hac ſcientia profecit, id non per ſe partum, ſed ad ſe divinitus delatum arbitratus eſt. Non dicam hoc loco, tantum ei a tota civitate tributum eſſe, ut ad eum adiretur, et de omni officio atque negotio, de rebus divinis atque humanis, de publicis atque privatis referretur: non proferam, eum omnia quæ legebat, vel audiebat, ſic memoria ſepſiſſe, ut quæ puer didiciſset, ſenex meminiſset, et interrogatus, non ſecus ac ſi eo die ab eo perlecta eſſent, reſponderet: prætermittam, quantam gloriam, cum hic comitia ab Eremitanorum ordine maxima celebritate haberentur, conſecutus ſit: ſilebo, quomodo indictis diſputationibus brevitas ejus, celeritaſque reſpondendi, argumentandi, et refellendi cum ſumma ve-

nuſtate conjuncta omnes obſtupefecerit : non commemorabo ſummum illum Cardinalem Aegidium, et ſummis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenii prædituum, qui tum comitiis præerat, Nicolai acumen non tacita opinione, ſed perſpicua admiratione concelebraſſe, ſummoque in honore habuiſſe, et ut immortalitate dignum reveritum eſse: tacitus prætteribo, ita vobis, patribuſque veſtris eſse viſum, ut is ex omni doctorum copia deligeretur qui philoſophiam publice interpretandam ſuſciperet, eumque ita illo munere perfunctum, ut non ingenio modo, quo ceteris præſtabat, ſatisfaceret, ſed etiam plurimos erudiret, qui ſumma cum ſalute reipublicæ præeſsent, urbemque hanc pulcherrimis inſtitutis, atque artibus illuſtrarent. ad illa veniam quæ ex uberrimis philoſophiæ, et theologiæ fontibus hauſta, ad communem utilitatem noſtram redundarunt, quæque nobis, et poſteritati et ad intuendum, et ad imitandum propoſita ſunt. Illos a reipublicæ gubernaculis ſapientes arcent qui cupiditatibus imperare non poſsunt; propterea quod quemadmodum qui humi ſtrati jacent, alios prolapſos erigere non poſsunt, ſic qui ſe ipſos non continent, alios continere non poſſint. At Nicolaus in urbe copioſa, voluptatibuſque et illecebris omnis amœnitatis terreſtris maritimæque affluenti natus educatuſque, auctoritate nutuque legum ſic domitas habuit libidines, ſic cupiditates coërcuit, ſic ab alienis animum, oculoſque abſtinuit, ut nemo ullum umquam luxuriæ, aut alius labis veſtigium in eo viderit; ſic ſalubri, et moderato victu, et cultu delectatus eſt, ut magni progreſsus quem in literarum ſtudiis fecit, et bonæ valetudinis qua fruebatur, quaſi quædam parens fuerit frugalitas, inimica ſumtuoſis epulis, et ab immoderato delectationum uſu averſa. Qui vero appetitum ratione rexerit, honeſteque vixerit, is curriculum vivendi a natura datum juſte conficiat, neceſse eſt: nam ut qui libidine effrenata feruntur, rebus ſuis profuſis, direptiones, rapinas, peculatus, et alia flagitia facile cogitant, et aliis adimunt ut aliis largiantur; ſic qui in voluptatibus ſe invictos præſtant, ſumtum ad facultates accommodant, et mediocritate moderantur, rebuſque ſuis contenti ſunt. Id in Nicolao plane perſpectum eſt,

qui

qui ſedatis animi motibus, numquam cuiquam utilitatis ſuæ cauſsa quidquam detraxit, nihil mali in contrahendis negotiis molitus eſt, nihil contra mores, leges, inſtituta in domum ſuam intulit: qui etſi rei familiaris rationem habuit, tamen eam nullo turpi quæſtu, neque odioſo, ſed ratione et diligentia auxit: a quo præterea multorum neceſſitati ita ſubventum eſt, ut ipſe nemini ulla in re moleſtus eſset: qui in dijudicandis controverſiis non utilitati, non gratiæ, non odio, non amori conſuluerit, ſed quid fides, quid religio, quid leges poſtularent, ſemper ſpectarit; ac propterea ab omnibus ei ita fides habita eſt, ut nulla in eo eſset fraudis, injuriæque ſuſpicio. Quid hac integritate magnificentius? quid illuſtrius reperiri poteſt? nonne hæc fama celebranda? non monimentis annalium mandanda? non poſteritati propaganda? At non ſolum temperantiæ, et juſtitiæ, ſed etiam prudentiæ laudibus maxime floruit, quod, quamquam non ignoratis, tamen a me in dicendo prætereundum non eſt. Nihil in rerum, aut temporum natura, et ratione poſitum erat quod non et cognitione, et memoria complexus eſset; qui ſingularum nationum et civitatum mores eſsent, quæ leges, quæ inſtituta, quæ principum ingenia, quæ fortunæ, quæ conditiones, percunctando, et agendo cognoverat; quid ſingulæ hominum ætates expeterent, optime tenebat; non ſolum quid fugiendum, aut ſequendum eſset, acute arguteque dijudicabat, ſed quid utilitate, et honeſtate maxime antecelleret, quantum homo poſset, conjectura aſsequebatur. Hinc factum eſt, ut quid ſibi honori, et amicis utilitati, et reipublicæ emolumento futurum eſset, mentis acie longe proſpiceret, honeſtiſque rationibus, et juſtis factis, non verſutiis et malitia, et domi et foris rem expedire, et conſilium ex tempore capere poſset; voſque eum non ſicut virum prudentem, ſed prope jam ut vatem omnium quæ evenirent, admiraremini. neque hæc tam accurata rerum indagatio inſtitutæ ſtudiorum rationi oberat, ſed contra una ab altera adjuta, mirificam in eo prudentiæ, et doctrinæ conjunctionem, et quaſi concentum efficiebat; neque optimarum artium tractatu delectatus, reipublicæ immemor, domi ſe abdidit, aut quod aſsecutus erat, ad patriæ

perniciem perverſe abuſus eſt, ſed id et in aſpectum lucemque protulit, et ad communem fructum glorioſe, et ſalutariter referendum exiſtimavit. Quo quidem tempore vos tam præclaras et incredibiles virtutes honoribus atque ſplendore decorandas exiſtimaſtis. Ac primum annos viginti natus ſumma cum omnium voluntate ſapiens ordinum renuntiatus eſt. Ea eſt hominum natura et ratio, ut cum munera iis qui leves et inconſtantes ſunt, maturius committuntur, celeriter faſtidio quodam et ſatietate langueſcant, et molliantur. At qui ſunt præclaris ingeniis præditi, primos honores non præmii loco ducunt, ſed ſe iis, veluti pignoribus optimæ faventium voluntatis, obligari, omniumque officiorum religione obſtringi arbitrantur, aditumque in ſummos ordines eorum induſtriæ et virtuti pateſieri exiſtimant; et ſicut ignis vento, ſic illi ſuffragantium ſtudio ad dandum virtutis, et prudentiæ ſuæ documentum incenduntur. Si quem id aliquando latuit, ei exemplum non longius quam a divina Nicolai prudentia petendum eſt, qui ſimul ac id munus obiit, non ſolum juſte, conſtanter, honeſte, diligenter omnia egit, ſed ei præcipuæ curæ fuit ut quos ſibi reſpublica ſuffragiis conjunxiſset, conſenſu etiam adminiſtrationis conjungerentur, idque munus uno animo, uno conſilio gereretur. Vbi enim concordia non ineſt, ibi majorem aliena opera perturbandi, quam ſua edendi cupiditatem innaſci vir acutus ſentiebat. Sociabilem vero conſenſionem et reipublicæ, et collegiis ſalutarem ſemper exſtitiſse non ignorabat; itaque Nicolaus et regere, et regi, et refellere, et refelli juxta paratus erat; potiuſque quomodo proprias laudes in medium conferret, quam quo ex communibus ad ſe traheret, cogitabat. Cum res aliqua in deliberationem veniebat, tanta in eo modeſtia elucebat, ut quem rationibus publicis melius proſpicere quam ſe, cerneret, non ſolum ejus ſententiæ facile cederet, ſed præclaram illam, atque auream vocem, quietique animi indicem uſurparet, *rectiſſime dixiſti, viciſti me*. Etenim illud magni animi eſt, et ipſa natura moderati, quod optimum eſse ſentias, id in medium proferre, et tamdiu defendere, quoad melius aliquod oſtendatur; pugnacem ſe in tuenda ſententia præſtare, pernicio-

ſum

ſum eſt: quod honeſtius et utilius eſt, id ſive ex hoc, ſive ex illo ore exeat, ſequi oportet; rerumque incolumitatem non in pertinacibus ſtudiis, ſed in prudentibus fidelibuſque conſiliis poſitam putare. Quid? nonne inferiores ſemper laudibus ornavit? non pares honorificis verbis et benevolentia complexus eſt? non ſuperiores obſequio et obſervantia proſecutus? non adoleſcens ſenibus, tyro veteranis virtutis exemplum fuit? non aliorum levitates, et injucunditates in quotidiana conſuetudine moderate tulit? non ipſe ſe commodum, et modeſtum omnibus ſemper præbuit? Atque hæc cum ita ſint, non tamen quemquam aſsentando deteriorem feciſse comperietur, ſed morem gerendo, colendo, benemerendo, amiciorem ſibi et reipublicæ reddidiſse. Ac propterea ſi quando addubitatum eſt, utrum honorare præſtantius eſset quam honorari, id profecto hoc tempore, hac Nicolai vita et moribus ſatis declaratum eſt; nam non modo colendis et obſervandis aliis ingentem laudem et gratiam apud omnes ſibi peperit, ſed iis officiorum gradibus ad ſummos honores viam aperuit. Quare non multo poſt in rogatorum ordinem lectus eſt; inde advocatoris munus ſuſtinuit; aliquo interjecto temporis ſpatio in graviſſimum ſanctiſſimumque decemvirorum conſilium pervenit; tum Patavini Gymnaſii cura ei mandata eſt; duplici quoque *ſapientis* honore eum decoraſtis, alterum *terra*, *conſilii* alterum vocant; poſtremo ſuperioribus illis temporibus conſiliarius declaratus eſt. Quod ſi totam ejus vitam oratione percurramus, eum ſemper ætatem honoribus, honores meritis ſuperaſse inveniemus; ſic delatos honores geſſiſse, ut ſe honoreſque hos qui ſibi commiſſi erant, quaſi in aliquo orbis terrarum theatro verſari exiſtimarit. Mirabitur, mirabitur poſteritas cum audiet, aut leget, quam multa omnibus in muniis aut proviſa prudenter, aut acta conſtanter, vel reſponſa ſapienter ab eo fuerint: inaudita magnitudine animi ejus, inſignique et nova conſilii dignitate obſtupeſcet: rerum geſtarum memoria et recordatio in maximis, graviſſimiſque curis non modo jucunda, ſed etiam fructuoſa erit. Neque ſolum in conſiliis et oculis veſtris magnus fuit, ſed in tribus præturis quas ampliſſimas ei decreviſtis, et in legationibus plurimis,

quas

quas ei injunxiſtis, præſtantior. Optimis civitatum, et provinciarum gubernatoribus, præterquamquod illud propoſitum eſt ut injuria tenuiores prohibeant, et æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retineant, duo ferme curæ eſse ſolent, quorum alterum eſt ut inteſtinas et domeſticas diſcordias ſanent, alterum ut conſulant ut earum rerum copia ſit quæ ſunt neceſsariæ. Cum Nicolao Corcyra nobiliſſima et firmiſſima inſula commiſsa eſset, Græcique incolæ, et præſidiarii milites (quod civitatibus maxime exitio eſt) non ſolum ſtudiis, et animis hoſtilibus, ſed etiam armis inter ſe diſsiderent, agminibuſque factis utrimque prælium commiſiſsent, reſque ad ultimum dimicationis ventura eſset, Nicolaus ſtricto enſe ſe inter duas acies intulit, hinc orando, hinc increpando non ſolum iras diremit, ſed etiam paullo poſt ingenii dexteritate quadam ſingulari ſic animorum incendia reſtinxit, nullas ut reſediſse in eis ſimultatis reliquias quiſquam ſenſerit. Tanta vero ſeveritate, quam tamen comitati cuidam incredibili admiſcuerat, et Corcyreos, et Vtinenſes, et Patavinos, quibus utriſque item poſtea præfuit, retinuit, ut Nicolai beneficio et quietam vitam traduxiſſe, et fortunas incolumes habuiſſe prædicarint; nobilitaſque eum gravem et auſterum, plebs comem et affabilem prætorem exiſtimarit. Hæc ſumma ſunt omnia, et ab eximia animi, ingeniique virtute profecta. quid illa quæ ad uſus vitæ neceſſarios pertinent, quanta et quam præclara ſunt? ſæpe enim frumentariorum artibus occurrendum eſt, ut annonæ, quæ interdum non tam inopia præſentis quam futuri temporis timore ingraveſcere ſolet, provideatur. Vehementer autem ad regentium honorem rerum abundantiam pertinere, quis ignorat? cum ſciamus, populos plerumque præſides ſuos aut ex rerum copia laudare, aut ex caritate vituperare conſueviſſe; tanta rerum omnium quas natura deſiderat, abundantia, non ſine mercatorum quæſtu ſuppeditata eſt, ut tempus hoc quo Nicolaus Patavinis præfuit, vilitate annonæ, et copia rerum inſigne fuerit. atque hæc cura magis, auctoritate, et diligentia Nicolai, quam ulla magna agrorum ubertate perfecta ſunt. Relinquo, qua diligentia Corcyræ collapſa mœnia refecerit, publicum horreum conſtituerit,

rit, ex remotioribus locis jugem et uberem aquam Vtinum adducendam curarit; Patavii incenſum prætoris domicilium reſtituerit, locique quem *Caritatis montem* appellant, fundamenta jecerit. Omitto, quantis ornamentis is populos illos afſecerit, judicia conſtituerit, coërcuerit juventutem, libidines compreſſerit, propagarit religionem, adeuntes et ſupplices non ſolum comiter exceperit, ſed etiam confirmarit, et ad meliorem ſpem revocarit. Hoc tantum dicam, eum huc omnia ſua conſilia retuliſse ut eorum quos ejus fidei credidiſſetis, commodis, utilitatique ſerviret; iique in primis beatiſſimi numerarentur, jucundamque, et diuturnam memoriam ſuæ præturæ iis omnibus reliquiſse. Tantum vero abſuit, ut ad injuſta extorquenda precibus locus eſſet, ut qui ea petituri erant in quibus aliquid minus honeſti eſse ſuſpicarentur, Nicolaum tamquam ſcopulum rejicerent. Neque vero in publicis muneribus ſapienter ſe geſsit, rerum autem domeſticarum dolore aliquo fractus eſt. Dum Patavii præturam adminiſtrat, unico filio, in quo familiæ ſpes nitebatur, et in cujus ſuavitate, tamquam in virtutum ſuarum effigie, omnes curas et moleſtias deponebat, orbatus eſt. Eum caſum tanto animi robore tulit, ut non modo lacrimantem, aut ſe afflictantem eum nemo viderit, ſed cum mortui oculos compreſſiſset, eadem oratio, idem vultus, eadem frons ſemper fuerit. Si affuiſsetis, patres ſapientiſſimi, Fabium Maximum, aut Lucium Aemilium, aut Catonem, aut Anaxagoram aliquem videre dixiſſetis. Sapientia nullum eſt tutius munimentum et firmius: hac ſocia, et conſiliorum, actionumque adjutrice Nicolaus uſus eſt. Rerum enim humanarum imbecillitatem norat; cogitarat, qua lege nati eſsemus, et quo recurreremus; meminerat, quid in nobis mortale et caducum, quid divinum æternumque eſſet; quare nec repentino huic et gravi vulneri ſuccubuit, nec exſpectavit ut quam conſolationem ratio debebat, uſus et temporis longinquitas afferret. Sed tanta conſtantia, tantus ſplendor, tam inuſitata ſapientiæ non imperii ſe Veneti finibus continuit: externas quoque nationes longe lateque peragravit, principibuſque Europæ, ſignis virtutum plurimis perſpecta et cognita eſt. at quibus principibus? neque veſtra, neque patrum,

trum, et avorum veſtrorum memoria, ullos aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut regia majeſtate præſtantiores Europa tulit, quam qui tum regnabant. Vt alios annos aliarum frugum fertiles cernimus, ſic aliæ ætates aliarum virtutum feraces exſiſtunt: hæc vero qua de nunc agimus, ſummorum principum magnam copiam fudit. atque, ut Franciſcum Primum Galliæ regem, cujus plurimæ victoriæ bellicæ feruntur, ut Solymanum Turcarum Imperatorem bellicoſiſſimum, ut Andream Grittum excellentiſſimum principem illorum temporum æquales prætermittam; quam ullam uſquam eſse oram tam deſertam putatis quo Paulli Tertii Summi Pontificis ſanctitatis, conſilii, et fortitudinis fama non pervaſerit? Caroli autem Quinti Imperatoris tot triumphi memorantur, quot oræ ſunt, parteſque terrarum. Cum ad hos legatus miſsus eſset, ſic peracribus, et pæne divinis eorum ingeniis probatus eſt, ut quæ aliis inextricabilia erant, is auctoritate, et conſilii celeritate explicarit; graviterque, copioſe, et modeſte agendo, et prudenter temporibus ſerviendo, non ſolum reipublicæ commodis proſpexerit, ſed perinde gratiam ab iis ad quos miſsus erat, inierit, ac laudem ab iis qui miſerant, conſecutus eſt. Diſcedentem æque omnes laudibus haud immeritis cumularunt; invitumque et recuſantem Paullus Tertius aureo torque, qui judicii, et amoris erga eum ſui teſtimonium eſset, donavit. idem dignitate et exiſtimatione vitæ a Franciſco Secundo Galliæ rege, ad quem gratulandi cauſsa ſe contulerat; idem a Iulio Tertio Summo Pontifice, ad quem legatus profectus fuerat, amorem ſibi conciliavit; cujus integritatem, cognitioniſque, et uſus magnitudinem cum præſtantiſſimus ille vir probaſset, officiaque et obſervantiam dilexiſset, in magna neceſsariorum copia cum familiariſſimis et amiciſſimis ſuis adæquavit. Indicto univerſorum epiſcoporum Tridenti Concilio, in quo de ſummis reipublicæ chriſtianæ rebus agendum erat, vobis placuit ut Nicolaus una cum Matthæo Dandulo clariſſimo ac præſtantiſsimo ſenatore, reipublicæ nomine, eam legationem obiret, atque apud patres qui eloquentia, doctrina, et ſanctitate vitæ excellentes, eo frequentes convenerant, reipublicæ cauſsam exponeret,

Tan-

Tanta erat in vultu gravitas, tantum in verbis pondus, ut eximii et religioſiſſimi illi viri non ſolum eum diligere, et revereri, verum etiam admirari, et cum antiquis et ſummis oratoribus conferre cogerentur. Ea legatione honorificentiſſime perfunctus, domum ad reipublicæ adminiſtrationem, cujus rei ſcientiſſimus erat, ſe recepit. Quid aliud interim hunc virum ad virtutem, dignitatem, gloriamque natum egiſſe putatis, niſi ut reipublicæ commoda, religionem, magiſtratuum auctoritatem, leges, mores majorum ſic tueretur, ut ad veterum et clariſſimorum ſenatorum amplitudinem proxime accederet. Sed hac otioſa et tranquilla dignitate diu haud frui licuit. Bellum reipublicæ a Turcarum Imperatore denuntiatum eſt, niſi regno Cyprio, antiquo, et optimo jure a vobis poſſeſſo ei cederetur. id erat adverſus fœdus cum patre ictum, et cum eo jurejurando renovatum. Etſi Nicolaus, qui tum honeſtiſſimo ſapientis conſilii munere fungebatur, immenſas eſſe Turcarum opes intelligebat, reipublicæ autem vires ægre ſolas tantam molem belli ſuſtinere poſse cognoſcebat, uſuque doctus exiguam ſpem in alienis auxiliis reponendam videbat, tamen dignitatis Venetæ ſtudio adductus, Turcicisque injuriis victus, parendum neceſſitati, bellumque ſuſcipiendum eſse cenſuit. Hujus, et aliorum ejuſdem gravitatis amplisſimorum virorum auctoritatem reſpublica ſecuta, in communem noſtræ religionis hoſtem arma cepit: cum veſtra, tum Nicolai diligentia, precibus, vigiliis, cohortationibus, tantos copiarum, commeatuum, claſſium, armorum apparatus habuiſtis, ut non facile dijudicaretis, utrum is cui ſumma belli adminiſtrandi permiſsa erat, foris imperando, et manum conſerendo, an Nicolaus domi conſulendo et providendo majorem ſit laudem adeptus. Quare cum Nicolaus partim prudentibus factis, partim fortuna ſua quadam ingenti celebratus, omnium animos in ſe convertiſset, recentiaque et nova merita aditum ad magnam illam auctoritatem quæ longo tempore, et magnis, multiſque in rempublicam meritis paratur, darent, mortuo Matthæo Dandulo ſancti Marci procuratore, is ſumma cum lætitia, et ſingulari civitatis ſtudio in ejus locum eſt ſuffectus. Compoſitis præter omnium ferme exſpe-

ſtationem cum Turca rebus, Gregorius XIII. Summus Pontifex, qui evertendi Turcæ, et propagandæ chriſtianæ religionis deſiderio incredibili tenebatur, pergraviter offenſus eſt; et rempublicam purgantibus defendentibuſque, aſpere verbis, vultuque reſponderat. reſpublica, quæ Apoſtolica ſede nihil ſanctius, nihil antiquius ſemper duxiſset, graviſſimum aliquem ex ſuis, qui Summum Pontificem reipublicæ immeritiſſimo ſuccenſentem leniret, mittendum cenſuit. Etſi Nicolaus annos natus octoginta exacta jam ætate erat, tamen, quod in illo affecto et ſenili corpore plurimum non conſilii modo, ſed etiam auctoritatis omnes eſse fatebantur, is potiſſimum Romam contendere juſsus eſt. Non illum itinerum difficultas, non ætas, non mors, ſi oppetenda eſset, deterruit, quo minus id munus exſequeretur. Cum Romam perveniſset, tum ipſius majeſtas viri, qui ſenatus faciem ſecum ferre videbatur, tum orationis vis et copia, qua pacem cum Turca factam toti reipublicæ chriſtianæ non modo ſalutarem, ſed etiam neceſsariam fuiſse docuit, Pontificem ſanctiſſimum vehementer commovit, et non ſolum iram placavit, ſed rempublicam in priſtinam ejus gratiam reſtituit; ipſeque a Summo Pontifice *Pacis Angelus* appellatus eſt. O Nicolai longe lateque diffuſam laudem! O legationem dignam Veneto nomine, dignam tot muneribus ante peractis, dignam vita omni plena honorum ſæpe geſtorum, ſæpius meritorum! Vllamne eſse rem tantam, ac tam difficilem quiſquam dicere audebit, quam ille non et conſilio regere, et virtute conficere non potuerit? Vllumne eſse honoris faſtigium, quod multis et magnis laboribus pro republica ſuſceptis non æquarit? Vos vero cum Nicolaum ſe et animo, et corpore in ſalutem reipublicæ contuliſse, cum pro communibus commodis plurimum ſudaſſe, et turbulentiſſimas pro republica tempeſtates ſubiiſse videretis; cum id quod honeſtius eſset, ſemper antiquius duxiſſe, cum nullo inimicitias geſſiſse, niſi qui reipublicæ hoſtis eſſet, cerneretis; cum gravitatem, temperantiam, juſtitiam, moderationem in privatis rebus, ſplendorem in publicis admiraremini; vos, inquam, ut alia omnia, ſic hoc ſapientiſſime feciſtis, cum illum ad ſummum dignitatis gradum extuliſtis,

glo-

glorioſiſſimeque, et poſt hominum memoriam magnificentiſſime, principem declaraſtis. Hoc virtutis præmium, hoc honoris inſigne, hoc laudis monumentum tanto ſplendori jamdiu a vobis debebatur. ille (quo nihil præſtantius eſt) quibus artibus tantum honorem adeptus eſt, iiſdem etiam geſsit: huic beata civium et populorum vita propoſita fuit; ut opibus firma, copiis locuples, virtute honeſta eſset, vigilavit, meditatus eſt, adfuit animo, ſemper pro republica aliquid dixit, aut fecit. Is in primis paruit legibus; hoc enim excellentius optimos principes de republica benemereri quam reliquos, intellexit, quod non ſolum ipſi ſe obedientes præſtarent, ſed quod obedientiam, et moderationem in civitatem infunderent, pluſque exemplo quam rebus ipſis, et oratione prodeſſent. Facto decemvirorum decreto ut pecuniæ belli proximi tempore in ærarium collatæ, creditoribus reſtituerentur, is, ut reſpublica graviſsimo onere quod eo nomine ſuſtinebat, quamprimum levaretur, rem maxime urgebat: Dei beneficio illam tulit lætitiam, ut antequam vita excederet, opus illud tam optatum tamque præclarum perfectum videret: republica ære alieno nondum liberata erat, cum vectigal molendinarium ingenti imperantium, et parentium ſtudio populis fuit remiſsum. Nam etſi ii in uſum publicum ſumma voluntate eam pecuniam pendebant, illis tamen ejus oneris levatio ita cara et jucunda fuit, ut iccirco, indictis ſupplicationibus, Deo gratiæ publice privatimque multis in urbibus actæ ſint, et benignitas Veneta omnium ſermone et gratulatione celebrata. Hujus rei geſtæ laus non felicitati ſolum, ſed magna ex parte ſedulitati tanti principis impertienda eſt. Is quo gravior ætate erat, eo magis vi animi, conſiliique vigere putabatur. Tanta ejus in omnibus publicis conſiliis fuit auctoritas, ut cum in deliberationibus ſæpe aliud alii cenſerent, is oratione ſua omnium animos oculoſque in ſe converteret, ejuſque ſententia fere ſemper tuta, gravis, vera, et Veneta ſapientia digna videretur. Si qua controverſia orta eſset, ſe tamquam pater inter filios medium gerebat, recte ſentientes collaudabat, errantes adeo leniter, adjuncta tamen gravitate, caſtigabat, ut ii et errore dolerent, et caſtigatione prope læta-

rentur. Non in ſententia ſolum, quam omnes veluti oraculo editam ſequebantur, ſed in nutu reſidebat auctoritas. Verum hæc in luce et in oculis omnium: intus vero, et domi, qui ſermo? quæ præcepta? quæ religionis exercitatio? Sic ſibi ac ſuis familiaribus omnem licentiam præciderat, ut nihil in illa domo niſi pudicum, niſi ex optimo more, et ſanctiſſima diſciplina cerneretur. Nicolaus principis nepos, quem vos imaginem et effigiem virtutis avitæ inter procuratores legiſtis, et hac ratione publicæ utilitati conſuluiſtis, huic rei teſtimonio eſt: nam etſi is dignitatis gradus ſummo ſtudio a præſtantiſſimo principe efflagitatus eſt, et veſtra benignitate conceſſus, tamen hic vir ſic avi diſciplina inſtitutus fuit, ut quemadmodum vos ætatem ejus honore anteiſtis, ſic is honorem veſtrum morum facilitate et virtute æquarit. Non ſolum autem amicis propoſitum et paratum ejus erat auxilium, aliique honores, alii ſalutem, alii fortunas per eum obtinebant, ſed plurimos ejus opes in rebus incommodis ſublevarunt. Peccatorum confeſſione ſæpe animam purgabat, ſæpe ſacram et cæleſtem euchariſtiam pie et religioſe percipiebat, ſæpe in precibus, et aliis pietatis officiis verſabatur; videbat enim, nullam viam ad tuendam divinam gratiam expeditiorem, quam ſi ſanctiſſimis hujuſcemodi inſtitutis delectaretur, et pietati ſe dederet. Quæ in omnibus hominibus ornamenta ſunt, aut fuerunt, ea tam multa non ſunt quam hæc quæ in præſtantiſſimo hoc principe vidiſtis. Sed o diem acerbum nobis, et reipublicæ luctuoſum! Quo magis divina erat virtus, quo uberiores et lætiores fructus ex ejus præſtantia percipiebantur, eo mæſtitia gravior ex ejus amiſſione conſecuta eſt, eo majore dolore ab eo divellimur. Exſtinctum hoc lumen meritiſſimo lugent boni, requirit curia, tribunalia deſiderant, mærent templa, omnia denique plena luctus, et ſqualoris ſunt. Qui enim fieri poteſt quin ejus interitus deploretur, cujus pueritia ſummo pudore, modeſtia, et optimis ſtudiis traducta ſit: qui in adoleſcentia omnem omnium rerum, atque artium ſcientiam comprehenderit: qui inter eruditiſſimos eloquentiſſimus, inter eloquentiſſimos eruditiſſimus habitus ſit: qui omnibus honoribus glorioſiſſime uſus, magnitudinis animi, juſtitiæ, et temperantiæ præ-

cla-

clara exempla ſtatuerit: qui ſummorum principum gratiam et benevolentiam ſibi, ac reipublicæ conciliarit: cujus illuſtris et pervagata eſt multorum, et magnorum in patriam, et in omne genus hominum fama meritorum: qui in altiſſimo principatus gradu collocatus, tamquam parens bonus, et tutor fidelis reipublicæ fuerit. Ego quidem conficior, et vix dolori reſiſto, et qui aliquid quod vos a mærore avocaret, dicturus acceſſi, ipſe conſolandus ſum. Caligo tamen quæ mentium oculis interdum officit, diſcutienda eſt, eaque quæ vos aliis præcipere ſoletis, mihi ipſi ſunt ſubjicienda: non enim mihi id ſumo ut ipſe cui omnia deſunt, vos qui ætate mihi, ſapientia omnibus anteitis, confirmem; ſed tantum ut nonnulla a vobis ad alios ſapienter dicta, et præcepta ſi forte vobis hoc ipſo in dolore exciderunt, in memoriam redigam. Etenim primum id quod crebris uſurpatis ſermonibus, quodque ſapientia veſtra dignum eſt, meminiſſe debemus, nobis non habitandi, ſed commorandi diverſorium hic a Deo datum fuiſſe: quoties qui immiſiſſet in mundum, avocaret, excedendum fuiſſe. hac lege a Deo condita, non is aut ille, ſed omnes tenemur; quare iniquum eſt in eo quod accidat univerſis, præcipuam aliquam conditionem ſibi, aut ſuorum alicui poſtulare, aut communem recuſare. Denique cum optimo cuique et juſtiſſimo in cælo ſit certus et definitus locus, ubi ſolutus a cupiditatibus, liber a perturbationibus, ſegregatus ab omni concretione mortali, ſempiterno ævo fruetur; quid eſt cur tantum principem, tam bene de republica meritum, tam pium in patriam, tam juſtum in omnes, ex his tenebris in illam lucem exceſſiſse doleamus? an fortaſſe vos qui ingenii acie difficilia quæque et recondita perſpicitis, id quod apertum eſt, maxime eſse ſecundum naturam ſenibus mori, non videbitis? et quid gravitas, quid altitudo animi, quid ſtudia quibus excellitis, flagitent, quid ratio præſcribat, non cogitabitis? atque ex omnibus virtutibus una hæc vobis deeſse videbitur? vos quoque qui venientia longe proſpicitis, ſereniſſimum principem, et hominem natum, et moriturum non præmeditati eſtis? etſi nequaquam hoc de vobis timendum eſt, tamen illa potius velim reminiſcamini, illum quamdiu munus officii exſequi et tue-

ri

ri potuerit, integra mente, et certis ſenſibus vixiſse: ſummos ejus labores ſumma compenſatos eſſe gloria : magna felicitate uſum, agentem jam annum XCIV. e vita ceſſiſse : vidiſſe rempublicam non ſolum ſumma ratione et conſilio adminiſtrari, et auctoritate, opibus terreſtribus, maritimiſque pollere, ſed etiam iis ſenatoribus florere quorum neminem ulla ſapiens natio regem aſpernaretur. Hæc ſi vere cogitabimus, haud dubium eſt quin eum laudare quam lugere malimus, illumque potius grata memoria et benevolentia quam lacrimis proſequamur, et ut natum eſse, et rempublicam optime rexiſſe lætati ſumus, ſic etiam in beatorum ſedes conceſſiſſe, et pro mortali conditione, vitæ immortalitatem conſecutum eſse, lætemur.

FINIS.

INDEX OPVSCVLORVM

quæ hoc volumine continentur.

DEdicatio.

Præfatio ad Lectorem.

Aliquot de Vita et Scriptis Auguſtini Cardinalis Valerii Teſtimonia.

Auguſtini Valerii Operum recenſio.

Auguſtini Valerii S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Veronenſis, Opuſculum de Cautione adhibenda in edendis libris ad Silvium Antonianum.

ex MS. Codice qui olim fuit Venerabilis viri Gregorii Cardinalis Barbadici, Epiſcopi Patavini, ab Illuſtriſſimo viro Camillo Abbate Varotto, Eccleſiæ Patavinæ Canonico, nobiſcum benigne communicato. pag. 3

Petri Valerii ad Bernardum Naugerium Abbatem Epiſtola. 63

Bernardi Naugerii S. R. E. Cardinalis, Veronenſis Eccleſiæ Adminiſtratoris, Vita ab Auguſtino Valerio conſcripta.

ex unica, eademque rariſſima Veronenſi Editione apud Angelum Tamum MDCII. ab Illuſtriſſimo viro Apoſtolo Zeno, Poëta, et Hiſtorico Cæſareo, nobis ſuppeditata. 65

Ioannis Antonii Petramellarii de Bernardo Naugerio Cardinali brevis Narratio. 98

Illuſtrium virorum de Petro Barrocio Epiſcopo Patavino Teſtimonia: inter quæ Chriſtophori Marcelli Canonici Patavini Oratio habita in ejuſdem funere,

ex Editione ſine loci, aut temporis ſignificatione, cujus copiam nobis fecit idem vir clariſſimus Apoſtolus Zenus. 102

Petri Barrocii Patricii Veneti pro Franciſco Scledo Vicentino Oratio.

ex Codice membranaceo eleganter ſcripto, adhuc inedito, quem nobis ſuppeditavit vir eruditiſſimus, atque humaniſſimus Petrus Catharinus Zenus Apoſtoli frater, Clericus Regularis Congregationis Somaſchæ. 111

Petri Barrocii Oratio II. pro Chriſtophoro Mauro Venetiarum Duce.

ex eodem Codice. 131

Petri Barrocii Oratio III. in funere Antonii Roicelli Aretini.

ex eodem Codice. 163

Paul-

Paulli Barbi Patricii Veneti Oratio ad Ludovicum XI. Galliæ Regem.
ex MS. Apoſtoli Zeni adhuc inedito. 183
Bernardi Iuſtiniani Patricii Veneti ad eumdem Ludovicum Oratio.
ex eodem Codice. 193
Petri Contareni Patricii Veneti Oratio in funere Marci Cornelii Catharinæ Cypri Reginæ patris.
ex Editione Veneta anni M. CCCC. LXXVIIII. per Philippum Venetum, quæ adſervatur Venetiis in bibliotheca Clericorum Congregationis Somaſchæ; curante Cl. Viro Petro Catharino Zeno. 202
Caroli Capellii Patricii Veneti Oratio in funere Georgii Cornelii, ejuſdem Reginæ fratris.
deſcripta ex Libello autographo adhuc inedito, qui exſtat in eadem inſigni bibliotheca; eodem Zeno ſuppeditante. 213
Angeli Gabrielii Patricii Veneti Oratio in funere Baptiſtæ Zeni Cardinalis.
ex vetuſto Exemplari Apoſtoli Zeni, edito ſine loci et temporis nota. 226
Ioannis Antonii Vulpii Epiſtola ad Ioannem Paſchalicum, Venetum Senatorem Ampliſſimum, et rei literariæ Triumvirum. 234
Petri Paſchalici Patricii Veneti Monumenta. 236
Ejuſdem Oratio ad Emmanuelem Luſitaniæ Regem.
quam excuſam Venetiis per Bernardinum Venetum de Vitalibus anno Domini M. CCCCC. I. humaniſſime exhibuit idem Ampliſſimus Senator Ioannes Paſchalicus. 237
Franciſci Piſani Patricii Veneti Epiſtola ad Zachariam Cardonium. 244
Ejuſdem Oratio de univerſæ Philoſophiæ ornamentis.
ex antiquo Exemplari Apoſtoli Zeni gothicis impreſſo characteribus ad ſignum ſerpentis braſſicam complexi, ſine loci et temporis ſignificatione. 245
Antonii Longi Patricii Veneti Oratio in funere Nicolai de Ponte Venetiarum Principis.
ex Libello typis deſcripto ſine temporis locive nota, apud Apoſtolum Zenum exſtante. 268

INDEX
NOMINVM PROPRIORVM, RERVMQVE MEMORABILIVM
LOCVPLETISSIMVS.

ABundantia rerum in urbibus ad principum præſidumque laudem maxime pertinet. pag. 278
Academia Patavina totius Italiæ nobiliſſima. 7
Academici Philoſophi. 261
Accurſius (Franciſcus) Iuriſconſultus celeberrimus, laudatus. 168
Achaja. 155
Ad quos ſcribendi libri. 45
Adornus (Franciſcus) Genuenſis, Soc. Ieſu, laudatus. 15. Auguſtinum Valerium ad Rhetoricam Eccleſiaſticam conſcribendam vehementer hortatur. 27
Aegæum mare. 156
Aegidii Cardinalis doctiſſimi teſtimonium de Nicolao de Ponte adhuc adoleſcente. 274
Aegyptii inter primos Aſtronomiæ inventores. 256
Aegyptii Reges. 239
Aelius Sextus a Romanis Catus appellatur. 172
P. Aemilianus. 217
L. Aemilius. 166. laudatus. 279
Aenigmata philoſophica a quibus conſcripta. 261
Aëris deſcriptio. 260
Aeſchinis ſonitus in dicendo. 140
Aetheris deſcriptio. 260
Africa a Populo Romano ſubacta. 170
Africam tributum pendere quinam Romanorum coëgerint. 204
P. Africanus. 140. 217. patrem in acie ex hoſtium manibus eripit. 205
Agrippæ facinus egregium. 177. 178
Albanus (Hieronymus) Bergomas, Cardinalis, filios antea ex matrimonio ſuſceperat. 89
Alcidamus Eleates Rhetor laudatus. 251
Aldobrandinus (Thomas) frater Clementis VIII. Pont. Max. vir optimus, atque eruditiſſimus, Philoſophorum vitas a Diogene Laërtio conſcriptas e græco in latinum vertit. 81
Alexander Alenſis Theologus, Magiſter irrefragabilis appellatus. 41
Alexander Aphrodiſæus. 41. ejus de animæ natura doctrina ab Auguſtino Valerio confutata. 18. ejuſdem libri a Hieronymo Donato Patricio Veneto in latinam linguam converſi. 49
Alexander Magnus Diogenem ad ſe vocat magnis propoſitis præmiis. 175. laudatus. 195. 239
Alexander III. Summus Pontifex a Venetis in ſedem reſtitutus. 203
Alexander VI. Pont. Max. 231
Amaltheus (Io. Baptiſta) Bernardi Naugerii amicus laudatus. 93
Ambitiones ſcholaſticæ in Gymnaſio Patavino. 124. 125
Divi Ambroſius, & Bernardus ad ſorores ſuas libros inſcribunt. 32
D. Ambroſius laudatus. 264
Amulius (M. Antonius) Eques. 95. a Senatu Veneto in Dalmatiam Syndicus mittitur una cum Bernardo Naugerio. 71. ea res illi obtrectatores paravit. ibid. legatus ad Pium IV. Pont. Max. 83. 84. Cardinalis creatus eodem die quo Naugerius. 85
Anaxagoras Clazomenius Philoſophus laudatus. 279. nuntiata filii morte

quid reſponderit. 210. ejus opinio de principiis rerum. 261
Anaximander Mileſius Philoſophus. 261. Thaletis Mileſii auditor. 256. Zodiaci inventor. ibid.
Ancon Italiæ urbs. 151. 153. 158
Annus a C. Cæſare diſpoſitus, & auctus. 256
Antiphon Rhamnuſius Rhetor laudatus. 251
Antipodæ. 239
Antonianus (Silvius) Carolo Card. Borromæo ab epiſtolis. 7. 85. a Bernardo Naugerio mirifice dilectus. ibid. 93. præfationem ſcripſit in Auguſtini Valerii homilias. 30. Vitam S. Caroli ab eodem Valerio ſcriptam edidit. 37. item alios ejuſdem libellos. 55. ejus laudes. 46. 60. ejus opus de chriſtiana filiorum educatione præclariſſimum. 54. Veronæ publice in ſcholis doctrinæ chriſtianæ legebatur. 47. 55. Venetam Rempublicam dilexit. 48. Auguſtini Valerii amicus triginta annorum. 58. Cardinalis. 85
D. Antonii Ulyſſiponenſis Templum Patavii. 164
Antonius vetus Orator. 114
Apollinea adyta. 252
Apollo Pythius Poëſeos inventor. 252
Apollodorus Grammaticus laudatus. 248
Apollodorus Pergamenus Rhetor, Cæſaris Auguſti Apolloniæ præceptor. 251
Apollonia urbs. 251
Apollonius Grammaticus laudatus, & cur dyſcolus dictus. 248
Apollonius Molo Rhetor. 251
Apoſtolorum pauci ſcripſerunt. 47
Apulia de maxima re apud Eugenium IV. Pont. Max. litigat. 179
Arabia præ omnibus regionibus odores producit. 167
Arcadia Venetæ fidei ſe credit. 155
Archelaus Rex Euripidi aureum ſcyphum donat. 195
Archimedes Syracuſanus, ejuſque facinus memorabile. 255. militis imprudentia occiditur. 256
Architectorum induſtria. 141
Archytas Tarentinus Pythagoricus. 261
Aretini cives in religionem proni, ac eloquentiæ ſtudioſi. 166
Aretinus (Carolus) laudatus. 167. ejus carmina. 161
Aretinus (Franciſcus) laudatus. 167
Aretinus (Leonardus) ejuſque ſcripta laudata. 167
Aretium Etruriæ urbs. 164. olim provinciæ caput. 166. Roma antiquior. ibid. laudata. ibid. 170. factioſa. 171
Argi Græciæ urbs a Venetis ſolo æquata. 155
Arion Muſicus. 256
Ariſtophanis Comœdia prima a Leonardo Aretino comicis verſibus latine reddita. 167
Ariſtarchus Grammaticus laudatus. 248
Ariſtoteles. 41. 44. 45. 46. ejus libri commendati. 68. 249. 250. 251. 258. ejus interpretes Græci, & Arabes laudati. 6. idem reprehenſus. 18. naturæ ſcriba nuncupatus. 43. philoſophorum princeps. 104. ejus ſententia de homine ſomno dedito. 105. quædam opera a Leonardo Aretino in latinum converſa, ejuſque vita ab eodem ſcripta. 167. ſenariolus in Iſocratem. 251. dictum inſigne. 260. 261. ejus laudes. 262
Arithmeticæ deſcriptio. 254
Arnulphus ultimus e genere Caroli Magni. 114
Aromata a Luſitanis importata. 239
Aſiam quiſnam perdomuerit. 204
Aſſyrii inter primos Aſtronomiæ inventores. 256
Aſſyrii Reges. 239
Aſtronomi celebres. 256
Aſtronomiæ deſcriptio. 254
D. Athanaſius laudatus. 264. ejus vitam Ioannes Tortellius Aretinus interpretatus eſt. 167
Athenienſes. 172. vid. Beroſus.
Athenienſes tyranni illuſtres. 141
Athenienſium judicium de Chryſippi Dialectica. 250

Atheſis

Atheſis fluvius. 50
Atlanticus Oceanus. 239. 242
Attici faceti. 174
Averroës laudatus. 41
D. Auguſtinus laudatus. 105. 264
Aula ſuperior Domus Epiſcopalis Patavii a Petro Barrocio exſtructa, Epiſcoporumque imaginibus ornata, anno cIↃcccc xciv. 110
Aula Patavina in qua Doctoribus inſignia dignitatis conferuntur, ab eodem ædificata. 110

B

BAduarius (Sebaſtianus) laudatus. 266
Bagata (Raphaël) Sacerdos Veronenſis laudatus. 36
Balduinus princeps Gallus. 200
Baldus Peruſinus inſignis legum interpres. 6
Barbadicus (Nicolaus) 18. Veronæ prætor. 19. 32. Baylus Byzantii moritur. ibid.
Barba (Eliſabetha) Paulli II. Pont. Max. ſoror, & Eugenii IV. ſororis filia, mulier ornatiſſima. 227
Barbaricus Sinus. 239
Barbaries a ſcribentibus vitanda. 43
Barbarus (Daniel) vir doctrina & moribus præſtans, coadjutor Ioannis Grimani Patriarchæ Aquilejenſis, & Patriarcha deſignatus, a Senatu Veneto ad Epiſcopatum Veronenſem nominatur. 83. rei familiaris inopia laborans, a republica ſuſtentatur. 84. Veronam venit cum Bernardo Naugerio. 89. moritur. 68
Barbarus (Franciſcus) laudatus. 266
Barbarus (Hermolaus) ſenior, a Ioanne Baptiſta Egnatio laudatus. 49
Barbarus (Hermolaus) junior, ejuſque ſcripta laudata. 11. 49. 266
Barbus (Iacobus.) 95
Barbus (Petrus) Cardinalis S. Marci, Pontifex Max. eligitur, vocaturque Paullus II. 158. vide Paullus II.
Barbus (Paullus) Eugenii IV. Pont. Max. ſororis filius, & Paulli II. Pont. Max. germanus frater. 183. laudatus. 194
Barrocia gens. 132. 145. 162. Venetiis vetuſtiſſima. 103
Barrocius (Aloyſius) Benedicti filius, Petri Epiſcopi Patavini pater, Senator graviſſimus, Decemvir occubuit. 103
Barrocius (Benedictus) magiſtratus obiit amplius XL. Conſiliarius moritur. 103
Barrocius (Franciſcus) Benedicti filius, Paulli II. Datarius, ac Tarviſii Epiſcopus. 103. Romæ moritur. 104
Barrocius (Ioannes) Benedicti filius, Epiſcopus Bergomas, deinde Venetus Patriarcha, laudatus. 103. 131. 144. 149. 150. patriam juvat in bello Mediolanenſi, ac Turcico. ibid. a Paullo II. Cardinalis deſignatus moritur. 103
Barrocius (Petrus) Aloyſii filius, Epiſcopus Patavinus. 101. 102. 103. 107. ejus avus maternus D. Marci Procurator laudatus. 103. ejus mores & ſtudia. 104. Doctorum laurea inſignitur, et a Sixto Pont. Max. Bellunenſis Epiſcopus renuntiatur. ibid. circuli quadraturam invenit. ibid. ab adminiſtratione reipublicæ abhorruit. 105. ab Innocentio VIII. Pont. Max. Eccleſiæ Patavinæ præficitur, anno cIↃcccc lxxxviii. 106. centeſimus a D. Proſdocimo Epiſcopus. 108. ab eo geſta in epiſcopatu, & mira in Patavinis ſublevandis liberalitas. 106. cauſſa ejus mortis. ibid. ſcripta ejus quamplurima Bernardini Scardeonii tempore exſtabant. 107. ejus monumenta. 108. 109. teſtamentum. 108. a Pio II. Pont. Max. primus omnium deſtinatus fuerat Cardinalis, at re infecta Patavii moritur. 108. ejus ſententia de pinguibus Eccleſiæ Patavinæ reditibus. 110. ab alumnis Gymnaſii Patavini vocatur ad orationem habendam. 112. laudatus. 266

Bartholus eximius legum interpres. 6
D. Baſilius Magnus laudatus. 264. ejus de poëtarum oratorumque lectione libellus a Leonardo Aretino in latinum verſus. 167
Baſſianum amœnum Venetorum oppidum, Lazari Bonamici patria. 8
Bellarminus (Robertus) Soc. Ieſu, Cardinalis. 26. ejus Controverſiarum libri laudati. 45. 54
Bellunenſis regio deſcripta. 135
Bembus (Bernardus) Petri Cardinalis pater. 51. laudatus. 266
Bembus (Petrus) Cardinalis. 51. 53. 58. Italicæ linguæ regulas tradidit. 32
Berengarius Italiæ tyrannus. 113
Bergomates Veneto nomini addictiſſimi. 150. eorum lætitia, & mæror de Ioannis Barrocii Epiſcopi diſceſſu, qui Venetorum Patriarcha creatus fuerat. 144. 145
Bergomum a Ioanne Barrocio Antiſtite contra Franciſcum Sfortiam Mediolanenſium Ducem defenſum. 161. Bergomi ædes publicæ et privatæ, templaque a Ioanne Barrocio ædificata ornataque. 161. Forum coctis lateribus ab eodem conſtratum. ibid.
B. Bernardinus Feltrenſis Patavinos ad Montem Pietatis (ut vocant) erigendum hortatur. 110
D. Bernardinus Senenſis laudatus. 152. Chriſtophoro Mauro principatum prædicit. ibid. in templo D. Iobi Venetiis ei a Mauro jam Principe ara exſtruitur. ibid.
D. Bernardus laudatus. 42. 46. ad ſororem ſuam librum inſcribit. 32
Beroſus Aſtronomus nobiliſſimus. ejus ſtatua aurata lingua in Athenienſium publico gymnaſio ſita quid ſignificaret. 256
Bertholdus Ateſtinus, terreſtris Venetorum exercitus Imperator adverſus Turcas. 155
Biblia ſacra quo tempore frequentius lecta, et illuſtrata. 4
Bibliothecæ inſignes Cardinalium aliquot Venetorum græcis latiniſque libris inſtructiſſimæ. 266
Boëthius Severinus laudatus. 250. omnium Latinorum in Aſtronomia princeps. 256. 257. ejus Conſolatio laudata. 258
Bolduinus (Antonius) laudatus. 266
Bollanus (Dominicus) legatus ad Angliæ regem, poſtea Brixienſis Epiſcopus. 78
Bonamicus (Lazarus) humaniorum literarum in Patavino Gymnaſio doctor celeberrimus. 7. 8. 51. ejus patria Baſſianum Venetorum oppidum. 8. mortuus, ab Auguſtino Valerio funebri oratione laudatur. ibid.
D. Bonaventuræ Cardinalis laudes. 58
Bononia. 151. 153. Bononiam petebant pauperiores Gymnaſii Patavini alumni, ut doctoris inſignia minori ſumtu conſequerentur. 128
Bononienſes Roicellum Roicellum I. C. ad publice docendum invitant. 168
Borromæus (D. Carolus) Cardinalis. 84. Auguſtinum Valerium diligit. 22. eumdem ad publicas conciones habendas, et ad *Rhetoricam* Eccleſiaſticam conſcribendam hortatur. 27. item ad alia opuſcula elucubranda. 28. 29. a perditis hominibus ad necem quæſitus. 28. ejus adhortatio ad Valerium Cardinalem creatum. 36. falſus rumor Veronam affertur, eum, dum Sacramenta peſtilentiæ labe infectis miniſtraret, Mediolani exſtinctum. 31. nonnullos Valerii libros edi jubet. 55. quid ſenſerit de Bernardo Naugerio Cardinali. 85. 96. ejus laudes. 37
Borromæus (Federicus) D. Caroli Cardinalis frater. 22
Borromæus (Federicus) D. Caroli patruelis, a Sixto V. Cardinalis creatus. 38. 39
Bragadenus (Dominicus) laudatus. 266
Brixia urbs populoſa, & in primis locu-

cuples, obſidione diuturna laborat. 136. ejus civium fides in Venetam Rempublicam. 136. 137. a Mediolanenſibus circumſeſsa gravi fame laborat. 205. a Georgio Cornelio adhuc puero mira dexteritate liberatur. ibid.
Brutus. 169
Byzantini faceti. 174

C

CAballus (Marinus) Eques. 95
Cæli deſcriptio. 260
Cæſar Auguſtus Apollodori auditor Apolloniæ. 251
Cajetanus (Thomas) Cardinalis, laudatus. 5. 16. 58
Caimus Canonicus. 36
Cajus Iulius Cæſar dictator injuriarum callide obliviſcebatur. 148. Aſtronomiæ peritiſſimus. 256. ejus laus, & reprehenſio. 143
Calliſtus Pont. Max. exeidium Turcarum ardentiſſime optat. 186
Campeggius (Thomas) Apoſtolicæ Sedis Nuntius Venetiis. 35
Canalius (Ioannes Franciſcus) magnus Philoſophus. 51
Canalius (Paullus) a Petro Bembo, & ab Andrea Naugerio celebratus. 51
Capellus (Carolus.) 113
Capellus (Ioannes) Eques, Patavii præfectus. 76. legatus ad Ferdinandum Imperatorem. 82. ditiſſimus. 83. pateras aureas maximi pretii a Ferdinando Imperatore dono acceptas, juſſu Senatus in publicum ærarium infert. 83
Caper Grammaticus laudatus. 248
Caraffa (Antonius) Cardinalis ampliſſimus. 30. 37
Caraffa (Ioannes Petrus) poſtea Paullus IV. Pont. Max. 59. nihil ſcripſit. ibid.
Cardinalis Alexandrinus, poſtea Pius V. Pont. Max. 20. 23
Cardinalis Carpenſis nihil omnino ſcripſit. 59
Cardinalis optimi officia. 59
Cardinalitia dignitas a Bernardo Naugerio magni æſtimata. 95
Cardonius (Zaccharias) Hieroſolymitanus Eques, & Secret. Apoſtolicus. 244
Caritatis Mons Patavii unde initium duxerit. 279
Carneades Philoſophus imaginibus loco literarum utebatur. 174
Carnorum maxima pars a Georgio Cornelio ſubacta. 221
Carolus Magnus. 114. laudatus. 185. 191. 195. ejus inſignes victoriæ. 200
Carolus V. Imperator laudatus. 280
Carolus Victor Galliæ Rex. 183. 193. laudatus. 184. & ſequ.
Carrarum turres. 200
Carthaginienſes. 239. eorum ager a P. Scipione Africano igne ferroque vaſtatus. 155
Carthago a Romanis everſa. 204. 239
Caſale majus, Venetorum quondam oppidum. 137. ejus incolæ Chriſtophoro Mauro præſto ſunt. 138
Caſtellum, urbis Venetiarum regio. 149
Caſtellum Novum ad viam cuſtodiendam a Tergeſtinis conſtructum, ad Venetos olim pertinebat. 146. in eorumdem poteſtatem denuo redactum. 147
de Caſtro (Alphonſus) laudatus. 5
Cathedrales Eccleſiæ complures, ſub Paullo IV. Pont. Max. per annum, vel biennium etiam, ſine Epiſcopo fuere. 81
Cato Major laudatus. 172. 279. in eo mirum diſcendi ſtudium fuit. 178. quædam ſcripſit de Arte Rhetorica. 251
Cautio quænam adhibenda in libris Auguſtini Valerii edendis. 55. 60
Celſus Rhetor. 252
Cervinus (Marcellus) poſtea Marcellus II. Pont. Max. nihil omnino ſcripſit. 59
Chabriæ Athenienſis ſententia inſignis. 156

Chal-

Chaldæi inter primos Aſtronomiæ inventores. 256
Chilo Lacedæmonius. 172
CHRISTVS IESVS DEI FILIVS nihil ſcripſit. 47
Chrius Fortunatianus Rhetor. 252
Chryſippus Tarſenſis Philoſophus acutiſſimus, DCC. volumina ſcripſit ad Dialecticen pertinentia. 250
Cicero. 42. 45. 256. 182. laudatus. 6. 252. 253. 254. ſummus Orator appellatus. 43. cum Demoſthene comparatus. 254. equeſtris ordinis vir. 115. Ethicam a Græcis acceptam illuſtravit. 258. Dejotari Regis cauſſam apud Cæſarem dixit. 175
Ciceronis de Conſolatione liber deperditus. 20
Ciconia (Vincentius) Cleri Veronenſis nomine Naugerium Cardinalem laudat. 90. item in ejus funere. 92
Circuli quadratura a Petro Barrocio inventa, & publice tradita. 104
Cives qui ſobolis ſtudio teneatur, reipublicæ utiles. 219
Civium benivolentia fortiſſimum urbium propugnaculum. 137
Clugia ſive Clodia, deſcripta. 133. 134. ejus incolæ Genuenſium impetum forti invictoque animo ſuſtinent. 134
Coleo (Bartholomæus) Bergomas Imperator fortiſſimus. 208
Colonia a Venetis in Cyprum deducitur. 207
Columna (Aſcanius) Cardinalis. 38. 39
Comici Poëtæ. 252
Commendonus (Ioannes Franciſcus) civis Venetus Cardinalis, Abbatia S. Zenonis a Pio V. Pont. donatus; in Poloniam legatus proficiſcitur. 26. laudatus. 52. plura eleganter conſcripſit. ibid.
Commentarii pulcherrimi legationum a Bernardo Naugerio apud Paullum IV. Pont. Max. & Carolum V. Imperat. geſtarum, exſtant. 81. 96
Communionem ſub utraque ſpecie Nicolaus Ormanetus Bavariæ Duci diſſuadet. 90
Concionatores optimi quinam ſint. 94
Condolmariorum familia Venetiis egregia. 180
Congregationis Indicis decreta de editione librorum. 54
Conſiliariorum magiſtratus in Patavino Gymnaſio. 124
Conſolatio Boëthii Severini laudata. 258
Conſtantinus Magnus. 177
Conſtitutiones Epiſcoporum Provincialibus Conciliis maxime nituntur. 34. Conſtitutionum multitudo eccleſiaſticæ diſciplinæ pernicioſa. 34
Contarenæ (Hadrianæ) ſenior, & junior, laudatæ. 32
Contarenus (Adornus.) 202
Contarenus (Aloyſius.) 12. 13. 17. Veronæ præfectus. 19. 32. 33. ad Carolum IX. Galliæ regem legatus. 26. ei a Republica ſcribendarum hiſtoriarum munus committitur. 32
Contarenus (Franciſcus) vir doctiſſimus, laudatus. 77. D. Marci Procurator, legatus ad Paullum IV. 79
Contarenus (*Gaſpar*) *Cardinalis*. 12. 49. 58. de elementis ſcripſit. 42. laudatus. 53. ejuſdem de Petro Barrocio Epiſcopo Patavino teſtimonia. 109. 110
Contarenus (Iacobus.) 50
Contarenus (Iuſtinianus) ab Auguſtino Valerio e fonte ſacri baptiſmatis ſuſceptus. 13
Contarenus (Petrus.) 202
Contarenus (Petrus Franciſcus) Venetiarum Patriarcha, laudatus. 9. 31. 50. 68. 95. quamvis multa ſcripſerit, ejus tamen ſcripta nulla exſtant. 53
